QK
97
C26X
Bot.H-C
v.]
SCNHRB

copy 3


LIBRARY
OF
A·S·HITCHCOCK
AND
AGNES·CHASE

Friedrich Kruse.

1/2/21/80

act. 67 11
A|2|21|80

REGNI VEGETABILIS SYSTEMA NATURALE.

VOLUMEN PRIMUM.

QK
97
C26X
BOT.H-C

REGNI VEGETABILIS SYSTEMA NATURALE,

SIVE

ORDINES, GENERA ET SPECIES

PLANTARUM SECUNDUM METHODI NATURALIS NORMAS

DIGESTARUM ET DESCRIPTARUM;

AUCTORE AUG. PYRAMO DE CANDOLLE.

VOLUMEN PRIMUM

Sistens Prolegomena et Ordines quinque nempè Ranunculaceas, Dilleniaceas, Magnoliaceas, Anonaceas, et Menispermeas.

A. S. HITCHCOCK.

PARISIIS

Sumptibus sociorum TREUTTEL ET WÜRTZ,
rue de Bourbon, n° 17.

VENITQUE IN EORUMDEM BIBLIOPOLIIS

ARGENTORATI ET LONDINI.

M. DCCC. XVIII.

TYPIS CRAPELET.

PROLEGOMENA.

PLANTÆ, sub omnibus aspectibus et quoquo modo consideratæ, vastissimam conficiunt scientiam, quam sensu generaliori BOTANICAM dicunt. Sed si Plantarum anatomia et physiologia, si earum geographica et topographica per orbem dispositio, illarum cultura, chemica compositio, virium usuumque cognitio, disciplinas altiorum litterarum studioso nobiles offerant, quinimò si hæ doctrinæ Botanices veri sint fines, tamen fatendum est istas scientiæ partes, licet graves, omnes specierum ipsarum accuratâ distinctione earumque mutuæ affinitatis cognitione, necessariò et (fas sit verbo) essentialiter niti. Specierum notitiâ stabilitur possibilitas ea omnia quæ de regno vegetabili per observationes plurimas experimentaque innumera patres nostri invenêre discendi, ut et nepotes nostros quæ ipsi nos reperimus docendi; ex specificarum affinitatum cognitione pendet ars ista solerter et cautè adhibenda, quâ ritè experimenta proponuntur, observationes speciales methodicè in leges generales convertuntur, analogiæ nec ultra verum audaciùs protenduntur, nec citra verum timidiùs contrahuntur, quâ tandem aphorismorum paucissimorum ope inventa et invenienda omnia nexu simplici colligantur. Necessariam itaque, omnes qualescunque sint viri plantarum studio dediti, primâ fronte agnoverunt primordialem hanc doctrinam, quâ ab omnibus aliis species quædam iis obvia discernitur, et innotescit affinitas plus minùsve stricta quâ illa cum cæteris speciebus jungitur. Non mirum est ergò si hæc scientiæ elementa fundamentaque, pro scientiâ integrâ à vulgo habita, BOTANICÆ strictiori sensu usurpatum equidem, non verò omninò incongruum nomen retinuerint.

Attamen ob ipsam observationum paulatim institutarum molem, ob innumeram doctrinarum locorum ipsorumque ingeniorum varietatem, plerique Floræ alumni se speciali ramo, ut ut sit, scientiæ nostræ addicentes, hujus cum totâ arbore nexum congruentiamve sæpè neglexerunt: ex unâ parte nonnulli philosophi vegetationis leges generales plan-

tarumque vires et usus præcipuè indagantes, specierum verò ipsarum distinctionem et nomenclaturam spernentes, ideòque à reliquis hominibus linguâ communi deficiente separati et quasi alieni, ipsimet laborum suorum fructus et incrementa minuerunt; ex alterâ botanici, eheu, non pauci, specierum cognitioni totâ mente et viribus dediti, sed generaliores leges et doctrinæ usus floccifacientes Floræ *amabilem* hortum in aridam planitiem mutaverunt: distinctionis specierum difficultate perterriti, hujus distinctionis tamen ineluctabilem necessitatem magnumque rei pretium haud immeritò agnoscentes, Botanicam in discernendis speciebus totam versari existimaverunt: ex hâc opinione falsissimâ, fateor, sed pro suo tempore forsàn non inutili, enata sunt systemata *artificialia* dicta, quorum nempè scopus unicus atque usus in specierum distinctione versantur; nimius his systematibus (quæ homogenea semper segregant ut heterogeneorum inter se collatorum discrimina faciliùs perspiciantur) favor concessus viros naturæ generalibus virosque particularibus studentes in duas phalanges, sibi mutuò sæpiùs ignotas et ferè inimicas, magis magisque in detrimentum scientiæ disrupit.

Tunc paucissimi exsurrexerunt philosophi, meditationi simul et observationi addicti, qui, sese scientiæ in centro locantes, botanicos omnes, primùm fluctuantes demùm magnâ ex parte convictos, docuerunt affinitatum naturalium theoriam genuinam esse totius botanicæ scientiæ basim, verumque nexum quo generalia particularibus et abstracta concretis junguntur; hujus doctrinæ momentum veritatemque agnoverunt præcipui scientiæ magistri; sed ejusdem forsàn non lucidè satis explicatæ et populariter expositæ, usus ad tirones et vulgum nondùm omninò pervenit; ii omnes qui diligentiùs de Botanices præsenti futuroque statu meditantur, autumant illius nævi causam omninò in hoc stare quod hactenùs in libris formâ et mente diversissimis scientiæ generalia et particularia sint reperienda; nullusque à Bauhini Rayive temporibus evulgatus fuerit liber in quo specierum characteres et historiæ juxta ordines naturales disponantur, seu in quo methodi naturalis leges successivè omnibus plantis hucusque cognitis speciatim accommodentur.

Hanc ipsam curam, hoc opus quod nemo apud nos, nemo

apud veteres tentavit, timidus hodie aggredior. Cœpti mei non arduæ me latent difficultates, nec hujus immensa moles, si hanc cum actuosis humanæ vitæ annis conferas, nec aleæ istæ quæ per detecta nova ædificii mei nondùm forsàn exstructi partes nonnullas evertere queunt; quanquam verò operi imperfectio non una necessariò adhæreat, probè tamen novi laborem hunc meum, etsi imperfectum, ex omnibus laboribus ad botanicam specialem generalemve theoricam applicatamve propagandam suscipiendis utilissimum fore. Scientiæ nostræ rapidum per hos triginta inquietos annos respiciens, rapidioremque in posteros (utinam placidiores) præsagiens, clarè jam nunc video, plantis ex quàcunque terrarum parte allatis, opus meum hîc et illic incompletum, et, ut ita dicam, mancum sine dubio evasurum; sed aliqua, spero, ex his futuris laboribus portiuncula mihi tribuetur, si libri hujus generalis methodo botanicos specialibus et minutis addictos ad generalia, generalibus verò studentes ad specialia, quantùm in me erit, convertere simulque dirigere potuero. Quod si quis autumat me suscepti mei gravitatem verbis exaggerare, hic *enthusiasmo* rei tantæ molis condendæ necessariò veniam det, precor! reputetque me nedùm, huic plantarum enumerationis utilitati confisum fuisse, conatus contra acres dedisse ut indefessâ curâ, atque labore improbo opus meum publico assensu non indignum efficerem; cumque hujus libri utilitas præcipua in hoc stet, nempè, ut clarè pateat quis fiduciæ gradus unicuique mearum assertionum sit tribuendus, fusiùs hic lubet exponere tùm libri systema generale, tùm adminicula mihi in hujus confectione obvia, tùm cautelas omnes religiosè à me adhibitas, ut quisque in posterum vel minima errata, sive aliena à me recepta, sive mihi propria, prospicere et corrigere facilè possit.

Universum regni vegetabilis systema aggressurus, diù primùm de normis logicis in hoc opere observandis attentiùs cogitavi, et cùm istæ normæ in minimas usque operis portiunculas fusuræ atque influxuræ necessariò essent, has judicio botanicorum priùs submittere utile censui. Botanices ergò *Theoriam elementarem*, seu ut nonnulli voluerunt, *philosophicam*, ineunte anno 1813 edidi (1); quæ ut vera

(1) *Théorie élémentaire de la Botanique*, 1 *vol. in*-8., *Paris*. Quod

hujusce operis præfatio est habenda; per hos quatuor recens elapsos annos botanicorum sententiam cupidè exspectavi; objectiones nonnullas in me publicè motas aut intra privatos parietes colloquio mecum communicatas, sedulò perpendi; ingenuè verò fateor objectiones omnes hucusque propositas nullo modo meam, circa theoriæ fundamenta aut ejus graviora theoremata, opinionem concussisse; observationes circa puncta specialia ritè institutas grato animo excepi; sed ipsâ botanicorum illustriorum sententiâ invitatus, normas in *Theoriâ elementari* institutas præsenti in hoc libro constanter sequar.

Totius libri partibus ope Theoriæ elementaris sic grossè digestis, primùm iis ordinibus totus incubui, qui primi in serie à me admissâ se sponte offerebant. Idem tempus, eamdem curam eis impendi, quam impendissem, si tantùm ordinis cujusdam monographiam specialem in mente habuissem; quamdiù series incompleta remanebit, artusque meos reget spiritus simili modo, si fata sinunt, pergam; unumquodque volumen absolutum, summorum Lamarckii, Wildenowii, Wahlii, Persooniique exemplo ductus, in lucem edam, ut botanicus partibus, quantùm in me erit, pro scientiæ statu præsenti, perfectis quisque frui possit, et ut mei ipsius vires, quales sint, in definitum et limitatum circulum coactæ, majores et susceptæ molis minùs dispares tali modo evadant.

Ut laboris mei ratio seu modus innotescat, dicam me semper à particularibus ad generalia devenisse; primùm species omnes generis cujusdam individuè exploravi; tùm characteres genericos descripsi; similiter omnibus ordinis generibus incubui, et ordinis characteres, qui ex notis genericis omnibus conflantur, exposui; hoc confecto, ad genera et species remigrans, ex characteribus genericis omnia satis in ordinali, ex specificis omnia in generico, admissa suppressi; undè fit ut ordo in libri evulgatione observatus ordini laboris ipsius quasi ex diametro oppositus sit.

Hoc primo labore, ope documentorum quæ propria collecta mea mihi suppeditabant absoluto, eum tantùm me-

---

opus in germanicum sermonem versum et notis locupletatum à cl. Rœmer sub titulo: *Theoretische anfangsgründe der Botanik*, 2 *vol. in* 8. *Zurich*, 1814.

ram adumbrationem habui; penatibus ergò valedicens, per menses nonnullos Parisiis Londinique moratus sum, ut in hisce orbis litterati sine lite primariis urbibus, doctorum consiliis uti, libros alibi mihi negatos reperire, splendidaque musæa plantis sive vivis, sive siccis, è quâcumque terræ plagâ asportatis locupletata, invisere et pervestigare possim; in utrâque civitate immensos reperi botanicos thesauros, quos humanissimè mihi possessores aperuerunt: beneficiorum in me collatorum narratio simplex forsan in hujus operis limine utilitate non carebit, simulque mei gratum animum palàm testabitur.

Herbarium meum, quod ex ordine laboris primùm memoro, constat, non tantùm è stirpibus quas ipse per Galliam totam (1) regionesque finitimas legi, sed è plurimis aliis à botanicis amicis mihi concessis; harum mentionem specialem in opere meo sæpissimè lubens faciam; hîc tantùm sunt notandæ præcipuæ ex exoticis plantis quæ mecum fuerunt communicatæ, nempè Atlanticæ à cl. Desfontaines, Ægyptiacæ à cl. Coquebert-Montbret et Delile, Mogadorienses et Canarienses à cl. Broussonnet, Canarienses et Maderienses à cl. Chr. Smith, Australes à cl. Labillardière et Brown, Americanæ à cl. Bosc et Lagasca, Sibiricæ et Rossicæ à cl. Fischer, Hungaricæ à cl. Kitaibel, Tauricæ à cl. Beaupré, Capenses, Indicæ, Japonicæ et Chinenses à cl. Delessert et Lambert, etc. etc. quibus addas species omnes quarum cl. Thibaud per Hispaniam iter facientem Hispani botanici cl. Cavanilles, Née, Ruiz, Pavon etc. participem fecerunt, et insuper herbarium integrum L'heritieranum nunc meum: inter L'heritieri stirpes non tantùm eæ adsunt quas ipse descripsit, sed adhuc species Caribeæ à cl. Swartz et Badier, Americanæ à cl. Fraser et Michaux, Cayennenses à cl. Patris, Africanæ à cl. Smeathman et Bruguière collectæ.

Absoluto herbarii mei studio, Monspelii perpendendum se mihi obtulit herbarium Facultatis medicæ in horto botanico servatum; addas herbaria privata, speciatim cl. Bouchet, qui Magnolii et Broussonnetii collectiones possidet: cl. meus Dunal, qui, olim egregius discipulus, nunc amicus carissimus, labore proprio genera integra (quæ sedulò designabuntur) interdùm pro me suscepit et descripsit. Iis omnibus

(1) Confer *Flore française, vol.* 6, in præfatione.

addas cl. Moçino Hispano-Mexicanum, ævi nostri discordiis Monspelium adductum, qui mecum humaniter egregias et ineditas communicavit icones descriptionesque ab ipso et à cl. Sessé et Cervantez per quindecim annos in itineribus variis per Mexicanum imperium concinnatas, quarum omnium scientia, à politicis litibus abhorrens, evulgationem avidissimè exoptat.

Parisios petivi, ibique nova pretiosissimaque subsidia mihi præbuerunt botanicorum humanitas et amicitia; egregii Historiæ naturalis Musæi professores integram mihi licentiam dederunt innumeris studendi collectionibus quæ in hoc nobilissimo naturæ et scientiarum templo asservantur: herbaria celeberrima Tournefortii, Vaillantii, Commersonii, Dombeyi, Michauxii, Leschenaultii, Baudini, Bruguieri et Oliverii ibi ritè disposita non paucas circa plantas jam cognitas observationes pluriumque specierum ineditarum descriptiones suppeditârunt; cum liberalitate publicâ privata luctavit benevolentia: herbarium suum ditissimum mihi obtulit celeberrimus Floræ Atlanticæ indagator Endogenarumque structuræ observator R. L. Desfontaines, qui, olim et adhuc nunc magister meus carissimus, me semper doctissimis consiliis et paternâ fovet amicitiâ. Inclytus ordinum naturalium auctor A. L. de Jussieu, comitate suâ non minùs quàm scientiâ notus, mihi istud aperuit musæum, à tot annis celebre, quod Isnardus, Surianus, et tres Jussiæi (Antonius nempè, Josephus, et omnium princeps Bernardus) per seculum integrum locupletârunt. Devinctissimus amicus meus Benj. Delessert, qui, publicæ utilitati vitam et scientiis otia impendit, meam quasi fecit collectionem suam, in quâ plura ditissima servantur herbaria, nempè Monnieri, Burmanni, Ventenatii etc., necnon plantæ omnes quas collegerunt in Syriâ Labillardière, in Persiâ Michaux, in Sibiriâ Patrin, in insulis Americanis Riedlei et Poiteau etc. Celeberrimus inter peregrinatores præstantiores Alex. de Humboldt, ejusque inclyti collaborantes Bonpland et Kunth plantas et diagnoses characteristicas ad ordines mihi primùm obvios pertinentes et ab illis in proprio et aureo libro in posterum evulgandas, rarâ cum sinceritate mecum communicaverunt. Cl. carpologus Lud. Richard, qui, ad nimiam forsan perfectionem tendens, tot ineditos possidet thesauros,

plantarum necnon observationum suarum pretiosissimarum me sæpè participem fecit. Ne tandem in enarrandis tot beneficiis diutiùs morer, unum hoc addam clarissimos botanicæ methodicæ fautores LAMARCK, THOUIN, PERSOON, necnon celeberrimos peregrinatores LABILLARDIÈRE, PALISOT DE BEAUVOIS, BOSC, AUBERT DU PETIT-THOUARS, DELILE, TURPIN, et alios, hâc cum humanitate scientiarum amoris sociâ, et à me nunquàm satis laudandâ, herbaria sua mihi aperuisse, dùm cl. DELEUZE in humanioribus necnon in botanicis litteris egregius, erga me censoris vicem pro se amicissimè susceperat.

Tot et tantis collectaneis sedulò perlustratis, plantarum industriâ humanâ in longinquis plagis collectarum numerus exhaustus videbatur; sed Anglica Musæa quæ adii, in regionibus quas rariùs Gallici peregrinatores perlustrârunt præcipuè collecta, me novarum attentioneque dignissimarum divitiarum participem fecerunt; eâdem benignitate, eodem obsequio Angliæ botanici collectiones suas mihi aperuerunt. Illustrissimus JOSEPHUS BANKS, qui tanto cum splendore vitam, tempus, opes et auctoritatem scientiis addixit, mihi liberaliter usum ditissimæ suæ bibliothecæ concessit, nec non herbarii hujus jam sæpè à botanicis laudati, in quo collecta reperiuntur herbaria CLIFFORTII, MILLERI, JACQUINI, AUBLETII, ut et plantæ ab ipso BANKSIO et à cl. SOLANDRO in Cookianis itineribus, stirpes in novâ Hollandiâ à cl. CALEY, WHITE et aliis, in Chinâ à cl. GEORG. STAUNTON, in Canariis et ad promontorium Bonæ Spei à cl. FR. MASSON, in Indiâ à cl. ROXBURGH, HORE, etc., in Americes littoribus occidentalibus à cl. MENZIES, DAV. NELSON etc. etc. collectæ. Celeberrimus Pinorum monographus A. B. LAMBERT, hâc cum liberali amabilique humanitate suâ, mihi facillimam ansam obtulit thesauros perlustrandi botanicos locupletissimi herbarii sui, in quo inter alia citanda veniunt herbaria integra PALLASII et PURSHII, necnon stirpes quas in Oriente cl. CLARKE, in Indiâ cl. BUCHANAN et ROXBURGH etc. etc. collegerunt. Dignissimus Floræ Britannicæ auctor cl. J. E. SMITH, non tantùm herbarii sui ditissimi me participem comiter fecit, et circa species SIBTHORPIANAS dubitationes aliquot solvit, sed adhuc aditum liberè concessit ad herbarium LINNÆANUM nunc suum, præ aliis in synonymiâ momentosum, nec sine veneratione summâ adeundum!

Clar. Novæ Hollandiæ perlustrator Rob. Brown mihi amicissimè has species impertivit quæ ad ordines in libro nostro primos obvios pertinent, et quas ipse in prodromo isto à botanicis meritò celebrato descripturus est; tandem omnes Angliæ botanici mihi in itinere breviori obvii cl. Salisbury ordinum naturalium susceptique nostri fautor acerrimus, cl. W. J. Hooker et D. Turner cryptogamicis studiis egregiè dediti, necnon cl. Sims, Ker, Aiton, J. Walker, Lee etc. qui innumeris hortorum Londinensium divitiis indesinenter addunt et student, obsequio quasi invicem æmulantes, opus meum communicationibus in ipso libro memorandis non parùm ditaverunt.

Ordinum monographiæ quas nunc profero sunt ergò ex sedulâ conscriptæ autopsiâ omnium ferè, seu saltem numero et dignitate præcipuorum musæorum à botanicis et peregrinatoribus labore impigro collectorum; quanquam operis difficultatem eximiam ejusque cum viribus meis fortè non adæquatam amplitudinem, imo pectore sentiam, meis tamen non possunt oculis abscondita remanere commoda quæ ex tantis conjunctis auxiliis necessariò oriuntur.

Hæc inter commoda præcipuè ingens specierum nondùm alibi descriptarum numerus notandus est: ordines in quibus minora reperiuntur additamenta, duplices tamen triplicesve per specierum numerum facti sunt, et nonnulli cum Wildenowiano libro collati quadrupli imò et quini. Verùm plantarum descriptarum copia, quamvis non spernenda, non tam, ut opinor, per se pluris est momenti, quàm potiùs per majorem *acribeiam* ita nomenclaturæ classificationique partam: synonymia, seu variorum cujusque plantæ nominum genuina correlatio, suscepti à me laboris pars utilior est forsàn, sed certè periculosior. Botanici omnes qui nullius addicti magistri in verba jurârunt, et proprio quasi marte laboraverunt, probè sciunt quàm difficilis sit synonymia ex meris descriptionibus petita, et quantùm speciminis, imò incompleti, sed ab auctore ipso nomine insigniti, aspectus opinionem corrigat et illuminet; hoc synonymiæ criterium imprimis in herbariorum studio et epistolarum commercio quæsivi, et ut quisque in quovis speciali casu fiduciæ gradum unicuique citationi tribuendum tutò cognoscat, signo exclamationis (!) post auctoris nomen apposito, synonyma ex auctoris ipsius specimine petita notavi; nomina ferè

omnia, cuique speciei in variis temporibus adsignata, quantùm novi, citavi, sed cuique nomini citationem characteris sæpè falsi, semper inutilis, quo planta olim distinguebatur, subjungere, nec non designationem auctorum qui nec descriptionem, nec iconem, nec historiam dederunt, supervacaneum omninò censui. Synonyma omnia temporis ordine, à pristinis ad recentiora pergens, digessi, ut quisque, tali serie ductus, plantæ inventorem, scientiæ fata, et nominis à me recepti causam facilè noscat: hâc enim normâ in nominibus admittendis semper ductus sum, nempè, methodicam nomenclaturam à Linnæo conditam fuisse ideòque ab hâc epochâ nomen vetustius semper admittendum esse, nisi plantæ ipsi omninò contradicat, aut nomenclaturæ regulis essentialibus oppositum sit, aut alii plantæ jam additum.

Inter cautelas à me receptas ut quisque errores meos in posterum perspiciat, notanda est methodus Lamarckiana, quâ signis propriis infrà explicandis omnia ab auctore visa designantur; non tantùm indicavi me hanc vel illam speciem vivam siccamve, spontaneam aut cultam, vidisse; sed specie quâdam in herbario meo deficiente, sedulò notavi in quonam musæo specimen hujus vidi, sicque in posterum quisque ipsissimum specimen à me descriptum facilè reperire poterit.

Plantarum patriam negligenter, me judice, hucusque in libris generalioribus botanici indicaverunt; nullo etenim discrimine habito confusæ leguntur habitationes, seu ex autopsiâ, seu ex hortulanorum testimonio, seu ex herbariorum adnotationibus, seu ex meris synonymis receptæ; undè fit ut errores omnes in libris nostris nunc obvii, reverà in geographiæ botanicæ detrimentum, sint ferè inextricabiles; hæc sphalmata saltem præcipua, quantùm potui, vitavi ope methodi merè typographicæ hîc paucis verbis indicandæ: nomen regionis addito auctoris nullius nomine indicat me ipsum plantam in patriâ legisse: nomen regionis addito auctoris cujusdam nomine litteris *cursivis* scripto, indicat patriam ex hujus autoris testimonio fuisse citatam, et me ipsum specimen quoddam ex hâc regione ortum vidisse: nomen regionis addito auctoris cujusdam nomine litteris romanis scripto et uncis incluso indicat me nullum ex hâc regione ortum specimen vidisse, et synonymiæ soli fidem habuisse.

Quotiescunque de plantâ planè novâ aut rarissimâ agitur, nomen peregrinatoris qui illâ scientiam ditavit, sedulò notavi; justissimus et verè debitus videbitur hic honor iis qui, incrementi scientiarum gratiâ, littora longè remota mariaque procellosa vitæ periculo adierunt, et gaudia pertentant pectus meum, quotiescunque scientiæ societatisque communis interpres grato cunctorum animo hæc peregrinatorum sacrificia inventa et beneficia commendare possum! utinam religiosa attentio, quâ gloriæ partem suam cuique tribuo, viatores incitet et collectores et observatores omnes quibus sua in lucem edendi occasio deest, ad reperta observataque sua mihi communicanda, ut hæc, istorum, virorum quasi notor et evulgator, secùs ordinem et sub inventorum nomine in plantarum systemate universali inseram! Hoc etiam magnoperè aveo generum scilicet ordinumve reperire monographias; hæ mihi, in longo meo itinere, ut viatori sub sole fervido fontes uberrimi, jucundissimæ venient; omnes ergò tot quot sint tirones opinione consiliove meo movendos oro atque obsecror, ut sese ad generis ordinisve monographiam studiosè accingant, et sic ad futuros Botanices progressus quisque, pro parte suâ, concurrant; à monographis solis etenim, ut jam scripsit cl. Trattinick, vera utilitas et stabiles studii nostri progressus expectari debent.

Plantarum ritè cognitarum (quod è synonymiâ facilè eruitur) descriptionem nullam, meo enim sensu superfluam, ultra characterem specificum dedi, aut eam ad observationes paucissimas contraxi; sed quoad stirpes novas aut non satis cognitas, phrasi characteristicæ descriptionem subjunxi, ad summa tamen capita redactam, ut cum affinibus speciebus minùs operosè hæ species conferri queant.

Methodus quâ varietates in libris botanicis indicatæ fuerunt, mihi sæpè non satis accurata visa est; varietates etenim majoris et minoris momenti iisdem signis et unâ eàdemque serie designantur; sæpè etiam variationes diversæ in iisdem speciminibus combinantur; litterarum græcarum seriem et nominum varietatum usum tantum admisi in iis casibus ubi dubitare licet annon varietas sit forsàn species altera, aut saltem cùm adeò frequens sit et constans, ut eam multi pro specie habuerint, aut in hortis per tempus notabile sit servanda. Quoad meras variationes, inter se

multiplici modo combinandas, eas et præcipuas tantùm ad descriptionis calcem et secùs organorum seriem breviter indicavi.

Hæc semper ob oculos præ omnibus habui, nempè genera in sectiones naturales divellere, ideòque species juxta affinitates veras intra generis limites disponere. Methodi naturalis normæ huic tali dispositioni adaptatæ, novum, me judice, in scientiæ minimos usque anfractus lumen effundunt; sic species inter se ritè ordinantur; sic generum novorum nimia vitatur multiplicatio; quotiescunque alicujus generis sectiones verè sunt naturales (id est, non per unicum characterem, sed per plurium collationem stabilitæ) has nomine proprio saluto; sed sectionibus merè artificialibus (id est, facilitati soli inservientibus) nomen præfixi nullum, ne nomine decepti iis tirones pondus nimium tribuant; eâdem methodo usus sum in generibus intra ordinum et ordinibus intra classium limites disponendis.

Hæc est *ichnographia* operis cujus hodiè primum volumen botanicorum judicio submitto, cuique in posterum vitam meam totam sum impensurus; opus equidem periculosum et aleâ plenum, sed utilissimum! Quâ fretus utilitate, scientiæ magistrorum indulgentiam oro, et hanc, si dicere fas est, spero : semper enim indulgentiam veræ scientiæ sociam animadverti; quicunque difficultates superârunt, præ aliis experientiâ propriâ callent veritatis viam arduam esse, maculasque imò non paucas in tanto rerum numero et varietate esse ignoscendas.

Dabam Genevæ 28 *octob.* 1816.

A. P. De Candolle.

SIGNORUM VOCUMQUE

ABBREVIATARUM

EXPLICATIO.

⊙ Planta *monocarpica*, nempè unicâ vice fructificans, sed cujus duratio est ignota, incerta aut varia.

① Planta *monocarpica annua*, nempè unicâ vice fructificans, et per annum ad summum vitam totam degens.

② Planta *monocarpica biennis*, nempè unicâ vice secundo tantùm anno fructificans.

⊛ Planta *monocarpica perennis*, nempè per plurimos annos ante florescentiam crescens et post eam moriens.

♃ Planta *rhizocarpica*, nempè cujus caulis unicâ vice fructum fert, deindè moritur, et annis sequentibus alii caules fructiferi è radice perenni exsurgunt.

♄ Planta *caulocarpica*, nempè cujus caules persistunt et pluries fructum edunt, sed cujus magnitudo est ignota aut incerta.

♄ Planta *caulocarpica suffrutex*, nempè fruticosa et cujus altitudo ad summum pedalis bipedalisve.

♄ Planta *caulocarpica frutex*, nempè fruticosa et cujus altitudo variat, à 2 ad 10 pedes, et cujus anni ab ipsâ trunci basi oriuntur.

♄ Planta *caulocarpica arbuscula*, nempè fruticosa et cujus altitudo est inter 10 et 25 pedes, et cujus truncus basi denudatur.

♄ Planta *caulocarpica arbor*, nempè fruticosa et cujus altitudo 25 pedes superat.

⌣ Planta scandens.

(Dextrorsùm scandens.

) Sinistrorsùm scandens.

△ Semper virens.

♂ Planta seu flos masculus.

♀ Planta seu flos femineus.

☿ Planta seu flos hermaphroditus.

∞ Numerus indefinitus, sic : ∞-*fidus* legendus *multifidus*, ∞-*phyllus* legendus *polyphyllus*.

? Signum dubitationis, quoad verbum seu phrasin, seu nomen præcedens.

! Signum exclamationis ; in descriptionibus indicat characterem valdè singularem, seu momentosum, in synonymiâ synonymon ex specimine ab auctore ipso inscripto erutum.

† Signum indicans speciei generisve characterem non satis notum esse.

* Signum post auctoris synonymon indicat in hujus libro adesse plantæ descriptionem completam.

§ Signum indicans divisiones generum aut ordinum facilitati soli inservientes nec nomine ullo ideò donatas.

AEst. AEstate.

Alb. Albumen seu Perispermum.

Anth. Anthera.

Apr. Aprili.

Aug. Augusto.
Aut. Autumno.
B. Beatus seu defunctus.
Br. Bractea.
Cal. Calyx.
Cald. Caldario.
Carpel. Carpellum sive Pericarpium partiale fructûs multiplicis.
Carpid. Carpidium sive Pericarpium partiale fructûs aggregati.
Cel. Celeberrimus.
Char. } Character.
Char. }
Char. diff. Character differentialis.
Caul. Caulis.
Cl. Clarissimus.
Cor. Corolla.
Cot. Cotyledones.
Dec. Decembri.
Descr. Descriptio.
Diss. Dissepimentum.
Ed. Editio.
Excl. Excludendo.
Emb. Embryo seu corculum.
Febr. Februario.
Fil. Filamentum.
Fl. Flos.
fl. floret.
Fol. Folium.
Fr. Fructus.
fr. fructificat.
Fr. Character ex organis fructificationis desumptus.
Fun. Funiculus umbilicus.
Gen. Genus seu genericus.
H. Herbarium.
Hab. } Habitat seu sponte crescit.
Hab. }
Hexap. Hexapodium seu sex pedum longitudo.
Hort. Hortus.
Hortul. Hortulanus.
Hosp. Hospitatur.
Ic. Icon.
Ic. b. Icon bona.
Ic. l. Icon lignea.
Ic. m. Icon mala.
Ic. p. Icon picta.
Ined. Ineditus.
Jan. Januario.
Jul. Julio.
Jun. Junio.
Lat. Latus seu latitudo.
Lin. Linea.
Long. Longus seu longitudo.
L. c. Loco citato.
Loc. Loculamentum.
Mat. Matutinus.
Mart. Martio.
Mss. Manuscriptum.
Mus. Musæum.
N. Numerus.
Nom. Nomen.
Oct. Octobri.
Ov. Ovarium.
Obs. Observationes.
Par. Parisiensis.
P. Pagina.
Ped. Pedunculus.
ped. pedalis seu pedem longus.
Peric. Pericarpium.
Perig. Perigonium.
Pet. Petalum.
Pist. Pistillum.
Pom. Pomeridianus.
Plac. Placenta.
Poll. Pollicaris.
Rad. Radix.
Ram. Ramus.
Rec. Receptaculum.
Sep. Sepalum seu calycis pars.
Stam. Stamen.
Sect. Sectio seu generis divisio naturalis.
Stigm. Stigma.
Stip. Stipula.
Sp. Species seu specificus.
Segm. Segmentum.
Sept. Septembri.
Syn. Synonymon.
Sem. Semen.
T. Tabula.
Tep. Tepidarium.
Trib. Tribus seu ordinis divisio naturalis.
Vern. Vernaculè.
V. Volumen.
V. s. c. Visa sicca culta.
V. s. s. Visa sicca spontanea.
V. v. c. Visa viva culta.
V. v. s. Visa viva spontanea.
Veg. Character ex organis vegetationis aut habitu desumptus.
Vir. Vires.

BIBLIOTHECA BOTANICA

SIVE

ENUMERATIO AUCTORUM LIBRORUMQUE BOTANICORUM, IN HOC OPERE CITANDORUM (1) ALPHABETICO ORDINE AD OBSERVATIONUM EXPLICATIONEM DIGESTA.

A.

Aa Icon. VAN DER AA (P.). Icones arborum fruticum et herbarum exoticarum. 1 vol. oblong. sine anno et loco.

Abb. fl. bedf. ABBOT (Charles). Flora Bedfordiensis. 1 vol. in-8. *Bedford*, 1798.

Abel. med. Kraut. ABEL (Henr. Casp.). Medicinisches Kræuter-Paradiesgærtlein. 1 vol. in-12. *Francf.* 1740.

Abend. ic. pl. ABENDROTH (A. A.) Vide *Giseke.*

Aberc. Vad. ABERCROMBIE (John). The garden vade mecum. 1 vol. in-12. *London*, 1789.

— *Kitch.* ID. The complete Kitchen gardener. 1 vol. in-12. *London*, 1789.

— *Un. Kal.* ID. The universal Gardener's kalendar. 1 vol. in-12. *London*, 1789.

Aberc. sap. ABERCROMBY (David). Ars explorandi medicas plantarum facultates ex solo sapore. In-8. *Londini*, 1685.

Abhand. baier. akad. wiss. Abhandlungen der Churfürstlich-Baierischen Akademie der Wissenschaften. 6 vol. in-4. *München*, 1763-1769.

Abhand. ges. Bœhm. Abhandlungen einer Gesellschaft in Bœhmen, zur aufnahme der Mathematik, der vaterlændischen Geschichte und der Naturgeschichte. In-8. *Prag.* 1775-1789.

Abhand. nat. ges. Dantz. Versuche und Abhandlungen der Naturforschenden Gesellschaft in Dantzig. In-4. I, 1747; II, 1754; III, 1756. — Neue saml. I, 1778.

Abhand. nat. ges. Hall. Abhandlungen der Hallischen Naturforschenden Gesellschæft. 1 vol. in 8. *Dessau* und *Leipzig*, 1783.

Abhand. nat. ges. Zur. Abhandlungen der Naturforschenden Gesellschaft in Zürich. 3 vol. in-8. *Zürich.* I, 1761; II, 1764; III, 1766.

Abu Zac. agr. ABU ZACARIA, etc. Libro de Agricultura traducido al castellano y anotado por Joseph Ant. Banqueri. 2 vol. in-fol. *Madrid*, 1802.

Accor. Theoph. expl. ACCORAMBONUS (Felix). Sententiarun difficilium Theophrasti in libro de plantis explicatio. 1 vol. in-fol. *Romæ*, 1590.

Ach. prod. ACHARIUS. (Erick). Lichenographiæ suecicæ Prodromus. 1 vol. in-8. *Lincopiæ*, 1798.

— *Meth.* ID. Methodus quâ omnes detectos Lichenes ad genera, etc. redigere tentavit. 1 vol. in-8. *Stockholmiæ*, 1803.

— *Lich.* ID. Lichenographia universalis. 1 vol. in-4. *Gottingæ*, 1810

Act. acad. Erford. Acta Academiæ electoralis moguntinæ scientiarum utilium,

(1) Auctores aut libri in hâc enumeratione non designati, inquirendi sunt: si vetustiores, in Halleri Biblioth. botanicâ aut Dryandri Bibl. Banksiana; si recentiores aut per operis nostri publicationem editi, in Bibl. botan. supplemento ad ultimi voluminis calcem edituro. — In operibus pluries impressis, signo ! notavi editionem istam quam sine designatione adhibeo.

quæ Erfordiæ est. 2 vol. in-8. *Erf.* et *Gothæ*, 1757-1761, reliq. in-4. ab ann. 1776-1795.

Act. Acad. Petrop. Acta Academiæ scientiarum imperialis Petropolitanæ pro ann. 1777-1782. In-4. *Petropoli.*

Act. nov. Acad. Petrop. Nova Acta Academiæ scient. imper. Petropolitanæ ab ann. 1783.....1816. In-4. *Petropoli.*

Act. ac. nat. cur. Vid *Abhand. nat. ges. Dantz.* — *Abhand. nat. ges. Hall.* — *Neu. Schrift. ges. nat. fr. Berl.* — *Beob. ges. nat. fr. Berl.* — *Schrift. Berl. ges. nat. fr.* — *Besch. Berl. ges. nat. fr.* — *Act. nat. cur.* — *Ephem. nat. cur.*

Act. Amer. Vid. *Mem. Amer. Acad. et Trans. Amer. soc.*

Act. Amstel. Vid. *Verhand. Amsterd.*

Act. Batav. Vid. *Verhand. Batav.*

Act. Bav. Vid. *Abhand. baier. akad.*

Act. Beng. Vid. *Asiat. res.*

Act. Berol. Vid. *Mem. acad. sc. Berl. et Hist. acad. sc. Berl. et misc. Berol.*

Act. Bohem. Vid. *Abhand. ges. Böhm.*

Act. Bon. Vid. *Comm. inst. Bonon.*

Act. Brux. Vid. *Mem. acad. Brux.*

Act. Dan. Vid. *Schrift. Kiobenh.* — *Schrift. Dansk.* — *Schrift. nat. hist. Kiobenh.* — *Saml. Scrift. Dansk.* — *Act. Hafn.*

Act. Edimb. Vid. *Trans. soc. Edinb.* — *Ess. soc. Edinb.*

Act. erud. Acta eruditorum quæ Lipsiæ publicantur. 50 vol. in-4. à 1682 ad 1731.

Act. erud. nov. Nova Acta eruditorum ab annis 1732-1776 publicata. In-4. *Lipsiæ*, 45 vol.

Act. erud. nov. suppl. Ad nova Acta eruditorum Lipsiæ supplementum. 8 vol. In-4. ib. 1735-1754.

Act. Gedan. Vid. *Abhand. nat. ges. Dantz.*

Act. Gœtt. Vid. *Comm. soc. sc. Gœtt.*

Act. Hafn. Vid. *Barth. act. Hafn.* — *Act. univ. Hafn.* — *Coll. soc. med. Hafn.* et *Act. Dan.*

Act. Harl. Vid. *Verhand. Haarl.*

Act. Hass. Vid. *Act. soc. acad. Hass.*

Act. Helv. Acta helvetica physico-mathematico-botanico-medica. 8 vol. in-4. *Basileæ*, 1751-1777.

Act. Helv. nov. Nova Acta Helvetica. 1 vol. in-4. *Basileæ*, 1787.

Act. Hib. Vid. *Trans. Ir. Acad.*

Act. Holm. Vid. *Handl. svensk. Acad.*

Act. Ital. Vid. *Mem. soc. Ital.*

Act. Laus. Vid. *Mem. soc. Laus.*

Act. Lips. Vid. *Schrift. Leipz. ak. soc. et Act. erud.*

Act. Lond. Vid. *Phil. trans.* — *Med. Trans.* — *Mem. soc. med. Lond.*

Act. Lund. Vid. *Handl. phys. sälsk.*

Act. Lus. Vid. *Mem. acad. Lisb.*

Act. Monsp. Vid. *Hist. soc. roy. sc. Montp.* — *Bull. soc. Montp.*

Act. Nap. Vid. *Att. Acad. Nap.*

Act. nat. cur. Acta physico-medica Academiæ cæsareæ naturæ curiosorum. In-4. vol. 10 ab anno 1725 ad 1754. *Norimbergæ.*

Act. Nidr. Vid. *Act. Norv.*

Act. nov. nat. cur. Nova Acta physico-medica Academiæ cæsareæ Leopoldino-Carolinæ naturæ curiosorum. 7 vol. in-4. *Norimbergæ*, 1757-1783.

Act. Nem. Vid. *Not. acad. Gard.*

Act. Norv. Vid. *Schrift. selsk. norv.*

Act. Noveb. Vid. *Trans. soc. agr. New-Yorck.*

Act. Pat. Vid. *Sagg. acad. Pad.*

Act. Pal. Vid. *Comm. acad. sc. Theod. Pal.*

Act. Par. Vid. *Mem. acad. sc. Par.* — *Mem. Inst.*

Act. Petrop. Vid. *Comm. acad. sc. Petrop.* — *Act. acad. Petrop.* — *Comm. nor.* — *Act. nov. ac. Petr.*

Act. Philad. Vid. *Trans. Amer. soc.*

Act. Rott. Vid. *Verhand Rotterd.*

Act. Sen. Vid. *Atl. ac. Seen.*

Act. soc. acad. Hass. Acta philosophico-medica Societatis academicæ scientiarum principalis Hassiacæ. 1 vol. in 4. *Giessæ*, 1771.

Act. soc. em. Anvers. Actes et Mémoires de la Société d'émulation d'Anvers. In-8. 1801 et seq.

Act. soc. Lin. Vid. *Trans. Lin. soc.*

Act. Suec. Vid. *Handl. svensk. Acad.* et *Act. ups.*

Act. soc. hist. nat. Par. Actes de la société d'histoire naturelle de Paris. 1 vol. in-fol. *Paris*, 1792.

Act. Taur. Vid. *Mem. acad. Tur.* — *Melang. soc. Tur.* — *Misc. Taur.*

Act. Tol. Vid. *Mem.* acad. Toul.

Act. Turic. Vid. *Abhand. nat. ges. Zür.*

Act. Ultraj. Vid. *Verhand. Utregt.*

Act. univ. Hafn. Acta litteraria universitatis Hafniensis. 1 vol. in-4. *Hafniæ*, 1778.

Act. Ups. Acta litteraria et scientiarum Upsaliæ aut ab academia Upsaliensi

publicata. 2 vol. fere, ann. 1720-1816, sub titulis paululum diversis.

Act. Vliss. Vide. *Verhand Vlissing.*

Adam. ged. ADAM. (Ernst Dan). Gedanken ueber die seltenheiten eines Buchbaumes. In-8. *Breslau*, 1756.

Adams micr. ADAMS (Georg.). Micrographia illustrata. In-4. *Londini*, 1746.

Adans. Sen. ADANSON (Michel). Histoire naturelle du Sénégal. 1 vol. in-4. *Paris*, 1757.

— *Fam.* Id. Familles des Plantes. 2 vol. in-8. *Paris*, 1763.

Æng. herb. VON ÆNGELEN (Petrus). Herbarius of de uatuerlijoka secreten von kruydon boomen bloomen, etc. 3 vol. in-8. *Amsterdam*, 1663.

Affeyt. ort. AFFEYTAT (Carolus). Il simplice ortolano in villa etc. con un trattato de Garofani. 1 vol. in-12. *Milano*, 1734.

Afz. obs. AFZELIUS (Adam). De Vegetabilibus Suecanis observationes et experimenta, resp. Wadsberg. 1 fasc. in-4. *Upsaliæ*, 1785.

— *Gen. guin.* Id. Genera plantarum Guineensium, pars prima. In-4. *ib.* 1804.

— *Ros. suec.* Id. De Rosis Suecanis tentamen primum. *Ib.* 1804.

Agn. diss. laur. AGNETHLER (Mich. Gottl.). Dissertatio inauguralis de Lauro. 1 fasc. in-4. *Halæ*, 1751.

Ag. tract. AGOSTI (Josephus). De Re botanicâ tractatus, in quo præter generalem methodum et historiam stirpes recensentur agri Bellunensis et Fidentini. 1 vol. in fol. *Belluni*, 1770.

Agric. mus. The agricultural museum by D. Willy and W. A. Rind. 1 vol. in-8. *Georgetown*, 1811.

Aign. Prêtr. méd. AIGNAN. Le Prêtre médecin, avec un Traité du thé et du café de France. 1 vol. in-12. *Paris*, 1796.

Aik. Wool. comp. AIKIN (J.). The Woolland companion or a description of British trees. In-8. *London*, 1802.

Ait. h. kew. AITON (William). Hortus Kewensis, editio prima. 3 vol. in-8. *London*, 1789.

Ait. h. Kew. ed. 2a. AITON (Will. Townsend). Hortus Kewensis, editio secunda. 5 vol. in-8. *London*, I, 1810; II et III, 1811; IV, 1812, V, 1813.

— *Ic. kew.* Vide *Bauer.*

— *Epit.* Id. Epitome of the 2d edition, of hortus Kewensis. In-8. *London*, 1814.

Alb. Epid. gels. ALBERTI (Jacopo). Dell' epidemica mortalità de' Gelsi. 1 fasc. in-4. *Salò*, 1773.

Alb. Ror. ALBERTI (Michael). De Roremarino. Diss. In-4. *Halæ*, 1718.

— *Squil.* Id. De Squillâ diss. In-4. *Halæ*, 1722.

— *Val.* Id. De Valerianis officinalibus. diss. In-4. *Halæ*, 1732.

— *Err. pharm.* Id. De erroribus in pharmacopoliis ex neglecto studio botanico obviis diss. In-4. *Halæ*, 1733.

— *Bell.* Id. De Belladonna. diss. In-4. *Halæ*, 1739.

Alb. Virt. ALBERTUS (Magnus Grot). De virtutibus Herbarum, etc. 1 fasc. in-8. sine anno.

Alb. et Schw. fung. nisk. ALBERTINI (J. B. de) et SCHWEINITZ (L. D. de). Conspectus Fungorum in Lusatiæ superioris agro Niskiensi crescentium. 1 vol. in-8. *Lipsiæ*, 1805.

Albin. The. ALBINUS (Bernhardus). De Thee. diss. In-4. *Franc. ad Od.* 1684.

— *Tab.* Id. De Tabaco. diss. In-4. *Francf. ad Viad.* 1695.

Albin. acad. ann. ALBINUS (Bern. Siegfr.) Academicarum annotationum, libri octo. *Leidæ*, in-4. I, 1754; II, 1755; III, 1756; IV, 1758; V, 1761; VI, 1764; VII, 1766; VIII, 1768.

Ald. farn. ALDINUS. (Tobias). Exactissima descriptio rariorum quarumdam plantarum quæ continentur Romæ, in horto Farnesiano. 1 vol. in-fol. *Romæ*, 1525.

Aldr. dendr. ALDROVANDUS. (Ulysses). Dendrologiæ naturalis libri duo. 1 vol. in-fol. *Bononiæ*, 1667.

Alib. Mat. méd. ALIBERT (J. L.). Nouveaux Elémens de Thérapeutique et de Matière médicale. 2 vol. in-8. édit. 2e. *Paris*, 1808.

— *Fièv.* Id. Traité des Fièvres pernicieuses. 1 vol. in-8. *Paris*, éd. I, 1799; éd. II, 1800; éd. III, 1801.

All. rar. ALLIONI (Carolus). Rariorum Pedemontii stirpium specimen. 1 vol. in-4. *Taurini*, 1755.

— *Nic.* Id. Stirpium præcipuarum littoris et agri Nicæensis enumeratio methodica. 1 vol. in-8. *Paris*, 1767.

— *Fl. ped.* Flora Pedemontana. 3 vol. in-fol. *Taurini*, 1785.

— *Auct.* Id. Auctuarium ad floram Pedemontanam. 1 fasc. in-4. *Taurini*, 1789.

Alp. Pl. Æg. ALPINUS (Prosper). De

Plantis Ægypti liber. 1 vol. in-4. edit. 1. *Venetiis*, 1592; ed. 2, *Patavii*, 1640. Et in ejus Hist. nat. Æg. vol. 2. p. 1-84.

— *Bals.* Id. De Balsamo Dialogus. 1 fasc. in-4. edit. 1. *Venetiis*, 1592; edit. 2, *Patavii*, 1639. Version française, par Colin, 1619.

— *Rhap.* Id. De Rhapontico Disputatio. 1 fasc. in 4. *Patavii*, 1612.

— *Exot.* Id. De Plantis Exoticis, libri duo. 1 vol. in-4. *Venetiis*, 1629.

— *Hist. Ægypt.* Id. Historia naturalis Ægypti. 2 vol. in-4 *Lugd-Bat.* 1735.

Alst. ind. Edinb. Alston (Charles). Index Plantarum quæ in horto Edimburgensi demonstrantur. 1 vol. in-8. *Edinb.* 1716.

— *Tir.* Id. Tirocinium Botanicum. 1 vol. in-12. *Edimburgi*, 1753.

— *Bot.* Id. Dissertation on Botany. 1 Diss. in-8. *London*, 1754. Ex Tirocinio anglice translata.

Aly. Bot. Alyon. Cours de Botanique, pour servir à l'éducation des enfans de S. A. S. monseigneur le duc d'Orléans. 1 fasc. in-fol. *Paris.*

Amat. Dioscor. Amatus Lusitanus (I. E. Joh. Roder. de Castelblanco). In Dioscoridis de materia medica libros enarrationes. 1 vol. in-4. *Venetiis*, 1557.

— *Dioscor. ed.* 2. Id. Cum adnotationibus R. Constantinii et iconibus ex Fuchsio et Dalechampio. 1 vol. in-8. *Lugduni*, 1558.

Amb. hort. Bon. Ambrosinus. (Hyac.). Hortus studiosorum Bononiæ, pars 1. Catalogus arborum fruticum, etc. pars 2. Novarum plantarum historia. 1 vol. in-4. *Bononiæ*, 1657.

— *Phyt.* Id. Phytologia, I. O. de plantis. Partis primæ tomus primus. 1 vol. in-fol. *Bononiæ*, 1666.

Amm. Ruth. Amman (Johan). Stirpium rariorum in imperio Rutheno sponte provenientium icones et descriptiones. 1 vol. in-4. *Petropoli*, 1739.

Amm. supp. Ammann (Paul.). Supellex Botanica id. e. enumeratio plantarum horti Lipsiensis. 1 vol. in-8. *Lipsiæ*, 1675.

— *Char.* Id. Character naturalis plantarum. 1 vol. in-12. *Francf. et Lipsiæ*, 1685.

— *Char. ed. Reb.* Id. Auctus notisque illustratus à Dan. Rebelio. 1 vol. in-12. *Francf. Mœn*, 1701.

— *Hort. Bos.* Id. Hortus Bosianus quoad Exotica solum descriptus. 1 vol. in-4. *Lipsiæ*, 1686.

— *Ant. Per.* Id. Antiquartii Peruviani historia. 1 fasc. in-4. *Lipsiæ*, 1663.

Amoret. Colt. pat. Amoretti (Carlo). Della Coltivazione delle Patate. in-8. *Milano*, 1801.

Amor. rech. Amoreux (P. J.). Recherches sur la vie et les ouvrages de Pierre Richer de Belleval. 1 vol. in-8. *Avignon*, 1786.

— *Veg. Montp.* Id. Etat de la Végétation sous le climat de Montpellier. 1 vol. in-8. *Montpellier*, 1809.

— *Haies.* Id. Traité des Haies vives. 1 vol. in-8. édit. 1. *Paris*, 1787; édit. 2. *Montpellier*, 1809.

— *Truf.* Id. Opuscule sur les Truffes, traduction libre du latin d'Alphonse Ciccarellus, avec des notes. 1 vol. in-8. *Montpellier*, 1813.

— *Lich.* Id. Mémoires sur l'utilité des Lichens. 1 vol. in-8. *Lyon*, 1787.

— *Cachou.* Id. Dissertation sur l'origine du Cachou. In-8. *Montpellier*, 1812.

— *Oliv.* Id. Traité de l'Olivier. 1 vol. in-8. *Montpellier*, 1784.

Anal. transalp. Analecta transalpina, seu Epitome comm. R. Academiæ Suecicæ pro 1739-1752. 2 vol. in-8. *Venetiis*, 1762.

Andr. bot. rep. Andrews (Henry). The Botanists repository for new and rare plants. Fasc. in-4. *London*, 1797 et *seqq.*

— *Heaths.* Id. Coloured engravings of Heaths, with botanical descriptions. 3 vol. in-fol. *London*, 1802-1809.

— *Bot. rep. recens.* Id. Recensio plantarum in repositorio Botanicorum depictarum. In-4. *Londini*, 1801. (Auctore J. B. Gawler nunc Ker).

Anel. salv. Anelli. Cenni medici nella salvia glutinosa. In-4. *Milano*, 1808.

Anj. diss. Anjou (Frider.) Dissertatio de radice Cariophyllatæ vulgaris officinalis. 1 fasc. in-4. *Gottingæ*, 1783.

Ann. Agric. fr. Annales de l'Agriculture française, par MM. Tessier et Bosc. 68 vol. in-8. *Paris*, 4 vol. par an. 1799 et suiv.

Ann. Agric. ital. Vide *Ré ann.*

Ann. bot. Annals of Botany, by C. König and J. Sims. 2 vol. in-8. *London*, 1, 1805; II, 1806.

Ann. chim. Annales de Chimie, ou Recueil de mémoires concernant la Chimie et les Arts, par MM. de Morveau, Lavoisier, Monge, Berthollet, Fourcroy, etc. etc. in-8. *Paris*, 4 vol. par an, de 1789 à 1815.

Ann. hist. nat. Madr. Annales de Historia naturale. 4 vol. in-8. *Madrid*, 1799-1801.

Ann. Mus. hist. nat. Annales du Muséum d'histoire naturelle. 20 vol. in-4. *Paris*, 1802-1813.

Annuair. dép. Annuaires des départemens de la France, de 1800 à 1810. 50 vol. in-12. ou in-8.

Anom. sacr. Dec. Anomaeus (Clemens). Sacrarum arborum fruticum et herbarum, Decas 1 et 2. In-8. *Nuremberg*, 1609.

Ap. ven. Apono *seu* Abano (Petrus de). De Venenis. edit. 1. *Papiæ*, 1450; ed. 2. *Mantuæ*, 1472; ed. 3. *Mediolani*, in-4. 1473 seu 1475; ed. 4. *Venetiis*, 1473; ed. 5, 1476; ed. 6, in-fol. 1485; ed. 7, in-4. 1487; ed. 8, in-8. 1550; ed. 9, in-8. 1566; ed. 10, in-fol. 1679; etc.

— *Conc.* Id. Conciliator controversiarum. 1 vol. in-fol. *Venetiis*, 1471, aliæ edit. 1483, 1491, 1496, 1506, 1520, 1522, 1545, 1548, 1555, 1565, etc.

Apic. opson. Apicius (Cælius). De Opsoniis et condimentis sive arte coquinaria, Libri x, cum adnotationibus Listeri, etc. Edit. 2, 1 vol. in-8. *Amstelodami*, 1709.

Apul. herb. virt. Apuleius (Lucius). De Herbarum virtutibus, impr. cum Galeno. In-fol. *Parisiis*, 1528.

— *Herb. med.* Id. De Medicaminibus herbarum cum commentario S. Humelbergii. 1 vol. in-4. (Tiguri. 1537).

— *Herb. vir.* Id. De Viribus herbarum. 1 vol. in-8. *Parisiis*, 1543.

Aqu. Plin. Aquaeus (Stephanus, seu Etienne Laigue). In Plinii naturalem Historiam commentaria. 1 vol. in-fol. *Parisiis*, 1530.

— *Brass.* Id. Encomium Brassicarum sive caulium. 1 fasc. in-4. *Parisiis*, 1531.

Arch. herb. Archer (John). A compendious Herbal impr. in every man his own doctor. 1 vol. in-8. *London*, 1673.

Ard. ven. De Ardoynis (Santis) Opus de Venenis. 1 vol. in-fol. *Basileæ*, 1562.

Ard. specim. Arduino. (Pietro). Animadversionum botanicarum Specimen. 1 fasc. in-4. *Patavii*, 1759.

— *Spec. alt.* Id. Animadv. bot. Specimen alterum. 1 fasc. in-4. *Venetiis*, 1764.

— *Mem.* Id. Memoria di osservazioni e di sperienze sopra la coltura e gli usi di varie piante, etc. Tomo 1, in-4. *Padova*, 1766.

— *Prep. sem.* Id. Modi di preparare la semenza, per preservare il frumento del carbone. In-8. *Venezia*, 1770.

— *Colt. pimp.* Id. Memoria sopra la coltura dell' herba Pimpinella. In-8. *Venezia*, 1773.

— *Colt. kali.* Id. Istruzione per coltivare il Kali. *Ib.* 1780.

— *Sorg.* Id. Del genere degli Olchi o Sorghi. In-8. *Padova*, 1786.

Ard. colt. sol. Arduino (Luigi). Della coltivazione del solatro di Guinea. In-8. 1793.

— *Colt. aven. alt.* Id. Memoria botanico-georgica sopra la coltura e gli usi economici dell' Avena altissima. In-8. 1792.

Arena nat. colt. fior. Arena (Filippo). La Natura e coltura de' fiori succintamente esposta. In-8. *Cosmopoli*, 1771.

Arenst. comp. Arenstorff (C. F.). Comparatio nominum plantarum officinalium cum nominibus botanicis. 1 vol. in-8. *Berolini*, 1762.

Arist. plant. Aristoteles (Stagirita): De Plantis, libri duo, falso Aristoteli inscripti in operibus Theophrasti Basileæ, 1541, et Aristotelis. *Lugduni*, 1590 et 1579.

Arnem. comm. Arnemann. (Justus). Commentatio de Oleis unguinosis. 1 fasc. in-4. *Gottingæ*, 1785.

Arom. gen. De Aromatariis (Josephus). Epistola de Generatione plantarum ex seminibus. 1 fasc. in-4. *Venetiis*, 1625.

Asiat. Res. Asiatik Researches or Transactions of the society instituded in Bengal. In-4. *Calcutta*, 1788 et seq. trad. franç. 2 vol. in-4. *Paris*, 1805.

Asso. syn. De Asso (Ignatius). Synopsis stirpium indigenarum Arragoniæ. 1 vol. in-4. *Marsiliæ*, 1779.

— *Mant.* Id. Mantissa stirpium indigenarum Arragoniæ. 1 vol. in-4. 1781. (sine loco).

— *St. nov.* Id. Enumeratio stirpium in Arragonia noviter detectarum. Impr. cum Oryctographia. 1 vol. in-8. 1784.

Astr. langued. Astruc (Jean). Mémoires pour l'histoire naturelle du Languedoc. 1 vol. in-4. *Paris*, 1740.

Att. acad. Ital. Atti dell' Academia italiana di scienze, etc. 1 vol. in-4. *Livorno*, 1810.

Att. acad. Nap. Atti della reale academia delle scienze et belle-lettere di Napoli. 1 vol. in-4. *Napoli*, 1788.

Att. acad. Sien. Atti dell' Academia delle scienze di Siena detta de' Fisiocritici. In-4. *Siena*, 6 vol. ab 1761-1781.

Att. soc. patr. Milan. Atti della società

patriotica di Milano, diretta all' avanzamento dell' agricolture, etc. 3 vol. in-4. *Milano*, I, 1783; II, 1789; III, 1793.

Aubl. Guian. AUBLET (Fusée). Histoire des Plantes de la Guiane française. 4 vol. in-4. *Londres*, 1773.

Aubr. Morb. AUBRY. Exercices d'histoire naturelle à l'Ecole centrale du département du Morbihan. 3 cahiers in-4. pour les années IX, X et XI. *Vannes.*

Aufmk. diss. AUFMKOLT. (Frid. Wilhelm). Dissertatio de cortice Caribæo cortici. Peruviano substituendo. 1 fasc. in-8. *Gottingæ*, 1793.

Aug. class. AUGIER. (Augustin). Essai d'une nouvelle Classification des végétaux. 1 vol. in-8. *Lyon*, 1801.

August. prol. AUGUSTIN. (Samuel). Prolegomena in systema sexuale botanicorum. 1 fasc. in-8. *Viennæ*, 1777.

Aust. fruit-tr. AUSTEN (R.). A treatise of Fruit-trees. edit. secunda. 1 vol. in-4 *Oxford*, 1657.

Aver. in brunf. ins. med. AVERROES. (Ebu Elvelid Ebn Ruschad). Vid. *Brunf.*

Axt. arb. con. AXTIUS (Joh. Conr.). Tractatus de Arboribus coniferis. 1 vol. in-12. *Jenæ*, 1679.

B.

Baal. cort. per. VAN BAALEN (Petrus). Dissertatio de Cortice Peruviano. 1 fasc. in-4. *Lugd-Bat.* 1735.

Bach. hell. BACHOVIUS (Gottl. Carol.). Dissertatio inaug. de Helleboro nigro. 1 fasc. in-4. *Altorfii*, 1733.

Baj. hort. alt. BAJER. (Joh. Jac.). Horti medici academiæ Altorfinæ historia. 1 fasc. in-4. *Altorf.* 1737.

— *Visc.* ID. Dissertatio de Visco. 1 fasc. in-4. *Altdorf.* 1706.

— *Art.* ID. Dissertatio de Artemisia. 1 fasc. in-4. *Altorf.* 1720.

Baill. tab. BAILLARD (Edme). Discours du Tabac avec des raisonnemens physiques, etc. 1 vol. in-12. *Paris*, 1693.

Balb. elench. BALBIS. (Joh. Bapt.) Elencho delle piante crescenti ne' contorni di Torino. 1 fasc. in-8. *Torino*, IX (1801).

— *Fl. taur.* ID. Flora Taurinensis. 1 vol. in-8. *Taurini*, 1806.

— *Ic. hort Taur.* ID. Horti academici Taurinensis stirpium minus cognitarum aut forte novarum icones et descriptiones. fasc. 1. *Taurini*, 1810.

— *Mat. Med.* ID. Materies medica prælectionibus academicis accommodata. 2 vol. in-8. *Taurini*, 1811.

— *Misc.* ID. Miscellanea botanica. 1 fasc. in-4. ex Actis Academiæ Taurinensis ex serta. 1804.

— *Misc. alt.* ID. Miscellanea altera botanica. 1 fasc. in-4. ex Actis Acad. Taurinensis, exserta. 1806.

— *Cat.* ID. Catalogi horti botanici Taurinensis, in-8. ad annos 1805, 1810, 1811, 1812, 1813.

Balding. stud. BALDINGER. (Enst Gottfr.). Ueber das studium der botanick. 1 fasc. in-4. *Jenæ*, 1770.

— *Sec. corn.* ID. Secale cornutum perpetuum ab infamia liberari. 1 fasc. in-4. *Jenæ*, 1771.

— *Ind. h. jen.* ID. Index plantarum horti et agri Jenensis. 1 fasc. in-8. *Gottingæ* et *Gothæ*, 1773.

— *Alex.* ID. Alexiteria et Alexipharmaca contra Diabolum. 1 fasc. in-4. *Gottingæ*, 1774.

— *Litt. bot.* ID. Ueber litterar-geschichte der Botanik. 1 fasc. in-8 *Marb.* 1794.

Westm. script. herb. Westmacot. (Will.). A scripture herbal. 1 vol. in-8. *London*, 1695.
Weston bot. univ. Weston (Rich.). Botanicus universalis. 4 vol. in-8. *Londini*, I, 1770; II, 1771; III, 1772; IV, 1777.

— *Engl. fl.* Id. The english flora. 1 vol. in-8. *Ib.* 1775. — Supplem. 1780.

Wheel. gard. dict. Wheeler (James). The Botanist's and Gardener's new dictionary. 1 vol. in-8. *London*, 1771.

Whit. nat. cal. White (Gilbert). Naturalist's calendar. In-8. *London*, 1795.

White obs. White. (W.). Observations and experiments on the broad-leaved willow bark. In-8. *Bath*, 1798.

Wib. prodr. Werth. Wibel (A. G. E. Chr.). Diss. Primitiarum floræ Werthei mensis prodromus. In-8. *Jenæ*, 1797.

— *Prim. Werth.* Id. Primitiæ floræ Wertheimensis. In-8. *Jenæ*, 1799.

— *Beitr.* Id. Beitrægé zur beförderung der pflanzenkunde. In-8. *Frankf. Mein.* 1800.

Wilcke fl. Gryph. Wilcke (Sam. Gust.). Flora Gryphica. 1 vol. in-8. *Gryphiæ*, 1765.

— *Hort. Gryph.* Id. Hortus Gryphicus. In-8. *Ib.* 1765.

Wilh. junip. Wilhelm (Joh. Georg.). Diss. tradens Juniperum. In-4. *Argentorati*, 1718.

Willan croft. Willan (Rob.). On the sulfur-water at Croft. In-8. *London*, 1782. — Ed. II. 1786.

Willem. ut. lich. Willemet (Remi). Mémoires sur l'utilité des lichens. 1 vol. in-8. *Lyon*, 1787.

— *Mon. pl. étoil.* Id. Monographie pour l'histoire de la famille des plantes étoilées. In-8. *Strasbourg*, 1791.

— *Phyt. écon.* Id. Phytographie économique de la Lorraine. 1 vol. in-8. *Nancy*, 1780.

— *Fl. Lorr.* Id. Phytographie encyclopédique, ou Flore de l'ancienne Lorraine. 3 vol. in-8. *Nancy*, 1805.

— *Frag.* Id. Fragment sur le Neckeria et le Willemetia. In-4.

Willich obs. bot. Willich (Chr. Lud.). Observationes botanicæ. In-4. *Gottingæ*, 1747.

— *Pl. obs.* Id. De plantis quibusdam observationes. In-8. *Ib.* 1762.

— *Ill. bot.* Id. Illustrationes quædam botanicæ. In-8. *Ib.* 1766.

Wilson ess. op Wilson (Alex. Phil.). Upon the manner in which Opium acts, etc. 1 vol. in-8. *Edimburgh*, 1795.

Wilson syn. br. pl. Wilson (John). A synopsis of the British plants. 1 vol. in-8. *Newcastle*, 1744.

Winckl. chron. Winckler us (Nicol.). Chronica herbarum, etc. In-4. *Aug. Vind.* 1671.

Wint. ind. h. Pest. Winterl. (Jac. Jos.). Index horti universitatis Hung. quæ Pestini est. In-8. *Pest.* 1788.

Wip. fl. Lips. bip. Wipacherus (David). Flora Lipsiensis bipartita. Pars prior. In-8. *Lipsiæ*, 1726.

With. bot. arr. Withering (Will.). Botanical arrangement of the vegetables of Great Britain. 2 vol. in-8. *Birmingham*, 1776. — Ed. II, 3 vol. in-8. *Ib.* I et II, 1787; III, 1792.—Ed. III, 4 vol. *Ib.* 1796.

— *Foxgl.* Id. Account of the foxglove. 1 vol. in-8. *Birmingham*, 1785.

Wolf entdeck. Wolf (Christ.). Entdeckung der wahren ursache, etc. 1 vol. in-4. *Halle*, 1725.

— *Erlæut. entd.* Id. Erlæuterung der entdeckung der wahren ursache, etc. In-4. *Frankf.* u. *Leipz.* 1730.

— *Phœn. sing.* Id. Diss. Phœnomenon singulare de malo pomiferâ absque floribus. In-4. *Marpurg.* 1727.

Wolf. comm. lemnâ. Wolf (Joh. Fr.). Commentatio de Lemnâ. In-4. *Altorf.* et *Nuremb.* 1801.

Wolf. gen. pl. De Wolf (Nath. Math.). Genera plantarum vocabulis char. definita. In-8. *Dantisci*, 1776 seu 1780.

— *Gen. sp. pl.* Id. Genera et species plantarum definita. 1 vol. in-8. *Regiomonti*, 1782.

Woll. herb. lustr. Wollerius (Lucas). Diss. de methodo herbas lustrandi. In-4. *Basileæ*, 1711.

Woodv. med. bot. Woodville (William). Medical Botany. 3 vol. in-4. *London*, I, 1790; II, 1792; III, 1793.

Woolr. gard. Woolridge (J.). The art of gardening. Third edition 1 vol. in-8. *London*, 1688.

Wulf. crypt. aq. Von Wulfen (Xav.). Cryptogamia aquatica. In-4. *Lipsiæ*, 1803.

Wulff. pl. Bor. Wulff. (Joh. Christoph.). Plantæ XXIII in Borussiâ repertæ. In-4. *Regiomonti*, 1744.

— *Fl. Bor.* Id. Flora Borussica. 1 vol. in-8. *Regiom.* et *Lips.* 1765.

Wünsch. nat. prod. Wünsch. (C. E.). Briefw. über die natur-producte. In-8. *Leipzig*, 1787.

Wuensche enum. Wit. Wuensche (Joh. Georg.). Enumeratio plantarum circà Wittebergam in aquis, locis paludosis et humidis, etc. In-8. *Wittebergæ*, 1804.

Wurffb. rub. Wurffbain (Frid. Sig.). Diss. de Rubiâ tinctorum. In-4. *Basileæ*, 1707.

Wynne cort. per. Wynne (Gabr.) Diss. de cortice Peruviano. In-8. *Edimburgi*, 1779.

X.

Xuar. et Gil. obs. fit. Xuarèz (G.) et Gilt (L.). Osservationi fitologiche. In-4. *Romæ*, 1789.

Y.

Young voy. fr. Young (Arthur). Voyage en France, trad. de l'augl. 3 vol. in-8. *Paris*, 1794.

— *Voy. it.* Id. Voyage en Italie, trad. par E. Soulès. 1 vol. in-8. *Paris*, 1796.

Yvart agr. Fr. Yvart (Victor). Coup d'œil sur le sol, le climat et l'agriculture de la France. In-8. *Paris*, 1807.

Z.

Zahn. rhod. Zahn (Henricus). Diss. de Rhododendro chrysantho. In-4. *Jenæ*, 1783.

Zaluz. meth. Zaluzanius seu Zaluzianski (Adam). Methodi herbariæ libri tres. In-4. *Francof.* 1604.

Zamz. blomst. Zamzelius (Abraham). Blomsterkrans af de i nerike befintliga vaxter. In-12. *Orebro*, 1760.

Zannich. myr. pel. Zannichelli (Joh. Hier.). De myriophyllo pelagico. In-8. *Venetiis*, 1714.

— *Rusc.* Id. De Rusco. In-8. *Ib.* 1717.

— *Opusc. bot.* Id. Opuscula botanica posthuma. In-4. *Venetiis*, 1730.

— *Ist. ven.* Id. Istoria delle piante che nascono ne' lidi intorno a Venezia. 1 vol. in-fol. *Venezia*, 1785.

Zanon agric. Zanon (Antonio). Dall' Agricoltura. 7 vol. in-8. *Venezia*, 1763.

Zanon. ist. bot. Zanoni (Jacobus). Istoria Botanica. 1 vol. in-fol. *Bologna*, 1675.

— *Hist. rar. st.* Id. Rariorum stirpium historia. Ed. C. Monti. 1 vol. in-fol. *Bononiæ*, 1742.

Zieg. vit. pl. Zieger (Chr. Gottl.). Diss. de vitâ inter plantas. In-4. *Lipsiæ*, 1757.

Ziegra mort. pl. Ziegra (Chr. Sam.). Diss. de morte plantarum. In-4. *Wittebergæ*, 1680.

Zinn obs. bot. Zinn (Joh. Gottfr.). Observationes botanicæ. In-4. *Gottingæ*, 1753.

— *Cat. h. Gott.* Id. Catalogus horti Gœttingensis. 1 vol. in-8. *Gottingæ*, 1757.

Zorn bot. med. Zorn (Bartholom.). Botanologia medica. 1 vol. in-4. *Berlin*, 1714.

— *Zorn ic. pl. med.* Zorn (Joh.). Icones plantarum medicinalium. 5 centuriæ. In-8. *Nurnberg*, 1779-1784.

Zod. med. gall. Zodiacus medico-gallicus sive miscellanea, etc. In-4. *Genevæ*, à 1680-1686.

Zucc. ist. tef. Zuccagni (Attilio). Istoria di una pianta panizzibile dell'Abissinia conosciuta sotto il nome di Tef. In-8. *Firenze*, 1775.

— *Obs. bot.* Id. Observationes botanicæ in horto Florentino, etc. In-4. 1806.

— *Lett. lop.* Id. Lettera indirizzata al sign. G. Cavanilles sopra i fiori della Lopezia. In-8.

— *Epist.* Id. Epistola de naturali Liliorum fructificatione. In-8. *Florentiæ*, 1796.

— *Syn. h. flor.* Id. Synopsis plantarum horti botanici Florentini. In-4. 1806.

Zucch. lut. Zucchini (Andr.). Sopra la luteola sativa. In-8. 1774.

— *Colt. robb.* Id. Memoria per servire

alla coltivazione della Robbia in Toscana. *Firenze*, 1782.

Zück. mat. alim. Zückert (Joh. Fried.). Materia alimentaria. 1 vol. in-8. *Berolini*, 1769.

Zwing. posit. Swingerus (Frid.). Positiones anatomico-botanicæ. In-4. *Basileæ*, 1731.

— *Thes.* Id. Theses anatomico-botanicæ. In-4. *Basileæ*, 1733.

Zwing. theat. bot. Zwingerus (Theod.). Theatrum botanicum. 1 vol. in-folio. *Basileæ*, 1696.

— *Pl. nastur.* Id. Examen plantarum nasturcinarum. In-4. *Basileæ*, 1714.

— *Cymb.* Id. Diss. de Cymbalariâ. In-8. *Lugd. Bat.* 1733.

— *Thee helv.* Id. Diss. de Thee helvetico. In-8. *Ib.* 1733.

— *Diss. sel.* Id. Fasciculus dissertationum selectiorum. 1 vol. in-8. *Basileæ*, 1710.

REGNI VEGETABILIS

SYSTEMA UNIVERSALE

JUXTA

METHODUM NATURALEM DIGESTUM.

NATURÆ CORPORA sunt:

- Aut *Inorganica*, seu bruta homogena, et juxtapositione tantùm accreta.
  - Cœlestia sphœroïdea..... ASTRA.
  - Terrestria crystallisantia. MINERALIA.
- Aut *Organica*, seu viva heterogena et intussusceptione accreta.
  - Motu proprio et stomacho destituta.....VEGETABILIA.
  - Motu proprio et stomacho donata..... ANIMALIA.

NATURÆ VIRES GENERALIORES sunt:

- Aut corporibus omnibus communes.
  - E longinquo et indiscriminatim in corpora omnia juxtà eorum massas et distantias agentes..... ATTRACTIO.
  - Ad contactum ferè et electivè in corpora diversa juxtà eorum naturam specialem structuramve agentes. AFFINITAS.
- Aut corporibus organicis propriæ, et priores interdum modificantes.
  - Corporibus organicis omnibus communes et sui insciæ.....VIS VITALIS.
  - Animalibus propriæ et sui consciæ.....SENSIBILITAS.

Corporum viriumque series est etiam scientiarum Naturalium ordo classicus.

Scientiæ aliæ corporum, alteræ virium legibus student.

Astrorum notitia constituit Astronomiam, Mineralium Mineralogiam, Vegetabilium Phytologiam, Animalium Zoologiam.

Attractio est basis Physices, Affinitas Chemiæ, Vis Vitalis Physiologiæ, Sensibilitas Psychologiæ.

Unaquaque ex his Scientiis super Theoremata in antecedentibus demonstrata nititur : sic Chemia legum Physices cognitionem supponit, Physiologia Physices et Chemiæ, Psychologia Physices Chemiæ et Physiologiæ. Errores ferè omnes in his scientiis hinc inde admissi ex hoc ordine interverso orti sunt.

ASTRA solæ attractioni obediunt et ergo Astronomia est Scientia merè Physica (Matheseos ope illustrata).

MINERALIA attractioni et affinitati obediunt et ergo Mineralogia est Scientia Physico-Chemica.

VEGETABILIA attractioni, affinitati et vi vitali obediunt et ergo Phytologia est Scientia Physica, Chemica et Physiologica.

ANIMALIA attractioni, affinitati, vi vitali et sensibilitati obediunt, et ergo Zoologia est scientia Physica Chemica Physiologica et Psychologica.

PLANTÆ seu VEGETABILIA.

Car. gen. Corpora attractioni, affinitati, et vi vitali subdita; sensibilitate, voluntate, motu proprio destituta; organis donata variis, omnibus contextu membranaceo continuo, nunc tantum in cellulas, nunc in cellulas et vasa explicato constantibus.

Car. nutr. Substantiis inorganicis aquosis aut in aquâ solubilibus et ubique obviis sese intussusceptione nutrientia; has sine electione et vi hygroscopicâ solâ absorbentia; cavitate internâ in quâ alimenta digeruntur destituta; vasis ad peripheriam ideò undique tendentibus instructa; excrementa liquida aquosa expellentia; gazis oxygeni liberi in atmosphærâ quantitatem paulò per vitam augentia; carbonem præcipuè acido carbonico sub luce in partibus viridibus decomposito intrà substantiam suam incorporantia; quotannis organis novis aucta; casibus externis solis sæpissimè destructa; organis pluribus deciduis nec per totam vitam persistentibus donata.

Car. mult. Duplici modo sese multiplicantia, nunc merâ corporis in partes plures spontaneâ aut artificiali divisione, nunc ovuli fæcundatione et evolutione; organis nempè sexualibus unâ tantùm vice fæcundationi inservientibus, post eam destructis et aliis ad aliam fæcundationem evolutis, sexubus sæpius binis in iisdem individuis imò iisdem thalamis collectis, liquido spermatico in thecis minimis aquæ contactu erumpentibus incluso.

PLANTARUM CLASSES.

1°. Ex organis Nutritionis desumptæ.

Plantæ { Vasis lymphaticis stomatibusque donatæ... VASCULARES.
Vasis lymphaticis stomatibusque destitutæ..CELLULARES.

2°. Ex organis Multiplicationis deductæ.

Plantæ { Cotyledonibus donatæ..... COTYLEDONEÆ.
Cotyledonibus destitutæ..... ACOTYLEDONEÆ.

Plantæ Vasculares eædem ac Cotyledoneæ, Cellulares eædem ac Acotyledoneæ et ideò unaquaque ex iis divisionibus ab alterâ confirmatur.

PLANTÆ VASCULARES

SEU

COTYLEDONEÆ.

Cotyledoneæ. Juss. *Gen.* p. 70. — Embryonatæ. Rich. *Anal.* p. 50. — Vasculares seu Cotyledoneæ. DC. *Fl. fr.* 1, p. 65. *Theor.* 207.

Car. veg. Plantæ contextu celluloso vasisque lymphaticis constantes; stomatibus instructæ; ex duabus compositæ partibus ad collum distinctis sed continuis, situ directione et crescendi modo contrariis, nempè *Radicalibus* quæ extremitatibus solis elongantur et ideò ad terræ centrum descendunt, et *Caulinis* quæ per primum annum longitudine totâ elongantur et ideò tunc sursùm sese dirigunt. Folia ordine regulari disposita, cauli inserta, fibris veris nempè vasorum et cellularum elongatarum fasciculis aut confertis aut expansis constantia, rarissimè nulla.

Car. Fruct. Flores oculo nudo sæpissimè distincti et plùs minùsve symetrici, organis sexualibus indusiisque constantes; Embryo intrà spermodermium proprium inclusus, radicula semper ad peripheriam, plumula sæpiùs ad centrum directa, cotyledonibus solitariis aut plurimis instructus, nullis tamen in speciebus paucissimis aphyllis.

PLANTARUM VASCULARIUM

SEU

COTYLEDONEARUM CLASSES.

1°. Ex organis Vegetationis deductæ.

Plantæ Vasculares.	Truncus conicus cortice et ligno constans; ligni pars exterior junior et mollior..	EXOGENÆ.
	Truncus cylindraceus homogenus, in centro junior et mollior.....	ENDOGENÆ.

2°. Ex organis Fructificationis deductæ.

Plantæ Cotyledoneæ.	Cotyledones duæ oppositæ aut plures verticillatæ.....	DICOTYLEDONEÆ.
	Cotyledones solitariæ aut duæ pluresve alternæ..	MONOCOTYLEDONEÆ.

Exogenæ sunt eædem ac Dicotyledoneæ, Endogenæ eædem ac Monocotyledoneæ et ideò classes ex duabus organorum præcipuorum seriebus et duabus plantarum functionibus simul deductæ sunt verè naturales.

CLASSIS PRIMA.

DICOTYLEDONEÆ seu EXOGENÆ.

Dicotyledones. Juss. *Gen.* p. 70. Desf. *Mem. inst.* 1, p. 478. — Exorhizeæ. Rich. *Anal.* p. 53. — Dicotyledoneæ seu Exogenæ. DC. *Theor.* p. 209. *Ess. prop.* ed. 11, p. 64.

Car. fruct. Flores semper distincti, plùs minùsve symetrici, sæpiùs numero partium quinario et perigonio duplici donati. Embryo cotyledonibus rarissimè (in plantis aphyllis) nullis, sæpissimè duabus oppositis, rariùs pluribus verticillatis, nunquàm autem nec solitariis nec alternis, instructus; Radicula sæpiùs in radicem ipsam apice elongata.

Car. veg. Truncus caulis plùs minùsve conicus, constans corporibus duobus, ligneo nempè et corticali, juxtà inversas leges crescentibus: *Corpus ligneum* in centro fovens *medullam* canali proprio inclusam et *productiones medullares* undique trans strata lignea ad corticem usque radiantes; fibræ medullares nunc circà medullam annulatim dispositæ, nunc rariùs intra eam sparsæ: *Strata ligneu* annua circa medullam concentricè disposita, interiora seniora, duriora, colore intensiora, *Lignum* verum constituentia; exteriora juniora, pallidiora, nondùm omninò indurata, *Alburni* nomine designata, quotannis stratis externis sub cortice ortis accreta. *Cortex* constans 1°. *complexu celluloso* externè sub epidermide sito, strata corticalia involvente, cum medullâ centrali productionum ope continuo et quasi externæ medullæ vicem gerente. 2°. *Stratis corticalibus* aliis, externis nempè, inter se obscurioribus senioribus colore intensioribus et sæpè ætate fissis, internis junioribus pallidioribus inter se magis distinctis (ideò *Libri* nomine insignitis) et quotannis stratis magis interioribus accretis. Truncus radicis plùs minùsve obconicus, medullâ sæpissimè destitutus, cæterùm caulino comformis. Folia plantulæ opposita aut verticillata, dein per caulis elongationem sæpè alterna, spiraliter disposita aut subsparsa, sæpè super caulem articulata aut verè composita, nervis ramosis anastomosantibus semper instructa.

DICOTYLEDONEARUM seu EXOGENARUM SUBCLASSES.

1°. Ex organis Fructificationis deductæ.

- Dicotyledoneæ seu Exogenæ.
  - perigonio duplici.
    - Petala plurima distincta staminaque thalamo inserta nec calyci accreta. THALAMIFLORAE.
    - Petala plurima distincta aut inter se coalita staminaque calyci inserta . . . . CALYCIFLORAE.
    - Petala inter se in unicum coalita thalamo inserta, staminaque gerentia. COROLLIFLORAE.
  - Simplici, petalis nempe aut nullis aut cum calice coalitis. . . MONOCHLAMYDEAE.

2°. Ex organis Vegetationis deductæ.

Nulla adhuc proposita fuit Exogenarum classificatio ex organis vegetationis deducta et cum priore aut aliâ qualicunque ex organis fructificationis desumpta congruens. Fatalis scientiæ hiatus ! Problema Phytotomis propositum ! intereà Exogenarum classificatio quamvis paulò artificialis habenda, nullâ tamen præstantiore notâ, hîc provisoriè admissa.

SUBCLASSIS PRIMA. THALAMIFLORÆ.

Car. fruct. Calyx sepalis pluribus nunc articulatìm insertis deciduis et inter se nunquàm coalitis, nunc cum pedunculo continuis sæpissimè persistentibus inter se liberis coalitisve constans, nunquàm nec petala nec stamina gerens et ideò cum ovario nunquàm verè accretus. Petala thalamo inserta, inter se non coalita, distincta, rarissimè stamina gerentia. Stamina hypogyna seu thalamo inserta, definita aut indefinita. Ovarium simplex multiplexve, liberum, thalamo interdùm expanso subinvolutum.

THALAMIFLORARUM COHORTES.

Thalamifloræ {
- Ovaria ∞, 1-styla, rarò abortu aut coalitione solitaria. Thalamus ovaria gerens aut cingens. Stamina indefinita aut si definita petalis opposita. . . . . Cohors I.
- Fructus unicus. Placentæ parietales intervalvulares. . . . . Cohors II.
- Fructus unicus. Valvulæ intùs nervo medio seminiferæ. . . . . Cohors III.
- Fructus unicus. Semina angulo loculorum centrali adfixa. . . . . Cohors IV.
- Fructus divisus, loculis gynobasi insertis . . . Cohors V.

COHORS PRIMA.

Car. Ovaria ∞, distincta, 1-styla, rarissimè abortu aut coalitione solitaria. Thalamus ovaria gerens aut cingens, stamina petala sepalaque in utroque casu extùs gerens. Stamina indefinita aut si definita petalis opposita.

1. RANUNCULACEÆ. Calyx definitè polysepalus aut multipartitus. Petala definita aut indefinita, interdùm 0. Stam. libera indefinita. Antheræ adnatæ sæpiùs extrorsæ. Ovaria ∞ 1-locularia. Semina lateri interiori adfixa. Albumen corneum; embryo minutus rectus in albuminis basi locatus. — Herbæ suffruticesve; folia simplicia variè lobata sæpiùs alterna, petiolis basi plus minùsve dilatatis.

2. DILLENIACEÆ. Calyx 4-5-sepalus persistens. Petala 4-5, sepalis alterna. Stam. indefinita libera; antheræ adnatæ introrsæ; ovaria ∞, rarissimè carnosa et tunc matura coalita; semina lateri interiori adfixa. Albumen cartilagineum; embryo minimus rectus in albuminis basi locatus. — Arbores aut Frutices; folia alterna, penninervia, simplicia, integra aut dentata.

3. MAGNOLIACEÆ. Calycis sepala 3 aut 6 decidua. Petala 3-27 numero ternario multiplici serie disposita. Stam. indefinita libera; antheræ adnatæ. Ovaria ∞, rarissimè matura subcoalita; Albumen carnosum. Embryo rectus. — Arbores Fruticesve : Folia alterna, penninervia, simplicia, integra aut sublobata; stipulæ juniores convolutæ acuminatæ.

4. ANONACEÆ. Calyx trifidus. Petala 3 aut 6 ordine ternario duplici sæpiùs et inæquali serie disposita. Stamina indefinita; antheræ subsessiles tetragonæ. Ovaria ∞, rarissimè matura coalita. Albumen carnosum endoplevro intùs replicato ruminatum. Embryo rectus. — Arbores fruticesve. Folia alterna, penninervia, integra aut rarissimè subdentata.

5. MENISPERMEÆ. Flores unisexuales. Sepala petalaque numero definita, decidua. ♂ Stam. monadelpha, rariùs libera, petalis numero æqualia et iis opposita ant multiplicia; antheræ adnatæ. ♀ Ovaria pauca rarò coalita; Semina compressa sæpiùs lunulata; albumen o aut parcum carnosum. Embryo curvus; cotyledones distantes. — Frutices scandentes. Stipulæ nullæ. Folia alterna, simplicia aut rariùs composita, apice aristato-mucronata.

6. BERBERIDEÆ. Sepala biserialia decidua, in quâque serie 2-3. Petala sepalis opposita. Stamina petalis numero æqualia et iis opposita. Antheræ adnatæ à basi ad apicem valvulâ dehiscentes. Ovarium 1. Semina lateraliter sæpiùs adfixa. Albumen carnosum. Embryo rectus axilis. — Frutices aut herbæ; folia alterna sæpè composita; flores racemosi bracteolati.

7. PODOPHYLLEÆ. Sepala 3-4. Petala uni aut multiserialia, sepalis alterna. Stamina petalis numero æqualia et iis opposita aut multiserialia; antheræ terminales introrsæ rimâ duplici dehiscentes. Ovaria 1-2-aut ∞, indehiscentia; semina inversa; albumen carnosum; embryo crassiusculus rectus basilaris. — Herbæ umbrosæ aut aquaticæ. Folia petiolata peltinervia. Pedunculi uniflori ebracteati.

8. NYMPHÆACEÆ. Sepala 4-5 thalamo inserta non articulata. Petala et stamina multiplici serie disposita, sepalis alterna. Antheræ adnatæ introrsæ rimâ duplici dehiscentes. Thalamus floris expansus sepala petala et stamina extùs gerens, intùs aut apice ovaria plus minùsve completè ferens et involvens. Ovaria ∞, libera aut intra thalamum coalita. — Herbæ aquaticæ, trunco crasso repente, foliis longè petiolatis sæpè peltinerviis, pedunculis ebracteatis unifloris.

ORDO PRIMUS.

RANUNCULACEÆ.

Multisiliquæ. Lin. *ord. nat. excl. sect. β.* — Ranunculorum et Cistorum gen. Adans. — Anemoneæ. Guett. *obs.* 1. *p.* 266. — Ranunculaceæ. Juss. *Mem. acad. Paris.* 1773, *p.* 214. *Gen. p.* 231. *DC. Ess. prop. ed.* 11, *p.* 65. — Ranunculeæ. Jaum. *Exp. fam.* 1. *p.* 484, *t.* 68. — Multisiliquosæ. Batsch. *tab.* 46. — Ranunculearum gen. Salisb.

Car. diff. Sepala petala staminaque ∞, hypogyna, libera. Antheræ adnatæ sæpiùs extrorsæ; ovaria sæpissimè ∞; albumen corneum; embryo minimus dicotyledoneus in albuminis cavitate. — Herbæ aut frutices; folia basi subdilatata.

Fruct. Perigonium duplex, utrumque hypogynum liberum et partibus pluribus distinctis constans : calycis sepala 3-6, æstivatione sæpiùs imbricata, interdùm valvata aut induplicata : corollæ petala 5-15, uni aut pluriserialia, interdùm (staminibus omnibus nempè antheriferis) nulla, nunc plana ex staminum filamentis dilatatis antherisque abortivis orta, nunc cucullata seu bilabiata seu appendice intùs aucta ex staminum filamentis abortivis antherisque deformatis orta. Stamina hypogyna, numero indefinita sæpè ad basin polyphori (ut in Magnoliaceis) inserta : antheræ adnatæ, in R. veris extrorsæ. Pistilla plurima toro inserta, unilocularia, rariùs abortu solitaria, aut in unicum multilocularem coalita, apice in stylos breves simplices abeuntia, intùs uni (?) aut pluri-ovulata, ovulis lateri interiori adfixis. Carpella alia pseudospermica, sicca, indehiscentia, monosperma, cum semine ipso concreta : alia baccata mono-aut-oligosperma : alia capsularia intùs sutura longitudinali dehiscentia, nunc univalvia nunc bivalvia. Placentæ nunc margini interiori secùs suturam in carpellis multiplicibus, nunc loculorum angulo centrali in pericarpiis ex carpellis plurimis coalitis adnatæ. Semina nunc solitaria intra cariopsidem, alia (inferiore abortivo ?) pendula, alia (superiore abortivo ?) erecta, nunc plurima horizontalia, omnia donata albumine corneo magno et embryone minimo dicotyledoneo intra albuminis foveolam locato.

Veg. Herbæ, suffrutices aut frutices sarmentosi: Radices fasciculatæ, fibris nunc basi crassis apice attenuatis et tunc *grumosæ*, nunc cylindraceis et tunc *fasciculatæ* jure strictiori, nunc fibrillosis et tunc *fibrosæ*, nunc e caulis basi tuberculosâ et foliorum vaginis vestitâ et tunc *bulbosæ* dicuntur. Folia alterna aut in Clematideis opposita, basi in vaginam semiamplexicaulem (Umbelliferarum more) dilatata, nunc expansa in limbum plus minùsve divisum nervis ramosis instructum, nunc limbo abortivo et petiolo expanso integra et nervis subsimplicibus apice confluentibus donata. Caulis pedunculique teretes. Pili nulli aut simplices.

Aff. Ordo apprimè naturalis, affinis 1°. Papaveraceis (mediante Podophyllo) ob staminum petalorumque situm, sed distinctus ovariis plurimis aut cum ovarium unicum videtur seminum situ interiore nec parietali, necnon stigmatibus non radiantibus, albumine corneo nec oleoso, succo aqueo nec lacteo, etc 2°. Dilleniaceis (mediante Pœoniâ) sed differt staminibus extrorsis nec introrsis, seminibus exarillatis, et habitu toto. 3°. Umbelliferis ob folia basi vaginantia, sed ab iis aliundè omninò diversus. 4°. Alismaceis, ob ovaria plurima et folia interdùm similia, sed anatomiâ totâ et embryone dicotyledoneo abundè discrepans.

Hist. Species Ranunculacearum recensuit Dioscorides vix 25, C. Bauhinus 86, Tournefortius 126, Linnæus 130, Willdenowius 217, Persoonius 260, Nos 509 superadditis 43 vix cognitis. — Ex istis Europæanæ 119, Mediterraneæ 68, Orientales 31, Sibiricæ 62, Indicæ 19, Chinenses Japonicæve 24, Australasicæ 18, Capenses 8, Canarienses 6, Caribeæ 4, Americanæ meridionales 32, Mexicanæ 6, Americanæ boreales 74, novo et veteri orbi communes 18! incertæ patriæ 20.

Vir. Plantæ ferè omnes acres subvenenatæ: Herbæ recentes sæpissimè rubefacientes vesicatoriæ, principio acri volatili in aquâ solubili, exsiccatione aut in aquâ coctione evanescente. Radices, saltem perennes, sæpiùs drasticæ aut emeticæ. Semina sæpè acria aut aromatica.

CONSPECTUS GENERUM.

I. RANUNCULACEÆ VERÆ,

seu *Antheris extrorsis.*

Tribus I. Clematideæ.

Calycis æstivatio valvata seu induplicata. Petala o aut plana; Carpella indehiscentia monosperma in caudas sæpiùs barbato-plumosas desinentia; semen pendulum. — Folia opposita.

1. Clematis. Petala o aut ∞ calyce breviora; Carpella sessilia.
2. Naravelia. Petala 6-12, calyce longiora. Carpella stipite crasso cavo instructa.

Tribus II. Anemoneæ.

Calycis corollæque æstivatio imbricata. Petala o aut plana. Carpella 1-sperma indehiscentia in caudas mucronesve sæpiùs desinentia. Semen pendulum. — Folia radicalia aut alterna.

3. Thalictrum. Involucrum sub flore o. Petala o. Carpella sicca in caudas non desinentia, nunc stipitata, nunc longitudinaliter striato-sulcata.
4. Anemone. Involucrum 3-folium, à flore distans, foliolis incisis. Calyx petaloïdeus, 5-15-sepalus. Petala o.
5. Hepatica. Involucrum 3-folium sub flore, calyciforme, foliolis integris. Calyx petaloïdeus, 6-9-sepalus. Petala o.
6. Hydrastis. Involucrum o. Calyx 3-sepalus. Petala o. Carpella baccata.
7. Knowltonia. Involucrum o. Calyx 5-sepalus. Petala 5-15. Carpella baccata.
8. Adonis. Involucrum o. Calyx 5-sepalus adpressus. Petala 5-15. Carpella sicca ovata stylo acuminata.
9. Hamadryas. Involucrum o. Calyx 5-6-sepalus. Petala 10-12. Flores dioici.
10. Hecatonia. Involucrum o. Calyx 5-sepalus reflexus. Petala 5. Carpella lenticularia.

11. Krapfia. Involucrum o. Calyx 5-sepalus petaloïdeus. Petala o. Carpella sicca ovata subcompressa stylo subuncinata lævia sessilia.

Tribus III. Ranunculeæ.

Æstivatio calycis et corollæ imbricata. Petala bilabiata aut intùs squamulâ ad basin aucta; Carpella 1-sperma sicca indehiscentia. Semen erectum. — Folia radicalia aut alterna.

12. Myosurus. Calycis sepala 5 basi soluta seu ultrà insertionem deorsùm producta.

13. Ceratocephalus. Calycis sepala 5 basi non soluta. Pericarpia basi utrinque gibba, apice in cornu semine sextuplò longiùs producta.

14. Ranunculus. Calycis sepala 5 basi non soluta. Pericarpia non basi gibba, mucronata nec in cornu semine sextuplò longiùs producta.

15. Ficaria. Calycis sepala 3 basi non soluta. Petala 9. Pericarpia obtusa.

Tribus IV. Helleboreæ.

Æstivatio calycis et corollæ imbricata. Petala nunc o, nunc irregularia bilabiata nectarifera. Calyx petaloïdeus. Carpella capsularia dehiscentia ∞-sperma.

16. Caltha. Calyx deciduus persistensve regularis petaloïdeus; Petala o. Capsulæ sessiles.

17. Trollius. Calyx deciduus regularis petaloïdeus 5-15-sepalus. Petala 5-20 bilabiata. Capsulæ sessiles.

18. Eranthis. Involucrum multipartitum sub flore. Calyx deciduus regularis petaloïdeus. Petala 6-8. Capsulæ pedicellatæ.

19. Helleborus. Calyx persistens subcoriaceus 5-sepalus. Petala 8-10. Capsulæ sessiles coriaceæ.

20. Coptis. Involucrum o. Calyx deciduus regularis petaloïdeus. Petala 5-6. Capsulæ pedicellatæ membranaceæ.

21. Isopyrum. Involucrum o. Calyx deciduus regularis petaloïdeus. Petala 5. Capsulæ sessiles membranaceæ.

22. Garidella. Calyx deciduus petaloïdeus regularis 5-sepalus. Petala 5. Carpella 3 connexa. Styli brevissimi.

23. Nigella. Calyx deciduus petaloïdeus regularis 5-sepalus. Petala 5-10. Carpella 5 connexa. Styli longissimi.
24. Aquilegia. Calyx deciduus petaloïdeus regularis 5-sepalus. Petala 5 deorsùm in calcaria cava producta.
25. Delphinium. Calyx deciduus petaloïdeus irregularis, sepalo nempè superiore in calcar deorsùm producto. Petala 4, 2 superiora in calcar deorsùm producta.
26. Aconitum. Calyx deciduus petaloïdeus irregularis, sepalo nempè superiore concavo cassidæformi. Petala 2 superiora stipitata, apice difformia.

II. RANUNCULACEÆ SPURIÆ, seu *Antheris introrsis.*

27. Actaea. Calyx deciduus 4-sepalus. Petala 4. Carpella ∞-sperma.
28. Zanthorhiza. Calyx deciduus 5-sepalus. Petala 5. Carpella 1-sperma.
29. Paeonia. Calyx persistens 5-sepalus. Petala 5 plana. Carpella ∞-sperma.

Tribus prima. — CLEMATIDEÆ.

Car. Æstivatio calycis valvata seu induplicata. Petala nulla aut plana. Antheræ lineares extrorsæ. Carpella monosperma indehiscentia apice stylo accreto in caudam sæpiùs barbato-plumosam producta. Semen intra pericarpium pendulum, corculo ideo in fructu supero minimo. — Caules sæpissimè fruticoso-sarmentosi scandentes, rariùs erecti herbacei. Radices fibrosæ, perennes. Folia omnia caulina constantissimè opposita.

I. CLEMATIS.

Clematitis, *C.* Bauh. *pin.* 300. Tourn. *inst.* 293. *t.* 150. — Clematis et Flammula, Rupp. — Clematis et Viticella, Dill. *giess.* Moench. — Clematis et Atragenes sp. Lin. *gen. n.* 695 *et* 696. Juss. *gen.* 232. Gærtn. *fruct.* 1. *p.* 353 *et* 356. *t.* 14. Pers. *ench.* 2. *p.* 98. — Clematis et Muralta, Adans. *fam.* 2. *p.* 460. — Clematis, Mill. *dict.* Lam. *dict.* 2. *p.* 41. *Ill. t.* 497.

Fruct. Involucrum o aut calyciforme sub flore. Sepala 4-8

colorata, æstivatione valvata aut induplicata. Petala 0 aut sepalis breviora. Cariopsides ∞ stipite proprio destitutæ, in caudam sæpiùs barbato-plumosam productæ.

Veg. Radices fibrosæ perennes. Caules annui aut perennantes, sæpiùs sarmentosi scandentes. Folia exactè opposita, in unicâ specie verticillaria, simplicia, integra lobata ternatìm pinnatìmve secta aut decomposita, petiolata; petioli interdùm persistentes cirrhiformes. Pedunculi nunc axillares nunc terminales, alii ramoso-paniculati, alii trifidi triflori, alii terni uniflori, alii solitarii uniflori; bracteolæ secùs pedicellos nunc nullæ, nunc duæ oppositæ liberæ, nunc coalitæ in involucrum bilobum calyciforme. Flores seu potiùs calyces sæpiùs albidi, nunc flavescentes, nunc cærulescentes purpurascentesve.

Vir. Herbæ omnium specierum recentes plùs minùsve acres cuti applicatæ rubefacientes et vesicatoriæ, exsiccatione aut in aquâ coctione subdulces evadentes.

Hab. Species 85 huc usquè cognitæ habitant sepes dumeta et aspera totius ferè orbis, Flammulæ in planitiebus, Viticellæ in collinis, Cheiropsides in montanis calidis apricis, Athragenes quæ gemmis squamosis donatæ, in montanis frigidis. — Europæanæ 11, Sibiricæ aut orientales 7, Chinenses aut Japonicæ 12 ovariis paucissimis (4-7) notabiles, Indicæ 12, Australasicæ 9 ferè omnes dioicæ, Africanæ 3, Americanæ 25 ferè omnes dioicæ aut polygamæ, etc.

Obs. Genus in 4 aut forsan in 2 tantùm dividendum, sed characteres adeò inter se combinati ut hæ divisiones potiùs, meo sensu, ut sectiones habendæ. Calycis æstivatio valvata in plerisque Flammulis, plùs minùsve induplicata in cæteris; involucrum sub flore in Cheiropside, nullum in cæteris; caudæ breves ebarbatæ in Viticellis, barbatæ longæ in cæteris; petala vera in Athragenibus, nulla in cæteris nisi duplicatis. Pedunculi paniculati aut ex foliorum axillis orti in Flammulis et Viticellis, pedicelli cum foliis ex veterum foliorum axillis fasciculatìm orti in Cheiropsidibus et Athragenibus.

Div. Ex fructu inflorescentiâ foliisque sic stabilitæ:

I. Flammula. Involucrum 0; petala 0; caudæ barbato-plumosæ. . . . . Sp. 1-70.

§. 1. Pedunculis ramoso-paniculatis, foliis pinnatìm sectis . . . . . Sp. 1-20.

§. 2. Pedunculis ramoso-paniculatis, foliis ternatìm sectis . . . . . Sp. 21-43.
§. 3. Pedunculis trifidis trifloris seu ternis unifloris. . . . . Sp. 44-53.
§. 4. Pedunculis solitariis unifloris, foliis pinnatìm ternatìmve sectis. . . . . Sp. 54-66.
§. 5. Pedunculis solitariis unifloris, foliis indivisis. . . . . Sp. 67-70.

II. Viticella. Involucrum o. petala o. caudæ breves ebarbatæ . . . . . Sp. 71-74.

III. Cheiropsis. Involucrum sub flore. Petala o. caudæ barbatæ. . . . . Sp. 75-79.

IV. Athragene. Involucrum o. petala ∞. caudæ barbatæ. . . . . Sp. 80-83.

† Species non satis notæ. . . . . 84-85.

Sect. I. FLAMMULA.

Flammula *Rupp. fl. jen.* 54. *Dill. elth.* 1. *p.* 86. — Clematis *Dill. giess. app.* 165. — Clematitis *Mœnch. meth.* 296.

Car. Involucrum sub flore o. Sepala æstivatione sæpissimè valvata; Petala o. Pericarpiorum caudæ longæ barbato-plumosæ; Embryonis in semine cotyledones distantes.

§. I. *Floribus paniculatis, foliis pinnatìm bipinnatìmve sectis.*

1 Clematis erecta.

C. caule erecto, foliis pinnati-sectis, segmentis petiolulatis ovato-lanceolatis integerrimis.

Flammula. *Math. comm.* 680. *f.* 3. *Cam. epit.* 698. *ic.*
Flammula Mathioli. *Clus. hist.* 1. *p.* 124. *f.* 1. *Dalech. lugd.* 1171. *f.* 2.
Flammula altera. *Dod. pempt.* 406. *f.* 1.
Flammula altera surrecta. *Lob. ic.* 627. *f.* 2.
Flammula recta. *C. Bauh. pin.* 300. *Besl. h. Eyst. æst.* 13. *fol.* 10. *f.* 1.
Clematitis sive Flammula surrecta alba. *J. Bauh. hist.* 2. *p.* 127. *f.* 2. *Chabr. sciag.* 117. *ic. Tourn! inst.* 394.
Flammula surrecta. *Rupp. fl. jen.* 54.
C. flammula Jovis. *Weinm. phyt.* 2. *p.* 189. *t.* 394. *a.*
C. recta. *Lin! sp.* 767. *Jacq. austr. t.* 291. *Lam! dict.* 2. *p.* 42. *Woodv. med. bot.* 1. *p.* 175. *t.* 62.
Flammula Jovis. *Storck. lib. flamm. ic.*
C. caule erecto, etc. *Ger. gallopr.* 382. *Hall. helv. n.* 1144.
C. flammula. *All! ped. n.* 1080. *excl. syn.*

C. erecta. *All! ped. n.* 1078. *Batsch. anal. fl. p.* 22. *t.* 12. *f.* 23. *Wild. sp.* 2. *p.* 1294. *Fl. fr!* 4. *p.* 873. *Sturm. deutschl. ic. Schkur handb.* 2. *t.* 151.

Clematitis erecta. *Mœnch. meth.* 104.

β. C. surrecta præcocior caulibus rubentibus. *Tourn. inst.* 394.

γ. C. Hispanica surrecta altera et humilior flore albicante. *Tourn. ins.* 394.

C. Hispanica. *Mill! dict. n.* 3.

C. corymbosa. *Poir! suppl.* 2. *p.* 297.

δ. C. bracteosa. *Banks herb!*

Hab. in collibus et sylvis cæduis Europæ australis; in Galliâ Mediterraneâ; Niceæ (All.); Carniolià (Scop.); Valesià inferiori (Hall.); Ratisbonæ (Ray.); Austriâ (Jacq.); Achaiâ et monte Hæmo (Sibt.); Tatariâ (Gm.).

♃. fl. jun. — sept. (v. v. et s. sp.).

Caules teretes, non scandentes; fol. segmenta 5-9, longè petiolulata, per paria opposita, glabra, glaucescentia; panicula terminalis, ∞-flora; flores paniculato corymbosi (præsertim in γ), albi, 4-5-sepali; pericarpia orbicularia, compressa, glabra, caudâ longâ, plumosâ. — Caul. virescens aut in β rubescens; fol. segmenta cordato aut ovato-lanceolata in α et β, oblongo-lanceolata in γ et δ. Bracteæ oblongæ, magnæ, elongatæ, floresque magis paniculati nec corymbosi in var. δ. Var. viticulosam mihi ignotam indicat cl. Murrith in Valesiâ circa Sion (Guid. bot. val. p. 62.).

2. Clematis flammula.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis glabris, integris trilobisve, orbiculatis ovalibus oblongis sublinearibusve, acutiusculis.

α. *Rotundifolia.* Fol. segmentis suborbiculatis.

C. fragrans. *Ten! fl. neap. prod.* 32. *vol.* 1. *t.* 48. *ex Cat. app.* 1. *p.* 52. *non Sal.*

β. *Vulgaris.* Fol. segmentis ovali aut oblongo-lanceolatis.

Flammula. *Dod. pempt.* 404. *f.* 2.

Flammula Dodonæi. *Dalech. lugd.* 1171. *f.* 1.

C. urens I et II. *Tab. ic.* 882 *et* 883.

C. altera urens vulgi flammula. *Lob. adv.* 256. *Ic.* 627. *f.* 1.

C. urens. *J. Ger. hist.* 888. *ic. Park. theat.* 380. *ic.*

C. sive flammula repens. *C. Bauh. pin.* 300. *Tourn! inst.* 293.

C. sive flammula scandens tenuifolia alba. *J. Bauh. hist.* 2. *p.* 127. *f.* 1. *Chabr. sciagr.* 117. *ic. Magn. bot.* 70.

C. scandens urens asparagi radice, etc. *Mich. h. Flor.* 27. *n.* 2. *et forsan n.* 4?

C. flammula. *Lin! sp.* 766. *Mill. dict. n.* 6. *Lam! dict.* 2. *p.* 42. *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 433. * *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 358. * *fl. fr.!* 4. *p.* 873.

C. caule scandente, etc. *Ger. gallopr.* 382. *Hall. helv. n.* 1143.

C. maritima. *All. ped. n.* 1081. *ex auct. p.* 20.

C. suaveolens. *Salisb. prod.* 371.

γ. *maritima.* Fol. segmentis linearibus.

C. maritima repens. *C. Bauh. prod.* 135. *Zanic. ist.* 69. *t.* 129. *Tourn. inst.* 294.

C. maritima foliis oblongis, etc. *Mich. h. Flor. p.* 27. *n.* 3.

C. maritima. *Lin. sp.* 767? *Lam! dict.* 2. *p.* 42. *DC. fl. fr.* 4. *p.* 873. 5. *p.* 632. *

β. C. rubella. *Pers. ench.* 2. *p.* 100.

Hab. vulgaris in sepibus et apricis Europæ et Africæ Mediterraneæ et in Lusitaniâ (Brot.), Rhætiâ (J. B.), agro Eliensi et Laconico (Sibt.). ad radices Caucasi (Bieb.). var. α. in regno Neapolitano. *Ten.* var. γ. in maritimis prope Monspelium.

♃ ◡. fl. æst. (v. v. sp.)

Scandens secùs sepes seu humi procumbens; junior interdùm suberecta; folia formâ variabilia; segmenta ovalia oblongo lanceolata, in var. α subrotunda aut in var. γ linearia, integra aut trilobata; flores albi, suaveolentes, 4-5-sepali. var. β. habet ex auctore sepala extùs rubella, fol. segmenta ovata, sæpè emarginata. — Herba clematidibus aliis Europæanis mitior, sicca ab animalibus, aquâ cocta ab hominibus ipsis hinc indè innocuè sumpta.

3. Clematis Massoniana.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis glabris subglaucis ovatis inciso-dentatis, trilobis trisectisve.

Hab. in Africâ australiori. *Fr. Masson* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Banks.)

Scandens, glabra, glaucescens; rami teretes, pallidi; folia pinnatim secta, petiolo longo, tortili, segmentis trijugis cum impari, petiolulatis, ovatis, inciso-dentatis, dentibus latiusculis mucronatis, interdùm variè 2-3-lobis aut 2-3-sectis, glaberrimis, subcoriaceis; panicula ampla, ramosa trichotoma; bracteolæ minimæ, oblongæ, acutæ, sub origine et ad basim pedicellorum; pedicelli graciles, pollicares; flores ignoti; pericarpia pubescentia, elliptica, compressa, in caudam plumosam longam desinentia, 18-20 super polyphorum scrobiculatum inserta.

4. Clematis Orientalis.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis glaucis glabris cuneiformibus trilobis, lobis dentatis acuminatis.

C. Orientalis apii folio flore è viridi flavescente posteriùs reflexo. *Tourn! cor.* 20.

Flammula scandens apii folio glauco. *Dill. elth.* 144. *t.* 119. *f.* 145. *opt.* *

C. orientalis. *Lin! sp.* 765. *Mill. dict. n.* 11. *Lam! dict.* 2. *p.* 42. *Wild. sp.* 2. *p.* 1289. *Ait. h. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 344. *Pict. hort. Paris.* 37. *t.* 3. *Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 20.

C. flava. *Mœnch. meth.* 296.

Hab. in Oriente. *Tourn.* in Caucasi virgultis (Bieb.). ♃ ◡ (v. v. c. et s. sp. in h. Tourn.). Fl. septemb. flores odori (Rich. mss.).

Variat pedunculis trifidis aut trichotomo-paniculatis.

5. Clematis glauca.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis glaucis, glabris, cuneiformibus sublobatis, lobis integris subobtusis, pedunculis trifidis.

C. glauca. *Wild! arb.* 65. *t.* 4. *f.* 1. * *sp.* 2. *p.* 1290.
Hab. in Sibiriæ Australis aridis. *Pallas.* ♃◡ (v. v. c. et s. sp.)
Simillima C. Orientali, sed foliorum segmenta rarò trilobata obtusa aut submucronata; cal. sepala oblonga intùs glabra; flores ex cl. Richard inodori, julio floridi, flavescentes; paniculæ subcorymbosæ; pedunculi sulcati, folio breviores.

6. Clematis paniculata.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis ovato-cordatis acutis integris, pedunculis paniculatis multifloris.

C. Vitalba Japonica. *Houtt. pflanz.* 7. *p.* 309. *f.* 2.
C. crispa. *Thunb. fl. jap.* 239. *non Lin.*
C. paniculata. *Thunb. act. soc. Lin.* 2. *p.* 337. *Wild. sp.* 2. *p.* 1291. *non Gmel.*

β?. *Lathyroides.* Segmentis binis, petiolis apice cirrhosis.

Hab. in Japoniâ prope Nagasaki. fl. aug. ♃◡ (v. s. sp.)
Caules teretes, striati, glabri; folia glabra, pinnatim decomposita, petiolis flexuosis, cyrrhiformibus, segmentis basi latis, subcordatis, apice acutis, extimis minoribus; flores paniculati, numerosi, floribus C. flammulæ sat similes; antheræ glabræ.
Var. β quam in herb. amiciss. Delessert à Japoniâ ortam video habet petiolos longos, segmenta tantum 2 opposita petiolulata ovata subcordata acuta gerentes, apice cyrrhiformes; flores paniculatos parvulos; sepala 4; antheras glabras; ovaria 6-7 villos albos gerentia; stigmata glabra, purpureâ; videtur species propria?

7. Clematis longiloba. †

C. caule scandente, foliis pinnatìm sectis, segmentis oblongo-lanceolatis acuminatis integerrimis glabris.

Hab. in Chinâ. *G. Staunton.* ◡ (v. s. sp. comm. a cl. Lambert.)
Media videtur inter paniculatam et minorem, foliorum petioli petiolulique tortiles; segmenta 5-7 distantia, longè petiolulata, oblongo-lanceolata, basi 5-nervia, ferè 3 pollices longa, 6-8 lin. lata; flores ignoti.

8. Clematis minor.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis ovato-lanceolatis integerrimis, pedunculis multifloris folii longitudine, ovariis quaternis.

C. maritima minor sinensium. *Pluk. am.* 60?

C. minor. *Lour! coch.* 1. 422. *

Hab. in suburbiis Cantoniensibus Sinarum. *Loureiro* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Paulò affinis C. flammulæ; caulis suffruticosus, glaber, teres, tenuis; Folia glabra, pinnatìm secta, segm. 5 longè petiolulatis, parvis, ovato-lanceolatis, obtusis, trinerviis; pedunculi axillares folii longitudine graciles, multiflori; bracteæ lineares, parvæ; flores totius generis minimi, glabri; sepala 4 alba, oblonga; stam. circiter 40; styli 4 pilosi.

9. Clematis Chinensis.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis ovato-lanceolatis integerrimis, pedunculis paucifloris folio longioribus, ovariis subquaternis, caudis subnudis.

C. chinensis. *Retz obs.* 2. *p.* 18. *n.* 53. *t.* 2. *

C. sinensis. *Lour. coch.* 1. *p.* 422. *?

Hab. in Chinâ et insulis Danes dictis. *Macartnei* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Banks.)

Scandens glabra siccitate nigricans; rami teretes; ramuli patentes; folia pinnati-secta, bijuga cum impari, petiolis longis subtortilibus, segmentis parvis, 8-9 lin. longis, petiolulatis, acutis, submucronatis, basi 3-nerviis, rariùs 5-nerviis, 2 lateralibus minoribus; folia summa, paniculæ intermixta, similia, sed minora; flores paniculati, parvuli; pedunculi trichotomi, foliis longiores; bracteæ oblongæ, apice acutissimæ, parvæ, sub pedicellis et secùs eos sitæ; sepala oblonga, glabra, 3 lin. longa, patentia, staminibus vix longiora, apice mucronata; stam. 10-15; antheræ filamentis longiores; ovaria 3-4 pubescentia, desinentia in caudam rectam longè densèque barbatam, stigmate glabro terminatam; pericarpia matura 1-4 orbicularia, compressa, subcarnosa, ferè glabra; cauda recta adpressè pubescens nec barbata.

10. Clematis terniflora.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis ovatis obtusis integerrimis, pedunculis trifidis trifloris, ovariis subquinis, caudis subbarbatis.

C. Chinensis. *Osb. itin. ed. angl.* 1. *p.* 329 *et* 393?

C. flammula var. *Lin! herb.*

Hab. in Chinæ provinciâ Che-Kiang. *Georg. Staunton* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Banks.)

Scandens, glabra, siccitate subobscura; rami sulcati, graciles; folia pinnati-secta, petiolis tortilibus, segmentis 5-7 petiolulatis, ovatis, obtusis mucronatis, integerrimis, basi subtrinerviis, 9-12 lin. longis, 6-7 latis, rarissimè ultimis trilobis; pedunculi axillares, trifidi, triflori; bracteæ oblongæ, petiolatæ, sub originem pedicellorum, pedicello medio nudo, lateralibus infra medium bracteolas subulatas duas gerentibus; flores ignoti; pericarpia 4-5, substellata, grossa, compressa, subcarnosa, rufa, glabra aut oculo armato pubescentia, desinentia in caudam longam, barbatam magis equidem quàm in C. chinensi, sed minùs quàm in nostratibus.

11. Clematis brevicaudata.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis ovato-lanceolatis acuminatis grossè serratis, pedunculis patentibus folio brevioribus confertè paniculatis.

Hab. in Chinâ inter Peking et Jehol. *Georg. Staunton* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Banks.)

Scandens glabra siccitate virescens; rami teretes, striis 6 latis parùm profundis notati; folia pinnati-secta, petiolis longis, eorumque ramulis segmenta tria petiolulata gerentibus, ultimis tamen segmento unico onustis; segmenta ovato-lanceolata, acuminata, basi trinervia, interdùm triloba, semper serraturas grossas acutas raras utrinque 1-3 gerentia; pedunculi axillares, folio breviores, patentes ramosi paniculati; panicula trichotoma conferta; folia trisecta sub origine ramorum primordialium; bracteæ cæterum subulatæ, minimæ; flores ignoti; pericarpia 10-15 ovata, subcompressa, villosa, in caudas rectas densè barbatas 3-4 lin. longas desinentia.

12. Clematis heracleæfolia.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis ovato-lanceolatis latè inciso-dentatis, ultimis trilobis, pedunculis erectis ramisque cinereo-velutinis.

Hab. in Chinâ inter Peking et Jehol. *Georg. Staunton* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Banks.)

Rami teretes, sulcati, velutini, cinerascentes; folia petiolis longis subtùs striatis, superiora gerentia segmenta 3 glabra coriacea siccitate virenti-subcinerea, medio longè petiolato trilobo, lateralibus duobus sessilibus mediique lobis latè inciso-dentatis, dentibus irregularibus grossis mucronatis; inter flores sita, aliis similia, sed breviùs petiolata, summa oblonga; pedunculi axillares, erecti, cinereo-velutini paniculati, pedicellis superioribus umbellatis; bracteæ oblongo-lineares, pedicellis breviores; alabastra oblonga, apice pyramidata, 6-8 lin. longa; sepala 4, ferè linearia, extùs subvelutina, staminibus paulò longiora; stamina glabra; antheræ filamentorum longitudine; ovaria 15-20 in caudas barbato-plumosas breves desinentia.

13. Clematis Gouriana.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis ovato-lanceolatis basi cordatis sub 5-nerviis acuminatis integris subdentatisve, pedunculis pubescentibus folio sublongioribus.

C. Gouriana. *Roxb*! *ined. in herb. Lamb.*

Hab. in Indiâ orientali. *Roxburgh* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lamb.)

Rami graciles, sex-sulcati, glabri aut oculo armato subpubescentes; petioli longi, tortiles; folia glabra, alia uni, alia bijuga cum impari, segmentis omnibus longè petiolulatis, ovato-lanceolatis, basi cordatis, apice acumi-

natis, integris aut dentibus acutis paucissimis hinc indè notatis, 18-24 lin. longis, 9-10 latis, basi ferè 5-nerviis, nervis nempè bijugis approximatis; pedunculi axillares, oppositi, pubescentes, folio æquales aut longiores, paniculati, ramis oppositis elongatis trichotomis; bracteæ ovatæ, basi in petiolum ferè angustatæ; bracteolæ minimæ vix ullæ; sepala oblonga subvelutina ferè foliacea obtusa, patentia aut reflexa, 3 lin. longa; stam. ∞, erecta, sepalis ferè longiora; pericarpia circiter 20, oblonga, pubescentia, in caudam barbato-plumosam abeuntia.

14. Clematis Vitalba.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis ovato-lanceolatis dentato-incisis acuminatis, basi truncato-cordatis, pedunculis folio subbrevioribus.

Αμπελος αγρια *Hipp. ed. Foes.* 889? *Diosc.* 4. 163? *ex Sibth. prod.* 377. *et ex nomine hodierno* Αγριοαμπελι.
Αδραγενη *Theoph. ed. Stap.* 540?
Cl. tertia *Math comm.* 680. *f. iv. Thal. herc.* 31.
Viorna *Lob. adv.* 275. *Ic.* 626. *f.* 1.
Atragene Theophrasti. *Clus. hist.* 1. *p.* 122. *f.* 2.
Vitalba *Dod. pempt.* 404. *f.* 1. *Stap. ed. Theophr.* 544.
C. sylvestris latifolia. *C. Bauh. pin.* 300. *Tourn! inst.* 293. *Weimn. phyt.* 2. *p.* 188. *t.* 393.
C. latifolia dentata. *J. Bauh. hist.* 2. *p.* 125. *f.* 2. *Chabr. sciagr.* 116. *ic.*
C. vitalba. *Lin! sp.* 766. *Jacq. austr. t.* 308. *Scop. carn. n.* 669. *Poll. pal. n.* 521. * *Curt. fl. lond.* 4. *t.* 37. *Gleich. aus. micr. t.* 53. 54. *Bull. herb. t.* 89. *Lam! dict.* 2. *p.* 41. *Goertn. fruct.* 1. *p.* 353. *t.* 74. *f.* 3. *Schkuhr. handb.* 2. *p.* 1472. *t.* 151. *Smith! fl. brit.* 2. *p.* 583. *Engl. bot. t.* 612. *DC! fl. fr.* 4. *p.* 872. *Gmel. fl. bad.* 2. *p.* 518. *Schrank. fl. monac.* 2. *t.* 108.
C. caule scandente, foliis pinnatis ovato-lanceolatis. *Hall. helv. n.* 1142. *
C. sepium. *Lam. fl. fr.* 3. *p.* 306.
C. dumosa. *Salisb. prod.* 371.

β. integrata, segmentis paucissimis, dentatis integerrimisve.
Vitis nigra. *Fuchs. hist.* 97. *ic.*
C. tertia. *Cam. epit.* 697. *ic.*
C. sive Viorna vulgi Lobelii. *Besl. h. Eyst. æst. ord.* 6 *fol.* 5, *f.* 3.
C. latifolia integra. *J. Bauh. hist.* 2, *p.* 125. *f.* 2 *Chabr. sciagr.* 116. *ic.*
C. sylvestris latifolia foliis non incisis. *Tourn. inst.* 293.

Hab. vulgatissima ad sepes et dumeta in planitiebus et montibus demissioribus Europæ mediæ et australis et in Græciâ Archipelago (Sibth.), circa Tripolim, *Labill.*, et in Tauriâ (Pall.)
♃ ◡ flor æst. ineunte (v. v. sp.)
Variat foliorum segmentis sæpissimè hinc indè grossè dentatis, rariùs integris: in hoc ultimo statu facilè adhùc dignoscitur à C. flammulâ segmentis majoribus basi truncatis, seu cordatis, nec basi ovatis et in petiolum subattenuatis; ovaria glabra, compressa; caudæ barbato-plumosæ; staminum filamenta apice dilatata; herba et fructus acres extùs applicati cutem rubefacientes et demùm ulcerantes, intùs venenosi.

15. Clematis grewiæflora.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis utrinque velutino-pubescentibus, segmentis cordatis acutis acutè serratis, pedunculis folio brevioribus 3-5-floris.

C. vitalba? *Buchan! ined. in h. Lamb.*

Hab. in Napaulià circa Harain-Hetty. Fl. in fine novembri. *Buchanan* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lamb.)

Scandens, pubescens, siccitate pallescens; rami teretes, substriati, velutini; petioli tortuosi, cirrhiformes; folia pinnati-secta; segmenta petiolulata, bijuga cum impari, exactè cordata, acuta, mucronata, marginibus acutè serratis, auriculis obtusis, velutina, reticulatim nervosa, supernè venis villosis impressis ornata, pollicem longa, 10 lin. circiter lata, ultima interdùm confluentia. Pedunculi velutini, axillares, oppositi, foliis breviores, flores 3-5 pedicellatos gerentes; pedicelli 1-2-jugi oppositi breves; bracteæ ovatæ, acutæ, subdentatæ, villosæ, sub pedicellis sitæ et iis ferè longitudine æquales; bracteolæ 2 minores ad basim pedicellorum. Alabastra globosa, velutina; sepala 4 ovalia, oblonga, erecta, crassa, extùs villoso-velutina, virescentia, intùs apice pubescentia, basi glabra, pupurascentia; stamina ∞ sepalis vix breviora; filamenta hispida; antheræ luteæ; styli barbato-plumosi; stigmata glabra.

16. Clematis Buchaniana.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis subtùs velutinis, supernè glabris, segmentis subcordatis crenatis, pedunculis folii longitudine 7-9-floris.

C. bucamara var. *Buchan! ined. in h. Lamb.*

Hab. in Napaulià circa Harain-Hatty. Fl. decedente octobre. *Buchanan* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lamb.)

Affinis C. grewiæfloræ sed differt, 1°. pubescentiâ breviori magis velutinâ albidâ nec in sicco subflavidâ, in ramis pedunculis nervisque foliorum magis confertâ; 2°. foliis interdùm bijugis, alias unijugis cum impari; 3°. segmentis supernè glabris, minùs cordatis, sæpè subtrilobis, non serratis, sed crenatis, crenis latis, obtusis cum mucrone; 4°. pedunculis foliorum longitudine 7-9-floris, nempè pedicellis 3-4-jugis, inferioribus sæpè trifloris, omnibus bracteâ duplò longioribus; 5°. floribus paulò majoribus, sepalis oblongis extùs minùs velutinis, apice magis patentibus; 6°. staminibus vix dimidiam sepalorum longitudinis partem superantibus.

17. Clematis loasæfolia. †

C. caule scandente, foliis utrinque villosissimis, inferioribus cordatis palmatìm 3-5-fidis, superioribus trisectis, segmentis subcordatis, subtrifidis.

C. bucamara var. *Buchan! ined. in herb. Lamb.*

Hab. in Napaulià circa Harain-Hetty. *Buchanan* ♃ ◡ (v. s. sp. in herb. Lamb.)

Frustulum sine flore tantùm video sed nec cum C. grewiæflorâ nec cum C. Buchanianâ conjungere audeo; rami juniores teretes, apice villoso-velutini, villis in sicco subrufis; folia inferiora petiolata, profundè cordata, palmatìm 3-5-fida, lobo medio productiore, lobis omnibus acuminatis, ovato-lanceolatis, grossè acutèque dentatis, basi 5-nerviis, utrinque villosissimis; superiora et ramea petiolata, trisecta, segmentis petiolulatis, subcordatis, subtrifidis, foliis simplicibus dimidio minoribus, magis adhùc villosis.

18. Clematis Peruviana.

C. caule scandente, foliis bipinnati-sectis villosis, segmentis basi ovatis, apice trifidis incisis, floribus subpaniculatis polygamis, pedunculis folio longioribus bracteosis.

Hab. in Peruviâ. *Dombey* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Caules sarmentosi, scandentes, teretes, subpurpurascentes, pubescentes; folia bipinnatìm secta, petiolis teretibus, pubescentibus, segmentis nunc subpetiolatis ternatìm approximatis ovatis, nunc solitariis tripartitis, basi cordatis, apice acutè inciso-dentatis, supernè pubescentibus aut glabris, subtùs villosis; pedunculi axillares, foliis longiores, parcè ramosi, pauciflori; ramuli uniflori oppositi; bracteæ oppositæ, ovales, subacutæ, integerrimæ. Flores C. Virginianæ majores, polygami, nempè alii masculi, alii hermaphroditi, sed stamina nunc numerosissima, nunc paucissima gerentes; sepala 4 patentissima, ovato-oblonga, acuta, staminibus duplò ferè breviora; filamenta glabra, 10-40, demùm reflexa; antheræ ovales; ovaria 40 circiter, demùm in caudam barbatam producta.

19. Clematis cordata.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis cordatis acuminatis lobatis inciso-dentatis, pedunculis elongatis multifloris, floribus dioicis racemoso-paniculatis.

C. cordata. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 384

Hab. in Virginiæ montibus excelsis. *Pursh.* ♃ ◡ fl. julio. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Scandens, habitu C. vitalbam æmulans; folia pinnati-secta uni aut bijuga cum impari; segmenta cordata, lobata, acuminata, inciso-dentata, dentibus mucronatis; racemi compositi, elongati, multiflori; flores dioici, C. Virginianæ similes; stamina sepalis subæqualia.

20. Clematis Caracasana.

C. caule scandente, foliis pinnati-sectis, segmentis ovatis acuminatis quinque nerviis integerrimis glabris, pedicellis bracteisque pubescentibus, floribus dioicis paniculatis.

C. Caracasana. *Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. et sp. amer. ined!*

Hab. in umbrosis Caracasanis. *Humb. et Bonpl.* ♃ ◡ (v. s. sp. ♂ in h. H. et B.)

Caulis teres, striatus; foliorum segmenta petiolata, bijuga cum impari; folia sub paniculâ sita, subtùs subpubescentia, ovata, acuminata, integra aut subtriloba; bracteæ lineari-subulatæ cum pediculis pubescentes; flores parvi 4-sepali extùs pubescentes dioici. Differt ab omnibus ferè speciebus dioicis ob folia pinnatìm nec ternatìm secta, à C. dioicâ et à C. glabrâ ob pedicellos pubescentes nec glabros, à C. cordatâ ob segmenta ovata nec cordata, etc.

§. II. *Floribus paniculatis, foliis ternatìm biternatìmve sectis.*

21. Clematis Virginiana.

C. floribus paniculatis dioicis, foliis ternatìm sectis, segmentis cordatis acutis grossè dentatis lobatisve.

C. Canadensis trifolia repens foliis incisis *Tourn! herb.*
C. aquatica trifoliata latè scandens floribus albis odoratis. *Gron. virg.* 62. *n.* 270.
C. Floridensis flore albo odoratissimo. *Albin. acad. ann.* 1. *p.* 79. *t.* 7.
C. Virginiana. *Lin! amœn.* 4. *p.* 275. * *Sp.* 766. *Lam. dict.* 2. *p.* 43. * *Wild. arb.* 66 * *sp.* 2. *p.* 1290. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 318. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 384. *Big. fl. bost.* 133.
C. Canadensis. *Mill. dict. n.* 5.
C. fragrans. *Salisb. prod.* 371. *non Ten.*
C. cordifolia. *Mœnch. supl.* 104.

♀? foliorum segmentis ovato-lanceolatis integris.
C. bracteata. *Mœnch. supl.* 103. *

Hab. in Americâ septentrionali, à Canadâ ad Virginiam *Michx*, in Pensylvaniâ (Lin.), Floridâ (Alb.), Virginiâ (Clayt.), Carolinâ inferiore *Fraser*, circa Bostoniam (Big.)

♃ ◡ fl. jun-aug. (v. v. c. et s. sp.)

Habitus C. Vitalbæ sed foliorum segmenta constanter terna, glabra, ovata, acuminata, basi cordata, grossè dentata incisave, rariùs suprema integra, ovato-oblonga; pedunculi axillares, oppositi, patentes, pubescentes, bis terve trichotomi, pedicello cujusque trichotomiæ medio unifloro; bracteæ lineares parvæ; flores dioici. ♂ sepala oblonga staminibus glabris longiora; ♀ pericarpia ∞ subglabra, ovata, subcompressa, parvula, in caudam longam barbato-plumosam abeuntia. — Var. ♀ habet foliorum segmenta oblongo-lanceolata, angusta, integerrima.

22. Clematis Catesbyana.

C. floribus paniculatis subdioicis, foliis biternatìm sectis, segmentis subcordatis trilobis.

C. Catesbyana. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 736.

Hab. in Carolinâ meridionali *Catesby* ex Pursh. ♃ ◡ (v. s. in h. Lamb.)

Similis C. Virginianæ, scandens, pubescens; folia biternatìm secta; segmenta vix ac ne vix cordata triloba, lobis integris, acuminatis, nervis subtùs pubescentibus; paniculæ divaricato-dichotomæ (Pursh); flores

parvi, subdioici, nempè fœminei filamentis membranaceis linearibus castratis donati; pedicelli tenues pube subvelutini; bracteæ lineares, acuminatæ; sepala 4 oblonga, extùs velutina, patentia, demùm reflexa, obtusiuscula; stamina sepalis breviora (Pursh); styli barbati.

23. Clematis Brasiliana.

C. floribus paniculatis dioicis, foliis trilobis aut ternatìm pinnatìmve sectis, segmentis petiolulatis ovali-lanceolatis integris aut vix dentatis.

Hab. in Brasiliâ ♂ ♀ (v. s. sp. comm. ab am. Delessert.)

Species C. Virginianæ et dioicæ affinis, sed certò diversa, 1°. foliis nunc vix trilobis, nunc ternatìm nunc pinnatìm sectis, nec verò constanter ut in C. Virginianâ ternati-sectis; 2°. segmentis sœpiùs integris nec grossè dentatis; 3°. foliis tenuiter pubescentibus nec glabris; 4°. staminibus sepalorum longitudine nec iisdem dimidio brevioribus; 5°, caule tereti nec hexagono. Ambigit inter primam secundamque generis sectionem.

24. Clematis dioica.

C. floribus paniculatis dioicis, foliis ternatìm sectis, segmentis subglabris ovatis subcordatis acuminatis tripli nerviis integerrimis, pericarpiis ovalibus, pedicellis pubescentibus.

C. prima seu sylvestris latifolia foliis ternis. *Sloan. jam.* 84. *hist.* 1. *p.* 199. *t.* 128. *f.* 1.

C. dioica. *Lin! amœn. acad.* 5. *p.* 398. *sp.* 765.

Hab. in Jamaicâ (*Sloane*) ♂ ♀ (v. s. sp. in h. Delessert et Banks ♂ ex Houston ♀ ex Wright.)

Rami teretes, graciles, glabri; folia glabra, omnia ternatìm secta, segmentis petiolulatis ovatis vix subcordatis, acutis, integerrimis, verè triplinerviis et ideò primâ fronte quinquenerviis; pedunculi axillares, oppositi, folio longiores, aut folii longitudine; pedicelli pubescentes; flores abortu subdioici; ♂ cal. sepala oblonga, pubescentia, reflexa, staminum longitudine; ♀ pericarpia circiter 20 compressa, pubescentia, ovali-oblonga, breviora quàm in C. americanâ, longè caudata.

25. Clematis glabra.

C. floribus paniculatis dioicis, foliis ternatìm sectis, segmentis glaberrimis ovatis acuminatis triplinerviis integerrimis, pericarpiis ovali-oblongis, pedicellis glabris.

Hab. in Sancto-Domingo. *Poiteau* ♂ ♀ (v. s. sp.)

Affinis C. dioicæ et forsan ab eâ non meritò segregata; differre videtur foliis sublucidis, glaberrimis, basi nullo modo cordatis; pedicellis glaberrimis, nec pube tenuissimâ vestitis; pericarpiis paulò magis elongatis; caudis longioribus.

26. Clematis Americana.

C. floribus paniculatis dioicis, foliis ternatìm pinnatìmve sectis, segmentis glabris ovato-cordatis 5-nerviis integerrimis acuminatis, pericarpiis lanceolatis.

C. scandens foliis 5-nerviis, ovatis, nitidis, pinnato-ternatis. *Brown. jam.* 255?

C. Americana triphylla foliis non dentatis. *Houst. mss. in bibl. Banks.*

C. Americana. *Mill! dict. n.* 14.

C. Guadelupæ. *Pers! ench.* 2. p. 99.

Hab. in Americâ equatoriali nempè in agro Campechiano (Mill.), in Guadelupâ *Badier*, in Martinicâ *Richard*, in Jamaicâ (Brown)? ♃ (v. s. sp.)

Caules validi, super arbores scandentes, glabri, teretes; folia glabra, subnitida, ampla, pinnatìm ternatìmve secta; petioli petiolulique patentes, longè teretes; segmenta ovata, basi cordata, margine integerrima aut dentes rarissimos grossosque gerentia, basi 5-nervia, 3 poll. longa, 2 poll. lata; paniculæ amplæ, ramis ramulisque oppositis; bracteæ lineares, parvæ; flores albi, dioici; sepala 4 oblonga, utrinque pubentia, patentia, subrevoluta; ♂ stam. ∞. ♀ pericarpia 20-40, hispida, lanceolata, angusta, desinentia in caudas barbato-plumosas longas.

27. Clematis Loureiriana. †

C. floribus paniculatis dioicis, foliis ternatìm sectis, segmentis ovatis acutis integerrimis subquinquenerviis, pericarpiis 80 obtusè trigonis.

C. dioica. *Lour. fl. coch.* 1. *p.* 421. *

Hab. in Cochinchinâ (Lour.) ♃ ◡.

A C. dioicâ diversa videtur et ob patriam diversissimam et ob pericarpia duplò triplòve numerosiora. — Arbores arundinesve scandens; flores albi, axillares; stamina ∞; sepala 4; pericarpia compressa, obtusè trigona, circiter 80 in capitulum disposita; cauda longissima, circinnata, pilis albis multis. (Lour.)

28. Clematis sericea.

C. floribus paniculatis dioicis, foliis ternatìm pinnatìmve sectis, segmentis ovatis 5-nerviis grossè 3-5-dentatis subtùs sericeo-villosis, pedunculis folio brevioribus multi bracteatis.

C. sericea. *Humb. Bonpl. et Kunth! nov. gen. et sp. am. ined.*

α *striatula*, caule striis 10-12.

β *tereticaulis*, caule tereti non striato.

γ *costata*, caule costis sex prominulis.

Hab. in Americâ meridionali circa Santa-Fez et forsan ad rivos fluminis Rio-Majo dicti. *Humb. et Bonpl.* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. HB.)

Planta magna, distinctissima, sed forsan in posterum in duas tresve species divellenda, nempè :

α. Prima, quæ mascula, è Santa-Fez orta, ex omni parte pubescens; huic caulis, teres tenuiter striatus, striis 10-12; folia omnia, etiam floralia, trisecta, segmenta ovato-lanceolata, acuminata, etiam supernè subpubescentia, serraturis utrinque 1-2 magnis acutis distincta; pedunculi folio breviores, multiflori; pedicelli aggregati, simplices; bracteæ plurimæ ad originem pedicellorum, oblongæ, acutæ; sepala 4 oblonga; stam. 20.

β. Secunda, quæ fructifera et sine loci natalis indicatione, ex omni parte rufo seu flavo sericeo-pubescens, sed folia supernè ferè glabra; caulis teres non striatus; folia floralia, alia trisecta, alia integra; segmenta ovata, acuta, 5-nervia, magna, alia integerrima, alia dente unico utrinque incisa et ferè triloba; pedunculi ut in var. α; pericarpia 20-30, pubescentia, desinentia in caudam longam villis flavo-rufis barbatam.

γ. Tertia, quæ sine flore et fructu ad rivos fluminis Rio-Majo lecta, habet caulem costis sex prominentibus obtusis sulco distinctis hexagonum; folia pinnatìm secta; segmenta ovata, basi cordata, 5-nervia, acuta, utrinque serraturis 2-3 magnis acutis incisa, supernè ferè glabra, subtùs adpressè sericeo villosa.

29. Clematis holosericea.

C. floribus paniculato-corymbosis dioïcis, foliis ternatìm sectis utrinque pubescentibus, segmentis oblongo-lanceolatis integris.

C. holosericea. *Pursh! fl. bor. am.* 2. p. 384.

Hab. in Carolinâ *Walter* ex Pursh ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lamb.)

Scandens, tota holosericeo-pubescens; corymbi trichotomi, pauciflori; flores parvi, albi; sepala linearia, staminibus longiora; pericarpiorum caudæ longæ plumosæ (Pursh.).

30. Clematis Bonariensis.

C. floribus paniculatis polygamis, foliis ternatìm sectis subglabris, segmentis ovato-lanceolatis integerrimis, pedunculis petiolo brevioribus ramisque pubescentibus.

C. Bonariensis. *Juss! herb.*

Hab. circà Buenos-Aires. *Commerson* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Juss.)

Caulis teres, apice tenuissimè pubescens; folia petiolata, omnia trisecta, segmenta petiolata, ovato-lanceolata, integerrima, acuta, glabra aut in nervis subtùs vix ac ne vix pubescentia; pedunculi oppositi, petiolis breviores, pubescentes, paniculati, multiflori; bracteæ lineares, ferè subulatæ; sepala 4 obovata, pubescentia; flores polygami aut monoïci, nempè in specimine mihi obvio, ferè omnes masculi ovariis abortivis, unico ovariis fertilibus donato; stamina longitudine sepalorum; ovaria villis longis sericeis onusta.

31. Clematis glycinoïdes.

C. floribus paniculatis dioïcis, foliis ternatìm sectis glabris,

segmentis ovato-lanceolatis acuminatis integerrimis basi trinerviis, pedunculis folio dimidio brevioribus, ramis glabris.

Hab. in Novâ-Hollandiâ circà Port-Jackson ♃ ◡ (v. s. sp. ♂ in h. Banks.)
Scandens, siccitate subobscura, ferè omninò glabra, Glycines trifoliolatas habitu æmulans; rami teretes, non striati, fusci, glabri, graciles; folia ternatìm secta, petiolo longo tortili, segmentis æqualiter ferè petiolulatis, ovato-lanceolatis, integerrimis, acuminatis, basi trinerviis, glabris, subtùs pallidis; pedunculi axillares, oppositi, folio dimidio breviores, erectiusculi, trichotomo-paniculati, pubescentes, cinerei; bracteæ duæ sub ramis inferioribus oblongæ, utrinque acuminatæ, foliaceæ; reliquæ minimæ, acutæ; flores parvi; sepala 4 oblonga, acuta, extùs subpubescentia; stamina brevia; antheræ filamentorum ferè filiformium longitudine.

32. Clematis hexasepala.

C. floribus paniculatis dioïcis hexasepalis, foliis ternatìm sectis, segmentis ovato-cordatis latè crenatis reticulatìm venosis glabris coriaceis.

C. hexapetala. *Lin. f. supl.* 271. *Forst! prod.* 42. *n.* 230. *Ic. ined. in bibl. Banks. t.* 170. *Willd. sp.* 2. *p.* 1290. *non Pall.*
C. Forsteri. *Gmel. syst.* 873.
Hab. in Novâ-Zelandiâ. *Forster* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Mus. Par. et Banks.)
Caulis scandens, teres, substriatus; folia ternatìm secta; segmenta ovato-cordata, crenis latis obtusissimis subincisa, petiolulata, coriacea, glaberrima, non verè trinervia ut in C. stenosepalâ, sed reticulatìm venosa; pedunculi pluriès dichotomi; pedicelli elongati, foliis triplò longiores seu æquales; bracteæ oblongo-lineares; flores patentes; sepala 6 oblonga, albido-subflavescentia in sicco, staminibus triplò longiora; pericarpia ovalia, compressa, pubescentia, vix apice attenuata, in caudam barbatam producta.

33. Clematis coriacea.

C. floribus paniculatis dioïcis tetrasepalis, foliis ternatìm sectis, segmentis cordatis grossè crenato-incisis glabris coriaceis, antheris ovato-oblongis.

α. *Obtusa*, segmentis cordatis obtusis.
β. *Acuta*, segmentis ovato-acuminatis.
Hab. in Novâ-Hollandiâ circà Port-Jackson ♃ ◡ (v. s. sp. α ♂ in h. Mus. Par. β ♀ in h. Lamb.)
Valdè affinis C. hexasepalæ, sed differre videtur habitu majori crassiori; foliorum segmentis majoribus, magis cordatis, obtusis, crenis latis subacutis, consistentiâ magis coriaceis; pedunculi axillares, foliis breviores, paniculato-corymbosi, pubescentes; bracteæ oblongæ, parvæ, ad corymbi basin subconfertæ; flores patentes, verò similiter ex sicco pallidè purpurascentes; sepala 4, nec 6, oblonga, extùs et margine pubentia, staminibus duplò longiora; stamina ∞; filamenta brevia;

antheræ filamentis longiores, lineari-subulatæ, acuminatissimæ; ovaria nulla.

Var. ♂, quam huc ex habitu refero, à priori differt, 1°. segmentis non cordatis, sed basi subproductis, apice acuminatis; 2°. pedicellis alabastrisque magis pubescentibus; alabastra oblonga; stamina o aut paucissima subabortiva; pericarpia 20-30 oblonga, compressa, desinentia in caudam longam barbatam; an prioris fœmina? an varietas? an species propria?

34. Clematis stenosepala.

C. floribus paniculatis dioïcis tetrasepalis, foliis ternatìm sectis, segmentis cordatis acuminatis trinerviis integris aut subdentatis, antheris ovato-oblongis.

C. stenopetala. *Brown! prod.* 2. *ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ circà Port-Jackson et alibi in montanis ♃ ◡ (v. s. sp.)

Sarmenta scandentia, teretia, striata, glabra; folia rarissimè indivisa, sæpissimè trisecta; segmenta petiolata, glabra, coriacea, basi cordata, trinervia, apice acuta, integra aut dentibus acutis paucissimis hinc indè dentata; pedunculi rarissimè simplices, uniflori, sæpiùs trifidi aut trichotomi; bracteæ oblongæ, integerrimæ, utrinque acutæ; pedicelli graciles; flores albi, dioïci, paulò C. Vitalbæ majores; sepala 4, oblongo-linearia, trinervia, obtusa, mucrone tenuissimo terminata, extùs et margine subpubentia; ♂ stamina inæqualia, sepalis dimidio breviora; antheræ ovato-oblongæ, acutæ, filamentis breviores; ♀ pericarpia 20-30 oblonga, utrinque attenuata, compressa, pubescentia, in caudam longam barbatam desinentia.

35. Clematis microphylla.

C. floribus paniculatis dioïcis, foliis ternatìm sectis, segmentis oblongis subuninerviis integerrimis glabris coriaceis.

Hab. in insulis sterilibus circà Novam-Hollandiam. *Leschenault, Riedley* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Affinis C. stenosepalæ, sed differre videtur, 1°. habitu toto maciiori; 2°. foliorum segmentis dimidio et ultrà minoribus, oblongis obovatisve, acutis obtusisve, semper integerrimis, basi subuni nec trinerviis; 3°. pericarpiis glabris nec pubescentibus.

36. Clematis aristata.

C. floribus paniculatis dioïcis tetrasepalis, foliis ternatìm sectis, segmentis ovato-subcordatis acutis grossè acutèque dentatis trinerviis, antheris apice aristatis.

C. aristata. *Brown! prod.* 2. *ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Mus. Par. et Banks, etc.)

C. stenosepalæ affinis, sed differt, 1°. foliorum segmentis dentato-serratis,

serraturis distantibus, acutis; 2°. sepalis oblongis, paulò latioribus; 3°. antheris ovatis, apice in acumen longum aristæforme productis.

37. Clematis indivisa.

C. floribus paniculatis, foliis ternatìm sectis, segmentis ovatis integerrimis mucronatis coriaceis glabris.

C. integrifolia. *Forst! prod.* 42. *n.* 231. *non Lin.*
C. paniculata. *Gmel. syst.* 873. *non Thunb.*
C. indivisa. *Willd. sp.* 2. *p.* 1291.
Heb. in Novâ-Zelandiâ. *Forster* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Mus. Par. Banks et Lamb.)
Scandens, glabra; petioli veteres persistentes, cirrhiformes; folia ternatìm secta; segmenta petiolulata, coriacea, ovata, vix acuta, integerrima, lateralia basi subinæqualia, parùm nervosa, ferè 2 poll. longa, ultrà pollicem lata; paniculæ axillares, foliis longiores, ramulis oppositis, unifloris, apice subvillosis, distantibus, circiter 3-4-jugis cum impari; bractea oblonga, acuta, sub quoque ramo et duæ oppositæ in medio cujusque ramuli; flores et fructus desunt in omnibus speciminibus.

38. Clematis hedysarifolia.

C. floribus paniculatis, foliis ternatìm sectis, segmentis ovato-lanceolatis acuminatis subintegris glabris imâ basi quinquenerviis.

Hab. in Indiâ orientali circà Daogown in rupibus. *A. P. Hore* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Banks.)
Scandens, glabra; rami teretes, striati, pallidi; folia omnia ternatìm secta, petiolo tortili, longo, segmentis petiolulatis, subæqualibus, ovato-lanceolatis, basi vix ac ne vix subcordatis, acuminatis, integris aut dentibus grossis 1-3 utrinque notatis, cinereo-virentibus, utrinque concoloribus, basi 5-nerviis, cæterùm reticulatis; pedunculi axillares, inferiores paniculati, multiflori, superiores trifidi, summi simplices uniflori terni; bracteæ ovales-oblongæ, acutæ, sub origine ramorum et paulò infrà medium pedicellorum; alabastra ovoïdea, extùs villoso-canescentia; sepala 4, ovali-oblonga; ovaria villosissima, in caudam barbatam brevem desinentia.

39. Clematis acuminata.

C. floribus subpaniculatis, foliis ternatìm sectis, segmentis ovato-lanceolatis acuminatissimis medio subserratis 3-5-nerviis glabris.

C. trinervis. *Buchan! ined. in h. Lamb.*
Hab. in Napaulià circà Narain-Hetty; floret ad finem decembri. *Buchanan* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lamb.)
Scandens, glabra, siccitate pallescens; rami teretes, graciles, purpurascentes, inferiores striati; folia ternatim secta, segmentis petiolulatis, ovato-lanceolatis acuminatissimis, 20-24 lin. longis, 7-9-latis, nunc sub

integris, nunc serraturas acutas angustas sparsas medio utrinque gerentibus, basi et apice integris, tenuibus, subcoriaceis, basi verè 5-nerviis, nervis 2 lateralibus brevibus, cæterùm trinerviis; pedunculi axillares, folii longitudine, graciles, trifidi aut trichotomi, pedicellis elongatis, mediis nudis, lateralibus bracteolas 2 minimas acutiusculas infrà medium gerentibus; sepala 4 ovali-oblonga, vix patentia, margine subtomentosa, C. orientali sat similia; stamina pauca, sepalis paulò breviora; ovaria ∞ in stylos barbato-plumosos desinentia.

40. Clematis apiifolia.

C. floribus paniculatis hexagynis, foliis ternatìm sectis, segmentis ovatis acuminatis inciso-dentatis subtùs nervosis.

Hab. in Japoniâ ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lamb.)

Scandens, subglabra, siccitate nigricans et tunc primâ fronte C. Chinensem æmulans; rami graciles, substriati; folia petiolata, ternatìm secta, segmentis petiolulatis, ovatis, acuminatis, grossè inciso-dentatis, subtùs nervosis subpallidioribus; pedunculi axillares, oppositi, folio æquales aut paululùm longiores, paniculati; bracteæ minimæ, subulatæ, ad basin ramulorum et in medio pedicellorum lateralium; flores ignoti; pericarpia 5-7, stellatìm patentia, oblonga, acuminata, vix compressa, pubescentia, in caudam barbato-plumosam semine vix duplò longiorem desinentia.

41. Clematis trifoliata. †

C. floribus paniculatis, foliis ternatìm decompositis glabris, segmentis ovatis obtùsis repando-dentatis.

Scandens foliis ternatis. *Thunb. fl. jap.* 357. *n.* 43.

C. trifoliata. *Thunb. act. soc. Lin.* 2. *p.* 337. *Willd. sp.* 2. *p.* 1291.

Hab. in Japoniâ (Th.) ♃ ◡.

Caules fruticosi, glabri, purpurei, scandentes, filiformes; folia glabra, patentissima, ternatìm decomposita; petioli sesquipollicares; segmenta petiolulata, ovata, obtusa, repando-dentata, subtùs pallida, semiunguicularia (Th.).

42. Clematis biternata.

C. floribus paniculatis hermaphroditis hexagynis, foliis glabris biternatìm sectis, segmentis subcordatis acutis.

Senninso. *Kœmpf. amœn.* 5. *p.* 885.

C. virginica. *Thunb. fl. jap.* 240. *non Lin.*

C. Virginiana. *Lour. fl. coch.* 1. *p.* 422 * *non Lin.*

Hab. in insulâ Timor, *Riedlei;* in Japoniâ (Thunb.), ad sepes Cochinchinæ (Lour.) ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Habitus C. Virginianæ; caulis scandens, teres; folia glabra, biternatìm secta; petioli tortuosi, cirrhiformes; pediculi foliis breviores, trifidi, multiflori, subcorymbosi; flores albi, hermaphroditi nec ut in C. Virginianâ dioici; sepala 4 ovato-oblonga, patentia; pericarpia 5-7 pubescentia, compressa ovali-oblonga, in caudam longam barbatam producta.

43. Clematis triternata. †

C. floribus . . . . . foliis bi seu triternatìm sectis subglabris, segmentis ovali-cuneatis trinerviis acutè trifidis.

Atragene triternata. *Desf! hort. paris.*
Hab. . . . . ♃ ◡ (v. v. c. in hort. Par. sub dio.)
Caules scandentes, teretes, ramis striis sex sulcati, glabri, nascentes tenuissimè velutini; folia adulta glabra, nascentia subpubescentia, bi aut triternatìm secta, petiolo tereti basi non dilatato sæpè cirrhiformi, segmentis petiolulatis, basi ovali-cuneatis, trinerviis, apice trifidis, lobis acutis, lateralibus brevibus divergentibus, medio longiore acuminato. Nundùm in hortis floruit.

§. III. *Pedunculis trifidis* 3-*floris seu ternis* 1-*floris, foliis ternatìm* (*rariùs pinnatìm*) *sectis.*

44. Clematis Dominica.

C. Pedunculis trifidis trifloris folio longioribus, foliis ternatìm sectis, segmentis ovatis subcordatis acutis subtùs pubescentibus subdentatis.

Atragene polygama. *Jacq. amer. ed. pict.* 2. *t.* 261. *f.* 244. *Gmel. syst.* 872. *Vitm. summ. pl.* 3. *p.* 350.
C. dominica. *Lam! dict.* 2. *p.* 45.
Hab. in Sancto-Domingo, *Richard*, Martinicâ et Dominicâ, *h. Lam.*, in Havanæ sepibus (Jacq.) ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lam.)
Caulis teres, gracilis, subrubescens, scandens, tenuissimè et adpressè pubescens; ramuli et pedicelli puberuli, subferruginei; folia petiolata, trisecta; segmenta petiolata, coriacea, subtùs pubescentia, supernè glabra, subnitida, ovata, basi vix ac ne vix subcordata, acuta, integra, aut utrinque dente unico grosso incisa, 4-7 lin. longa; ramusculorum folia breviter petiolata, simplicia et priorum segmentis similia; pediculi foliis longiores, 3-fidi, 3-flori; bracteæ ovali-oblongæ, sessiles, integræ; flores parvi extùs ferrugineo-pubentes, dioïci, inodori, albidi (Jacq.); sepala 4, oblonga, patentia; ovaria glabra.

45. Clematis brachiata.

C. pedunculis ternis 1-floris seu trifidis paniculatisve foliis longioribus, foliis ternatìm pinnatìmve sectis, segmentis ovatis grossè dentatis, alabastris globosis.

C. brachiata. *Ker! in Bot. Reg.* 2. *t.* 97. *
Hab. ad promontorium Bonæ-Spei. *Fr. Masson* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Banks.)
Caules teretes, vix ac ne vix striati, subpubescentes, scandentes; rami patentes; folia uni aut bis ternatìm subpinnatìmve secta; segmenta parvula (in plantâ cultâ C. flammulæ ferè magnitudine), petiolata,

ovata, grossè dentata dentibus paucis basi latis mucronatis, subtùs reticulata, subcoriacea, interdùm triloba; pedicelli folio longiores, pubescentes, nunc terni, graciles, uniflori, terminales nudi, laterales bracteolis 2 ovato-oblongis medio stipati, interdùm trifidi, imò paniculati pedicellis bijugis nempè cum impari; bracteæ ovatæ pedicellis longiores; alabastra globosa, extùs pubescentia; sepala 4 albida, ovali-oblonga, obtusa, staminibus paulò longiora; staminum filamenta basi præsertim hispida; ovaria villosa, in caudas barbatas desinentia.

46. Clematis grandiflora.

C. pedunculis 1-3-floris folio brevioribus, foliis pinnati-sectis glabris, segmentis ovato-lanceolatis acuminatis subtùs reticulatìm nervosis, sub-serratis.

Hab. in Sierrâ-Leonâ. *Afzelius* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Banks et Smith.)

Caules teretes, glabri, scandentes; folia glabra, pinnati-secta, petiolo tortili, segmentis 5, longè petiolulatis, ovato-lanceolatis, acuminatis, coriaceis, basi sub-5-nerviis, subtùs reticulatìm nervosulis, in nervulis pubescentibus, utrinque concoloribus, 3 poll. ferè longis, 12-15 lin. latis, margine serraturas parvas distantes hinc indè gerentibus; pediculi axillares, solitarii, petiolo dimidio breviores, nunc uni, nunc triflori, medio bracteolas 2 oblongas acutas integras dentatasve gerentes; alabastra ovata subconica velutina; flores totius generis maximi; sepala ovali-oblonga, subacuta, pollicem et ultrà longa, extùs velutina, trinervia; stamina sepalis dimidio breviora; filamenta pilis patentibus longis hispida; ovaria ∞; pericarpia villosa in caudas longas barbato-plumosas desinentia.

47. Clematis Lechenaultiana.

C. pedunculis trifidis trifloris folio brevioribus, foliis ternatìm sectis adpressè sericeis, segmentis ovato-lanceolatis 5-nerviis exsertè serratis.

Hab. in Javâ, *Lechenault* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Affinis C. Mauritianæ et velutinæ; caules teretes, vix striati, pubescentes, ad nodos villosi; folia superiora petiolata, ternatìm secta, villis adpressis subflavescentibus sericea; segmenta 5-nervia, ovato-lanceolata, basi vix ac ne vix cordata, serraturis exsertis raris; pedunculi axillares, pubescentes, trifidi, triflori; bracteæ lineares, acutæ; calycis sepala oblonga, subacuta, intùs extùsque velutina, ferè 5-6 lin. longa; pericarpia pubescentia, oblonga, utrinque acuta, 40-50 super polyphorum globosum pubescentem aggregata, desinentia in caudas barbatas, in sicco subflavescentes, pollicem longas.

48. Clematis Noronhiana. †

C. pedunculis 1-3 unifloris folio brevioribus, foliis ternatìm sectis pilosis, segmentis ovato-lanceolatis trinerviis exsertè serratis.

Trigula trifoliata. *Noronha*, *Icon. ined. in bibl. Juss.*

Hab. in Javâ, ubi javanicè dicitur *Oyot-chunchum* (Nor.) ♃ ◡.

Affinis C. Lechenaultianæ; radix crassa, subrotunda, fibrosa; caulis frutescens, teres, arboribus innascens, pilosus; folia pilosa, aspera; petioli longi, intorti, trifidi; segmenta 4 poll. longa, 2 poll. lata, longè petiolulata, ovato-lanceolata, acuminata, serraturis exsertis utrinque 8-9 serrata, nervis 3 rubentibus trinervia, nervulis transversis subreticulata; pedunculi 1-3, ex apicibus ramulorum orti, flore vix longiores; flores flavescentes; sepala 4 oblongo-linearia, sulcata, acuta, villosa; stamina 50-60 erecta, flava; antheræ villosæ, styli albidi, circiter 80-100; fructus ignotus. (Descr. ex ic.)

49. Clematis Mauritiana.

C. pedunculis trifidis, foliis ternatìm sectis glabris, segmentis ovatis acuminatis grossè serratis.

C. Mauritiana. *Lam! dict.* 2. *p.* 42. * *Pers. ench.* 2. *p.* 99.

C. triflora. *Vahl! symb.* 3. *p.* 74. * *Pers. ench.* 2. *p.* 99.

C. Sonneratii. *Pers. ench.* 2. *p.* 99.

Hab. in insulis Mauritii et Madagascar, *Commerson* ♃ ◡ (v. s. sp.)

Caules sarmentosi, glabri; foliorum segmenta petiolulata, 1-2 poll. longa, pollicem lata, ovato-lanceolata, summa basi subcordata sæpiùs triloba nec trisecta, omnia glabra, in venis subtùs subpilosa, serraturis mucronatis serrata; pedunculi terminales aut inter ramulos 2 oppositos solitarii et ideò nunc trifidi nunc terni patentes, folii circiter longitudine, medio nudo, 2 lateralibus bracteolas duas minimas gerentibus; flores hermaphroditi; sepala 4 utrinque villosa; pericarpia ovata, compressa, pubescentia, attenuata, in caudam longam barbato-plumosam. — Herba recens urentissima et cantharidum loco à Madagascariensibus usitata undè in Commersonii herbario dicta *C. furialis*, *C. urentissima*.

50. Clematis Havanensis.

C. pedunculis 1-3-floris, foliis ternatìm sectis subtùs sericeo-pubescentibus, segmentis ovato-lanceolatis grossè serratis.

C. Havanensis. *Humb. Bonpl. et Kunth! nov. gen. et sp. am. ined.*

Hab. circà Havanam. *Humb. et Bonpl.* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. H. B.).

Valdè affinis C. Mauritianæ sed pubescentià sericeà diversa; caulis teres; petioli cirrhiformes; segmenta 3 petiolata, basi 5-nervia, ovato-acuminata, summa oblonga, serraturis paucis grossis margine incisa; pedicelli oppositi, folio longiores, pubescentes, simplices, aut bi seu trifidi et ideò 1-3-flori, medio bracteis 2 oppositis oblongis integris stipati; flores non vidi; pericarpia pubescentia, oblonga, desinentia in caudam barbatam pollicem et ultra longam.

51. Clematis Javana.

C. pedicellis 1-3-floris, foliis ternatìm biternatìmve sectis pubescentibus, segmentis ovato-lanceolatis acuminatis, integris trìfidisve subdentatis.

Hab. in Javâ. *Lahaie* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Deless.)

Caules scandentes, graciles, teretes; folia petiolata, pilis parvis distantibus subadpressis utrinque pubescentia, inferiora, ternatim secta, segmentis (imprimis medio) petiolatis basi subcordatis trifidis, lobis grossè subserratis, acuminatis; superiora biternatim secta, segmentis ovato-lanceolatis rarò trifidis grossè subserratis acuminatis; pedicelli axillares, oppositi, foliis breviores, uniflori, medio gerentes bracteolas 2 oppositas, in quarum axillis rudimenta florum reperiuntur undè pedicelli verosimiliter trifidi triflorique interdùm evadunt; flores parvi; sepala 4 oblonga, patentia, margine subvelutina, staminibus paululùm longiora; stam. circiter 20; ovaria totidem villosissima.

52. Clematis Daurica.

C. pedunculis ternis unifloris, foliis ternatìm sectis glabris, segmentis ovatis basi obliquis integerrimis mucronatis, floribus hermaphroditis nutantibus.

C. Daurica. *Pers! ench.* 2. *p.* 99.
Hab. in Daurià. *Patrin.* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Juss.)
Caulis scandens, glaber, teres, profundè striatus; folia glabra, ternati-secta, segmentis petiolulatis; pediculi ex apice ramulorum terni, uniflori, intermedio nudo, lateralibus in medio bracteolis 2 oppositis, oblongis, acutis, utrinque subunidentatis stipati; flores pedicello apice inflexo nutantes, C. glaucæ ferè similes; sepala oblonga, acuminata, crassiuscula, margine tomentosa, extùs intùsque obscurè purpurea; ovaria villis longis albis sericeis onusta. Ex flore species videtur Viticellæ affinis, sed fructus ex ovario comosi videntur, et æstivatio floris valvata.

53. Clematis Plukenetii.

C. pedunculis unifloris, foliis ternatìm sectis glabris, segmentis ellipticis obovatisve obtusis integerrimis mucronatis, floribus dioïcis, erectis.

C. exotica repens minor foliis ferè orbiculatis uno pediculo ternis floribus candidissimiis odoratis. *Pluk. alm.* 109.
Hab. verosimiliter in Americâ ♃ ◡ (v. s. in h. Banks ex h. Catesby.)
Scandens, glabra, tenella; rami graciles, teretes, tenuissimè striati; folia ternati-secta, petiolo gracili 6 lin. longo, segmentis petiolulatis, ellipticis, ferè obovatis, obtusis, mucronatis, basi subattenuatis, integerrimis; pedunculi axillares, solitarii, uniflori, oppositi, medio bracteolis 2 oblongis utrinque acutis stipati; terminali nudo unifloro; flores dioïci; ♂ sepala 4 oblonga, margine tomentosa, subpurpurascentia; alabastra subglobosa; stam. ∞ sepalorum longitudine; ovaria abortiva.

§. IV. *Pedunculis solitariis, unifloris, foliis pinnatìm (rariùs ternatìm) sectis.*

54. Clematis angustifolia.

C. pedunculis unifloris, sepalis 6-8 obtusissimis, foliis

pinnatìm sectis, segmentis lanceolato-linearibus acutiusculis integris trilobisve, caulibus erectis.

C. erecta foliis angustis cornu cervi divisuris. *Amm. ruth. n.* 108.
Atragene foliis pinnatis foliolis ex lineari-lanceolatis simplicibus bi et trifidis. *Gmel. sib.* 4. *p.* 194. *n.* 32.
C. maritima. *Lin. sp.* 767 ? *excl. syn.*
C. hexapetala. *Pall! itin.* 3. *app. n.* 96. *t.* 9. *f.* 2. *ed. gall.* 8. *p.* 329. *t.* 74. *f.* 2. *non Lin.*
C. angustifolia. *Jacq ! enum.* 310. *Coll.* 1. *p.* 137 *. *Ic. rar.* 1. *t.* 104. *Willd. sp.* 2. *p.* 1293. *Poir. supl.* 2. *p.* 295.
C. Sibirica. *Lam. in Pall. ed. gall. l. c.*
C. Pallasii. *Gmel. syst.* 873.
Hab. ad littora septentrionalia maris Adriatici, *Jacquin ;* in Sibiriæ campis aridis circà Argunum, *Pallas ;* in collibus Tauriæ (Bieb. *Patrin*), in reg. transbaïcalensibus (Gmel.) ♃. (v. s. sp.)
Caules erecti, simplices, striati, glabri ; folia dura, glabra, pinnati-secta ; segmenta inferiora, oblonga, integerrima, acuta, terminali trifido, lobis oblongis, acutis, mucronatis, integris, omnibus subreticulatìm nervosis; pediculi terminales, è dichotomiâ orti, solitarii aut axillares, subpaniculati, foliis æquales aut paulò longiores; sepala 5-10, sæpiùs 6-8, ovali-oblonga, basi angustata, extùs tomentosa, intùs glabra, obtusissima, staminibus duplò longiora; pericarpia circiter 25 compressa, pubescentia, desinentia in caudam rectam, semipollicarem, densissimè barbatam. — Variat caule superiùs et ad genicula lanuginoso.

55. Clematis scabiosæfolia.

C. pedunculis unifloris, sepalis 4 ovali-oblongis, foliis pinnati-sectis, segmentis petiolulatis tripartitis incisis pubescentibus, lobis cuneiformibus, caule erecto velutino.

Hab. verosimiliter in Indiâ. ♃ (v. s. in h. Mus. Par.)
Tota velutino-pubescens; caules herbacei, erecti, stricti, substriati, velutini; rami axillares, summi oppositi, foliis duplò longiores; folia subtùs velutino-incana, supernè adpressè pubescentia, viridia, pinnatìm secta, segmentis utrinque 3 cum impari, petiolatis, tripartitis, partitione mediâ trifida, lobis oblongis, acutis, cuneiformibus ; pedunculi 1-flori terminales, nudi, solitarii aut oppositi, foliis longiores, bracteati; bracteæ 2 oppositæ, tripartitæ ; sepala 4 ovalia, subtùs villosa, canescentia, intùs pubentia ; staminum filamenta basi hispida ; antheræ ex oblongo lineares ; ovaria ∞ villosa, in caudam barbatam producta.

56. Clematis villosa.

C. pedunculis unifloris, sepalis 4 ovali-oblongis, foliis villosis pinnati-sectis, segmentis sessilibus ovalibus apice grossè dentatis, terminali trifido, caule erecto villoso.

Hab. verosimiliter in Indiâ ♃ (v. s. in h. Mus. Par.)
Adeò similis C. scabiosæfoliæ ut vix ab eâ primâ fronte separanda ; differt,

1°. caule foliisque magis villosis et præsertim foliorum pube minùs adpressâ; 2°. foliorum segmentis omnibus sessilibus, ovalibus, minime tripartitis, sed apicem versus latè grossèque dentatis, dentibus obtusis, submucronatis, segmento terminali trinervio, subcordato, trifido, suborbiculato, lobulis grossè dentatis; 3°. pedunculis axillaribus ex caule precipuo ortis, folia vix æquantibus, simplicibus, unifloris; 4°. bracteolis minimis oblongis, integris.

57. Clematis hirsutissima.

C. pedunculo unifloro, sepalis ovatis erectis apice reflexis, foliis bipinnatifidis, laciniis linearibus, caule erecto hirsutissimo.

C. hirsutissima. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 385.

Hab. in Americæ borealis planitiebus circà flumen Columbia (Pursh.) ♃ fl. maio.

Erecta, simplex, omninò pilis longis confertis ut in Anemone Pulsatilla hirsutissima; folia bipinnatifida, incisa, laciniis linearibus acutis; caulina compositè multifida; pedunculus terminalis, solitarius; flos erectus campanulatus; sepala 4 erecta, ovata, obtusiuscula, apice reflexa (Pursh.)

58. Clematis linearilobа.

C. pedunculis unifloris, sepalis acutissimis, foliis pinnatìm sectis glabris, segmentis integris aut tripartitis, lobis linearibus.

Hab. in Carolinâ inferiore. *Fraser* ♂ ♃ (v. s. sp.)

Caulis teres, striatus, purpurascens, gracilis, glaber; folia glabra, pinnatìm secta; segmenta 3-4-juga, inferiora tripartita, alia indivisa; inferiorum partitiones et superiora linearia, integerrima, acuta, pollicem et ultrà longa, vix 2 lin. lata; petioli tortuosi, cirrhiformes; pedunculi terminales solitarii, uniflori, folio breviores; sepala ferè pollicem longa, acuta, extùs glabra margine pubescentia, staminibus duplò ferè longiora; antheræ longæ, lineares, glabræ; ovaria ∞.

59. Clematis Walteri.

C. pedunculis unifloris, sepalis ellipticis, foliis pinnatìm sectis, segmentis divaricatis lineari-lanceolatis acutis integerrimis subtùs glaucis.

C. Walteri. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 384.

Hab. in Carolinâ (Pursh.) ♃

Folia cirrhosa, trijuga; segmenta petiolata; flores albi; sepala staminibus duplò longiora (Pursh.).

60. Clematis diversifolia.

C. pedunculis unifloris, sepalis acutissimis subpatentibus, foliis glabris, nunc integris, nunc trilobis, nunc trisectis,

segmentis lanceolatis acutis, lateralibus sessilibus, medio petiolato.

Hab. . . . . ♄ (v. v. c. in hort. Parmensi) flor. septembri.

Caules scandentes, subhexagoni, glabri; folia glabra, tenuia, in iisdem ramis polymorpha, nunc integra oblongo-lanceolata, nunc triloba lobis acutis, nunc trisecta lobis lateralibus sessilibus obliquis lanceolatis acutis integris, medio petiolato ovato-lanceolato integro aut subtrilobo, inferiora forsan pinnati-secta; pedunculi terminales, uniflori, foliis longiores, nudi; flos suberectus, magnus; sepala 4 oblongo-lanceolata, acutissima, ferè pollicem longa, subpatentia, margine pubescentia; stam. ∞, antheris filamentisque villosis; pericarpia 15-20, caudata, plumosa. — C. purpurea flore pleno scandens, *Chabr. sciagr. p.* 117. *f.* 5; omninò nostram quoad folia et habitum refert, sed flores diversi.

61. Clematis Viorna.

C. pedunculis unifloris, sepalis conniventibus crassis apice reflexis acuminatis, foliis glabris pinnatìm sectis, segmentis integris trilobisve ovatis acutis, floralibus integris.

C. purpurea, repens, petalis florum coriaceis. *Ray. hist.* 1928. *Pluk. mant.* 51.

Scandens Caroliniana planta Viornæ folio. *Pet. sicc.* 27. *ex Ray. app.* 248.

Flammula scandens flore violaceo clauso. *Dill. elth.* 144. *t.* 118. *f.* 144 *.

C. foliis compositis decompositisque foliolis quibusdam trifidis. *Gron. fl. virg. ed.* 1. *p.* 62. *ed.* 2. *p.* 84.

C. viorna. *Lin! sp.* 765. *Mill. dict. n.* 10. *Lam! dict.* 2. *p.* 44. *Willd. sp.* 2. *p.* 1288. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 318. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 385. *Jacq. f. ecl.* 1. *p.* 50. *t.* 32.

Hab. in Americæ borealis montanis dumetis, in Virginiâ, *Michx.*; Carolinâ inferiore, *Fraser.* ♄ (v. v. c. et s. sp.)

Caules teretes, graciles, glabri, scandentes; folia formâ et magnitudine varia, glabra, tenuia, subtùs subpallidiora, bi-trijuga, sæpè apice cirrho tortili terminata; pedunculi terminales, sæpiùs uniflori, interdùm trifidi, triflori; folia floralia, integra; flores violacei, intùs pallidi, pedicello apice inflexo nutantes; sepala 4 crassa, coriacea, conniventia, apice paulò reflexa subuncinata, margine tomentosa, staminibus duplò longiora; stam. ∞ filamentis antherisque linearibus villosis; pericarpiorum caudæ longæ plumosæ. — Herba intensè acris (Barton.)

62. Clematis cylindrica.

C. pedunculis unifloris, sepalis acuminatis margine undulatis tenuibus, foliis glabris tenuibus pinnatìm decompositis, segmentis petiolatis ovatis oblongisque.

C. crispa. *Lam! dict.* 2. *p.* 44 *. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 318. *non Lin.*

C. viorna. *Andr. bot. rep. t.* 71. *non Lin.*

C. cylindrica. *Sims in Bot. Mag. t.* 1160. *Ait. h. kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 343. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 385.

C. divaricata. *Jacq. f. ecl.* 1. *p.* 51. *t.* 33 *.

Hab. in Americâ boreali, in Pensylvaniâ, *h. Deless.*; Carolinâ et Virginiâ, *Michx.* ♃ ◡, fl. jul. octob. (v. s. sp. in h. Lam. Rich.)

Affinis C. viornæ, reticulatæ et crispæ; à C. viornâ differt foliorum segmentis omnibus integris nec sæpè trifidis, floribus cæruleis duplò majoribus, sepalis non coriaceis subpapyraceis margine undulatis, ovariis 12-15 nec 25-30; à C. reticulatâ differt foliis ferè papyraceis nec coriaceis, vix venosis nec reticulatim nervosis, etc.; à C. crispâ, cui habitu et florescentiâ sat similis, differt sepalis margine undulatis nec subtùs revolutis, flore majore, et præsertim pericarpiorum caudis longioribus barbatis nec nudis.

63. Clematis reticulata.

C. pedunculis unifloris, sepalis conniventibus, foliis coriaceis reticulatim nervosis glabris pinnatim sectis, segmentis petiolatis trilobis aut integris ovatis.

C. reticulata. *Walt. fl. car.* 156. *Gmel. syst.* 873. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 318. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 385.

C. rosea. *Abbot. insect. am. ic.*

Hab. in Georgiâ, *Michx.*; in Carolinâ inferiore, *Fraser.* ♃ (v. s. sp.)

Scandens, glabra; caulis teres, striatus, gracilis, purpurascens; folia glaberrima, rigidè coriacea, nervis utrinque prominulis anastomosantibus reticulata, pinnatim secta, segmentis petiolatis, aliis integris ovalibus utrinque obtusis, aliis trilobis, lobis oblongis ovalibusve obtusis, floralia seu bractealia, simplicia, alia ovata subacuta, alia triloba lobis oblongis subacutis; pedunculi axillares, folio longiores, uniflori, infrà medium bibracteati; flos ferè Viornæ sepalis minùs crassis, lanceolatis, acutis, intùs glabris, extùs tenuiter velutinis; stam. filamenta purpurascentia, apice pubescentia; antheræ lineares, barbatæ; pericarpiorum caudæ barbato-plumosæ.

64. Clematis Japonica.

C. pedunculis unifloris, sepalis conniventibus, foliis villosis ternatim sectis, segmentis ellipticis acuminatis apice serratis.

C. Japonica. *Thunb. jap.* 240. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1291.

Hab. in Japoniâ propè Nagasaki et alibi ♃ ◡.

Caulis scandens, purpureus, villosus; folia ternatim decomposita; segmenta breviter petiolata, elliptico-oblonga, acuminata, à medio ad apicem æqualiter serrata, nervosa, villosa, pollicaria, intermedio majori; petioli palmares, laxi; flores è geniculis pedunculati, solitarii, cylindrici, purpurei; pedunculi uniflori longitudine foliorum (Th.).

65. Clematis comosa.

C. pedunculis unifloris, foliis ternatim sectis velutinis, segmentis ovali-oblongis acuminatis trinerviis integerrimis.

Hab. in Indiâ orientali, *Macé* ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Caules, folia, pediculi velutino-pubescentes; folia inferiora ignota; superiora ternatìm secta, segmentis ovali-oblongis, acuminatis, integerrimis, trinerviis, lateralibus breviter, mediis longè petiolulatis; summa interdùm simplicia; pedunculi pollicem sesqui-pollicemve longi, uniflori, nudi, axillares, sed apice caulis conferti, undè primâ fronte paniculam foliaceam quasi conficientes; flores ignoti; pericarpia circiter 30, ovata, subcompressa, pubescentia, desinentia in caudam longissimam ferè bipollicarem barbato-plumosam.

66. Clematis clitorioïdes.

C. pedunculis unifloris axillaribus tortilibus, foliis glabris pinnatìm sectis, segmentis oblongis acutis integerrimis.

Hab. in Novâ-Hollandiâ circà Port-Jackson ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Banks.)

Scandens, glabra, Clitoriam Kennedyamve habitu omninò æmulans; rami teretes, graciles, tenuissimè striati, fusco-virides; folia pinnatìm secta, nunc bi, nunc unijuga cum impari petiolato, petiolo infrà segmentorum originem longo, segmentis petiolulatis, oblongis, acutis, integerrimis, penninerviis, subtùs pallidioribus, 7-15 lin. longis, 4-6 latis; pediculi axillares, omnes uniflori, tortiles, nudi, ebracteati, petiolo paulò breviores; sepala 4-5, oblonga, acuta, papyracea, glabra, staminibus paulò longiora, patentia; stamina pauca glabra; antheræ filamentis triplò ferè breviores; ovaria ∞ in caudas barbato-plumosas abeuntia.

§. V. *Pedunculis solitariis unifloris, foliis indivisis, caulibus herbaceis erectis.*

67. Clematis integrifolia.

C. pedunculis unifloris, floribus nutantibus, foliis integris ovato-lanceolatis glabris.

C. cærulea pannonica. *Clus. hist.* 1. *p.* 123. *f.* 2. *Tab. ic.* 881. *f.* 1. *Besl. h. Eyst. æst. ord.* 13. *fol.* 7. *f.* 1.
C. cærulea II. *Tab. ic.* 881. *f.* 2.
C. altera minor longifolia. *Dalech. lugd.* 1434. *f.* 2. *Lob. ic.* 628. *f.* 1.
C. cærulea erecta. *C. Bauh. pin.* 300. *Tourn! inst.* 294. *Barr. ic.* 397.
C. pannonica flore cæruleo surrecta. *J. Bauh. hist.* 2. *p.* 129. *f.* 3. *Chabr. sciagr.* 118. *ic.*
C. pannonica. *De Bry. fl. nov. t.* 53.
C. cæruleo flore pannonica. *Weinm. phyt. t.* 398. *Theatr. flor. t.* 56. *f.* 1. 2. 3. 4.
C. integrifolia. *Lin! sp.* 767. *Jacq! austr. t.* 363. *Gmel. sib.* 4. *p.* 194. *n.* 31. *Kniph. bot.* 1. *Lam! dict.* 2. *p.* 44. *Boiss. fl. eur. t.* 377. *DC! fl. fr.* 5. *p.* 632.
C. nutans. *Crantz. austr. p.* 110.
C. inclinata. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 668.

Hab. in Hungariâ propè Posen ad Danubii ripas (Clus.), in prato udo Dœblingensi (Kram.), circà Krams (fl. austr.), in Carniolià circà Duinam et Aquilegiam (Scop.), Tatariâ (Lin.), Sibiriâ (*Gmel.*); ad

Caucasum, *Bieb.*, in agro Laconico (Sibth.), Pyrenæis (Lapeyr.) ♃ (v. v. c. et s. sp.) fl. æstate.

Caules glabri, erecti, 1-2-pedales; folia integra, glabra aut subciliata, 3-5 nervia, ovata aut lanceolata, acutiuscula; pedunculi terminales aut rarissimè è dichotomiâ caulis orti, solitarii, uniflori, foliis longiores, erecti, apice inflexi undè flos pendulus; sepala cærulea, subcoriacea, juniora ad oras villosa induplicata oblonga acuminata, adulta margine undulata tenuia; folia 2 suprema concava et ante florescentiam conniventia florem ut in vesicâ foventia; stamina exteriora longiora villosa, interiora breviora nuda; pericarpia villosa, cauda longa, barbato-plumosa.

68. Clematis ochroleuca.

C. pedunculis unifloris, floribus suberectis, foliis integris ovatis, junioribus sericeis.

C. erecta humilis non ramosa, foliis subrotundis, flore unico ochroleuco. *Pluk. mant.* 51. *t.* 379. *f.* 5.

C. ochroleuca. *Ait Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 260. *Willd. sp.* 2. *p.* 1294. *Sims in Bot. Mag. t.* 1175. *Tratt. arch.* 2 *t.* 64.

C. sericea. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 319. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 385.

C. uniflora. *Balb! cat. h. Taur.* 1810. *p.* 21.

Hab. secùs rivos in montibus Carolinæ, *Bartram*, Virginiæ, *Michx*, Pensylvaniæ, *Pursh.* ♃ fl. jun-jul. (v. s. sp.)

Affinis C. integrifoliæ, sed differt foliis ovalibus ovatisve obtusis, nec ovato-lanceolatis acutis, adultis subglabris, sed junioribus pube sericea adpressa argenteis, nec glabris vix pubescentibus; flore erecto aut subinclinato nec nutante, multò magis extùs sericeo, paulò minore, ochroleuco nec cæruleo.

69. Clematis ovata.

C. pedunculis unifloris, floribus erectis, foliis ovatis acutis glabris utrinque reticulato venosis, infimis subcordatis.

C. Virginiana pannonicæ similis, foliis amplioribus, subrotundis. *Pluk. mant. t.* 379. *f.* 4?

C. ovata. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 736.

Hab. in Carolinâ meridionali. *Catesby* (ex Pursh.) ♄.

Similis C. integrifoliæ, erecta, simplex; folia ovata, sensìm acuta, breviter petiolata, glabra, utrinque reticulata, venosa, inferiora subcordata; pedunculus solitarius, terminalis, uniflorus; pericarpiorum caudæ plumosæ longissimæ (Pursh.).—Icon Plukenetii forsan C. reticulatæ seu diversifoliæ specimen imperfectum exhibet.

70. Clematis gentianoïdes.

C. pedunculis unifloris, floribus erectis dioïcis, foliis ovatis integris dentatisve glabris trinerviis.

Hab. in Novæ-Hollandiæ insulâ Mariâ, *Riedley*, et terrâ Van Diemen, *Caley* ♃ (v. s. sp. ♂ in h. Mus. Par. ♀ in h. Lamb.)

Herba glabra, circiter pedalis; caules suberecti aut ascendentes, simplices aut sæpiùs è basi oppositè ramosi, striati; folia simplicia, sessilia, ovata aut ovalia, subacuminata, coriacea, basi trinervia, cæterùm subaveniæ, alia integra, alia hinc indè et præsertìm versùs apicem serrato-dentata; pedunculi terminales, erecti, solitarii, 2 poll. longi, stricti, teretes, crassiusculi; flos erectus, nunc nudus, nunc in ipsissimis speciminibus foliis floralibus duobus ovatis stipatus; sepala 4 oblonga, tenera, callo minimo terminata, 10 lin. circiter longa; ♂ stamina inæqualia, exteriora longiora, sepalis tamen dimidio breviora; filamenta glabra; antheræ lineares; ovaria 0; ♀ pericarpia ∞ in caudam barbatam producta.

Sect. II. VITICELLA.

Clematis, Rupp. *fl. jen.* 54. — Viticella, Dill. *giess. app.* 165. *t.* 4. Moench. *meth.* 296.

Car. Pericarpiorum caudæ breves, glabræ aut pubescentes nec plumosæ; sepala per æstivationem induplicata. — Folia, ternatìm secta seu decomposita, glabra; caules scandentes.

71. Clematis florida.

C. pedunculis unifloris folio longioribus, foliis ternatìm decompositis, segmentis ovatis acutis integerrimis, sepalis ovali-lanceolatis acuminatissimis.

Anemone vel anemonoïdes. *Houtt. pflanz.* 7. *p.* 280. *t.* 55. *f.* 1.

C. florida. *Thunb. jap.* 240. *Lam. dict.* 2. *p.* 45. *Ait. kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 258. *Willd. sp.* 2. *p.* 1287. *Jacq. hort. Schœnb.* 3. *p,* 57. *t.* 357. * *Andr. bot. rep. t.* 402. *Sims. bot. mag. t.* 834.

Atragene indica. *Desf. tabl. Paris. ed.* 1. *p.* 123.

Hab. in Japoniâ. *Thunberg* ♃ ♆ (v. v. c. et s. sp.)

Caules scandentes, graciles, glabri aut subpubescentes, striati; folia ternatìm triternatìmve (rarissimè binatìm) secta, petiolata, glabra, lætè viridia; petioli senescentes cirrhiformes; segmenta ovata, acuta, integra rariùsve hinc indè incisa, petiolulata, medio majori longiùs acuminato; pedunculi axillares, solitarii, uniflori, foliis longiores, medio bracteis duabus integris aut trilobis instructi; flores magni, pallidi, albidi, patentes; sepala 6-8 ovalia, basi attenuata, apice acuminata, tenuissimè versùs margines venis parallelis pennatìm dispositis notata; stamina glabra aut pubescentia, facillimè in petala plana, oblonga, acuta, dorso sæpiùs velutina, mutata; styli subvillosi. — Fructus ignotus, sed adeò C. viticellæ affinis ut non sit separanda. Sæpiùs flore pleno in hortis herbariisque occurrit; specimina flore simplici vidi in herb. cl. Banks, Delessert, Lambert.

72. Clematis Viticella.

C. pedunculis unifloris, folio longioribus, foliis integris aut ternatìm decompositis, lobis segmentisve integerrimis, sepalis patentibus obovatis.

Κληματιτις. *Dioscor. ed. sarr.* 4. *cap.* 182. *ex Spreng. h. r. herb.* 1. *p.* 178.

C. altera. *Math. comm.* 680. *f.* 1. *Clus. hist.* 1. *p.* 122. *f.* 1. *Dod. pempt.* 406. *f.* 2. *Cam. epit.* 696. *ic.*
C. peregrina cærulea et purpurea. *Lob. adv.* 276. *Ic.* 626. *f.* 2, *Weinm. phyt. t.* 398. *f. b.*
Pothos cæruleus Mathioli. *Dalech. lugd.* 1430. *f* 2.
C. peregrina incarnata et purpurea simplici flore. *Besl. h. eyst. æst. ord.* 13. *fol.* 6, *f.* 2. 3.
C. cærulea vel purpurea repens. *C. Bauh. pin.* 300.
C. altera Pothos quorumdam. *Stap. theophr.* 719. *f.* 2.
C. sive flammula flore cæruleo et purpureo scandens. *J. Bauh. hist.* 2. *p.* 128. *ic. Chabr. sciagr.* 117. *ic.*
Arachus palustris siliqua radiata. *Griesl. vir. lus.*
C. cærulea et purpurea repens. *Tourn! inst.* 294.
C. flore simplici. *Rupp. fl. jen.* 54.
C. viticella. *Lin! sp.* 762. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 670. *Kniph. bot. orig.* 11. *n.* 30. *Lam! dict.* 2. *p.* 44 *. *Wulf. in Rœm. arch.* 3. *p.* 380 *. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 359 *. *Smith! fl. græc. t.* 516. *ex prod.* 1. *p.* 376. *Pers! ench.* 2. *p.* 99.
Viticella deltoïdea. *Mœnch. meth.* 297.
C. lugubris. *Salisb. prod.* 371.
* *Flore pleno.*
C. altera flore pleno. *Clus. cur. post.* 14. *ic.*
C. peregrina purpurea et incarnata flore pleno. *Besl. h. eyst. æst. ord.* 13. *fol.* 10. *f.* 2. 3.
C. cærulea flore pleno. *C. Bauh. pin.* 301. *Tourn! inst.* 294.
C. purpurea flore pleno scandens. *Chabr. sciagr. p.* 117, *ic. Weinm. phyt. t.* 398. *f. d.*
C. purpuro-cærulea vel incarnata flore pleno. *Tourn! inst.* 294.
C. pulchella. *Pers. ench.* 2. *p.* 99.

β *Tennifolia.* Foliorum segmentis oblongo-lanceolatis.
C. tenuifolia lusitanica flosculis cæruleis. *Tourn! inst.* 299.

γ *Baccata.* Fructibus subbacatis.
C. baccata. *Pers! ench.* 2. *p.* 99. *Poir. supl.* 2. *p.* 297.

Hab. ad sepes et dumeta Europæ calidioris, in Lusitaniâ ad Tagum inter Scalabim et Tancos (*Brot.*), Hispaniâ (Lin.), in agro Agoniensi inter Maggiora et Boca (Bir.), in Rhœtiâ propè Munsterthal (J. B.), in Carniolæ agro Medeensi (Scop.), circà Arcano et Monfalcone (Sufr.), Tergestum, Duinum, Aquilegiam (Wulf.), in Bithyniâ circà lacum Nicææ (Sibt.).

♃ fl. jun-sept. In hortis fl. pleno vulgaris (v. v. c. et s. sp.)

Variat 1°. caule prostrato aut scandente; 2°. foliis plùs minùsve sectis; 3°. segmentis ovatis aut in var. β oblongo-lanceolatis; 4°. florum colore cæruleo purpureo aut roseo (conf. Pict. hort. Par. v. 37. t. 1. 2.); 5°. floribus aliis magnis aliis dimidio minoribus in iisdem speciminibus interdùm mixtis (flores minores qui imperfecti videntur habent sepala oblongo-acuminata crassiuscula conniventia); 6°. floribus sæpissimè plus minùsve plenis, staminibus nempè in petala lineari-oblonga extùs subvelutina glabratave mutatis; 7°. fructibus subsiccis aut carnoso-baccatis ut in var. γ.

73. Clematis campaniflora.

C. pedunculis unifloris folio sublongioribus, foliis biter-

natìm decompositis, segmentis integris trilobisve, sepalis semipatentibus apice dilatatis undulatis.

C. campaniflora. *Brot. fl. lus.* 3. *p.* 359 *.

Hab. ad sepes in Lusitaniâ præsertìm in viâ ex Coimbrâ ad urbem Portensem. fl. jun.-jul. ♃ ♆ ◡ (Brot.).

Caules sarmentosi apice pubescentes orgyales et ultrà; folia biternatìm decomposita, segmentis 24 et ultrà, glabris, integris trilobisve, ovatis aut ovato-lanceolatis, petiolis cirrhiformibus inflexis; ramuli florentes 7-flori; pediculi 1-flori; folia floralia pubescentia; flores penduli; sepala 4, albido-purpurascentia, semiclausa, apice dilatata, patula, margine undulata; stam. 40; ovaria 14 subpubescentia. Media inter C. Viticellam et C. crispam (Brot.).

74. Clematis crispa.

C. pedunculis unifloris folio brevioribus, foliis integris trilobis trisectisve acutissimis, sepalis basi conniventibus apice patenti-reflexis.

C. sive flammula scandens tenuifolia floribus amplis semper trifoliata è Floridâ. *Pluk. alm.* 60?

C. flore crispo. *Dill. elth.* 1. *t.* 73. *f.* 84 *.

C. crispa. *Lin! sp.* 765. *Mill. dict. n.* 15. *Mœnch. meth.* 296. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 384. *non Lam. Michx.*

Hab. in Americâ boreali (Dill.) in sepibus et secùs rivos Virginiæ et Carolinæ (Pursh.) fl. jun.-jul. ♃ ◡ (v. s. sp.).

Caules glabri; folia glabra integra triloba trisectave, segmentis petiolatis, integris aut trilobis, ovali-lanceolatis, acutissimis; pediculi solitarii; flos erectus aut inflexo pediculi apice pendulus, dilutè purpureus; sepala 4 basi in tubum approximata, apice patentia aut reflexa, acuta, rugis transversis undulato-crispa, staminibus duplò longiora; pericarpia pubescentia compressa in caudam subulatam crassam brevem desinentia.

Sect. III. CHEIROPSIS. (1)

Muralta, Adans. *fam.* 2. *p.* 460. *non Neck.* — Viorna, Pers. *ench.* 2. *p.* 98.

Car. Involucrum calyciforme è duabus bracteis coalitis sub flore ad apicem pediculi situm; sepala 4-6 æstivatione subinduplicatà; petala 0; cariopsidum caudæ barbatæ. — Frutices sarmentosi; petioli veteres persistentes; folia pedunculique uniflori ex eorum axillis fasciculatìm orti.

75. Clematis cirrhosa.

C. pedunculis unifloris involucratis, foliis ovato-subcordatis dentatis fasciculatis.

Κληματιτις. *Diosc. ed. Sarr.* 4. *cap.* 182. *ex Sibth. prod.* 1. *p.* 371.

---

(1) Ex χειρ manus et ὄψις facies.

C. altera Bœtica. *Clus. hist.* 123. *f.* 1. *Park. theat.* 383. *ic.*
C. Bœtica Clusio. *Dalech. hist.* 1434. *f.* 1. *Lob. ic.* 628. *f.* 2. *Tab. ic.* 879. *Ger. hist.* 886. *ic. J. Bauh. hist.* 2. *p.* 126. *ic. Chab. sciag.* 117. *ic.*
C. peregrina foliis pyri incisis. *C. Bauh. pin.* 300. *Tourn. inst.* 293? *Petiv. gaz. t.* 126, *f.* 1. *Weinm. phyt. t.* 398. *f. c.*
C. Cretica foliis pyri incisis nunc singularibus nunc ternis. *Tourn! cor.* 20.
C. cirrhosa. *Lin! sp.* 766. *Lam! dict.* 2. *p.* 42.* *Kniph. orig.* 3. *Desf! atl.* 1. *p.* 432*. *Smith! fl. græc. t.* 517. *ex prod. l. c.*
C. cæspitosa. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 671? *Sufr. cat. p.* 158? *ex fl. austr.* 2. *p.* 35.
Atragene cirrhosa. *Pers. ench.* 2. *p.* 98.

β. Pedicellata, flore minore pallido intrà involucrum pedicellato.
C. peregrina flore parvo. *Moris. præl.* 254.
C. cirrhosa. *Sims. in Bot. Mag. t.* 1070.
C. Balearica. *Pers. ench.* 2. *p.* 99. *non Rich.*

Hab. ad sepes et dumeta in Bœticâ (Clus.), Mayorcâ, *Delaroche*, Siciliâ (Bocc.), Algeriæ et in Atlante, *Desf.*, ad sepes Duinenses (Scop.)? circà Caorlo (Sufr.)? Athenas (Sibt.), in insulis Archipelagi nempè Cretâ, *Tourn.*, et Melo, *Beaupré*, in monte Cassio propè Laodiceam ad mare, *Labill.* — *β* in ins. Mayorcâ, *Ant. Richard* ♃ (v. v. c. et s. sp.) fl. primo vere.

Frutex elegans sempervirens super arbores sepesve scandens et eas pondere deprimens; cirrhi sunt petioli perennantes foliorum anni præcedentis, limbis deciduis aphylli, filiformes, tortuosi; folia glabra, nunc petiolo trifido trisecta, nunc integra aut dentata, ovata, petiolata, plurima ex iisdem axillis orta; pediculi folio subbreviores; involucrum magnum bifidum campanulatum flori approximatum; flos intrà inv. subsessilis magnus; sepala ovalia obtusa, extùs pubescentia, intùs glabra purpurascentia maculis intensioribus notata. — Var. *β* à priori forsan specificè distinguenda, ab eâ differt habitu minori; foliis floribusque dimidio ferè minoribus; involucro parvo à flore distante; floris intrà inv. stipite involucro longiore tomentoso; flore albido vix intùs maculato; sepalis extùs magis velutinis.

76. Clematis semitriloba.

C. pedunculis unifloris sub flore involucratis, foliis cordatis serratis plerisque trifidis.

C. semitriloba. *Lag. cat. h. madr. p.* 17.
Hab. in Hispaniâ meridionali (Lag.) ♃.
Similis C cirrhosæ; cirrhis oppositis scandens; rami angulati atropurpurei; folia simplicia, cordata, pleraque triloba, profundè serrata; pedunculi 1-flori axillares solitarii suprà medium involucrati, inv. bifido, laciniis rotundato-subcordatis post anthesin in latioribus reflexis; sepala 4 ovata extùs tomentosa (Lag.).

77. Clematis Balearica.

C. pedunculis unifloris sub flore involucratis, foliis ternatìm sectis, segmentis petiolatis trilobis dentato-incisis.

C. Balearica. *Rich! in Journ. Phys.* 1779. *févr. p.* 127. *ic.* *. *Lam! dict.* 2. *p.* 43. *non Pers.*

C. calycina. *Ait! Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 259. *Vahl. symb.* 2. *p.* 75. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1289. *Sims. in Bot. Mag. t.* 959.
Atragene Balearica. *Pers. ench.* 2. *p.* 98.
Hab. in insulâ Minorcâ, *Ant. Richard*, fl. hyeme ♃ ◡ (v. v. c. et s. sp.).
Frutex sempervirens scandens, elegantissimus; folia glabra trisecta, segmentis grossè inciso-dentatis, medio trifido aut tripartito; pediculi petiolis subbreviores; involucrum campanulatum subbilobum obtusum florem arctè cingens; sepala 4 pallida, extùs pubescentia, ferè pollicem longa, intùs maculis rubris oblongis guttata.

78. Clematis Napaulensis.

C. pedunculis unifloris sub flore involucratis, foliis trisectis, segmentis oblongis acuminatis basi subdentatis, lateralibus subsessilibus uninerviis, terminali trinervio.

C. montana var.? *Buchan! ined. in herb. Lamb.*
Hab. in montanis? Napauliæ. *Buchanan* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lamb.).
Scandens glabra; rami teretes, substriati, albidi; foliorum anni præcedentis petioli persistentes cirrhosi; folia novella ad axillas conferta, petiolata, trisecta, segmentis lateralibus subsessilibus, uninerviis, terminali petiolulato basi trinervio, omnibus oblongis acuminatissimis, nunc integris, nunc ad basin lobulo seu dente 1-2 aristato incisis, pollicem longis, 4 lin. latis; pedicelli 1-flori, foliis ferè breviores, graciles; involucrum è bracteis 2 connatis acutis constans, à flore paululùm distans; sepala 4 oblonga extùs subvelutina, intùs glabra, purpurascentia; pericarpia ∞, compressa, pubescentia, ovato-acuminata, in caudas longas barbato-plumosas desidentia.

79. Clematis montana.

C. pedunculis unifloris, involucro nullo, foliis ternatisectis, segmentis oblongis acuminatis subtrifidis grossè serratis.

C. montana. *Buchan! ined. in h. Lamb.*
Hab. in Napauliæ montanis. *Buchanan* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lamb.).
Species media inter Cheiropsidem et Athragenem; habitus Athragenes sed petala nulla, Cheiropsidis sed involucrum nullum et ideò forsan sectionem propriam conficiens. — Rami tortuosi, teretes, glabri; petioli veteres, cirrhiformes; folia floresque è gemmis squamosis fasciculatim orti; petioli juniores subpilosi; segmenta 3, oblonga, utrinque acuminata, apice subtrifida, serraturis paucis grossis acutis subinstructa, juniora in nervis pubescentia, sæpiùs trinervia; pedicelli petiolo longiores, circiter sesquipollicares, uniflori, pilosuli, nudi; sepala 4, obovata, patentia, petaloïdea, extùs et margine pubescentia, albida, magnitudine C. Baleariceæ; stamina ∞ sepalis dimidio breviora; filam. filiformia; ovaria in caudas barbatas desinentia.

Sect. IV. ATRAGENE. (1)

Atragenes sp. LIN. *gen.* 615. GÆRTN. *fruct.* 1. *p.* 356. *t.* 74. *f.* 8. SCHKUHR. *handb. t.* 150.

CAR. Involucrum 0. Sepala 4 æstivatione subinduplicata. Petala ∞ plana sepalis dimidio breviora. Cariopsidum caudæ barbatæ. Cotyledones in semine approximatæ. — Caules sarmentosi scandentes; folia fasciculata trisecta, segmentis dentatis; pediculi 1-flori cum foliis orti.

80. Clematis Alpina.

C. pedunculis unifloris folio longioribus, foliis biternatim sectis, segmentis ovato-lanceolatis acuminatis serratis, petalis subspatulatis obtusis.

C. cruciata Alpina. *Pona bald.* 68 *ic. et apud Clus. hist.* 2. *p.* 335. *ic.*

C. Alpina geraniifolia. *C. Bauh. pin.* 300. *prod.* 135. *Pluk. alm.* 109. *t.* 84. *f.* 7. *Moris. hist.* 3. *p.* 616. *s.* 15. *t.* 2. *f. ult. Tourn! inst.* 394.

C. cærulea serrato folio. *J. Bauh. hist.* 2. *p.* 129. *f.* 2. *Chabr. sciag.* 117. *ic.*

Atragene Alpina. *Lin! sp.* 764. *Jacq. austr. t.* 241. * *Gærtn. fruct.* 1. *p.* 366. *t.* 74. *f.* 8. *Schkuhr. handb. t.* 150. *Sims. in Bot. Mag. t.* 530. *Willd. sp.* 2. *p.* 1285 (*excl. Gmel. Mill. et Pall. syn.*). *Sturm. fl. germ. ic. Boiss. fl. eur.* 4. t. 376.

Atragene foliis ternatis, foliolis ternatis, foliolis trifoliis acutis. *Hall. helv. n.* 1145 *.

C. Alpina. *Mill! dict. n.* 9. *Lam! dict.* 2. *p.* 44 * (*excl. Mill. syn.*). *DC! fl. fr.* 4. *p.* 874 *.

Atragene clematides. *Crantz. austr. III. t.* 5. *

Atragene Austriaca. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 666. *Andr. bot. rep. t.* 180. *Sims in Bot. Mag. n.* 807. *b. Ait. hew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 341. *Pers. ench.* 2. *p.* 98.

Hab. in dumetis asperis montium præsertim calcareorum à 400 ad 1000 hexap. altitud. in Alpibus Austriæ (Cr.), Carnioliæ (Scop.), montis Baldi (Pon.), Pedemontii; Rhætiæ (J. Bauh.), Helvetiæ australis (Hall.), Genevæ, Sabaudiæ, Delphinatûs, Gallo-provinciæ; in Pyrenæis orientalibus? (Pour.) ♃ ◡ (v. v. sp.).

Caules sarmentosi decumbentes vix scandentes, ad genicula veterum petiolorum reliquiis quasi cirrhosi; folia ferè glabra, biternatim secta, petiolo trifido, segmentis omnibus sessilibus excepto terminali sæpè trifido, ovato-lanceolatis, grossè inciso-serratis; pedicelli nudi 1-flori foliis longiores; flores cærulei, variantes albi, nunquàm flavescentes; sepala oblonga acuminata 15 lin. longa; petala 10-12 basi linearia apice dilatato-spatulata obtusa; peric. caudæ barbatæ.

81. Clematis Sibirica.

C. pedunculis unifloris folio subæqualibus, foliis biterna-

(1) Ex voce ἀθραγενη quâ Theophrastes Clematidem vitalbam designare videtur.

tìm sectis, segmentis oblongo-lanceolatis acuminatis serratis, petalis apice emarginatis.

Atragene Sibirica. *Lin! sp. ed.* 1. *p.* 543 (*excl. descr. floris.*).
C. foliis compositis et decompositis, foliolis ovatis serratis. *Mill. ic. p.* 189. *t.* 284 *.
C. Sibirica. *Mill! dict. n.* 12.
Atragene Alpina. *Gmel. sib.* 4. *p.* 194. *n.* 33. *Pall! fl. ross.* 2. *p.* 69. *t.* 76. *Pers. ench.* 2. *p.* 97.
Atragene Sibirica. *Sims in Bot. Mag. n.* 887. *in adn. n.* 2. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 341.
Hab. in Sibiriâ, *Miller*, in sylvis ad Obum flumen, *Demidow*, in saxosis Uralensis jugi et secùs alpestrem catenam usquè ad orientalem Oceanum. *Pall.* ♃ ◡ (v. v. c. et s. sp.)
Affinis C. Alpinæ sed ab eâ certò distincta, 1°. foliis interdùm ternatìm nec biternatìm sectis; 2°. segmentis paulò angustioribus; 3°. pedunculis folii longitudine aut folio brevioribus; 4°. flore paulò minore ex albo subflavescente nec cæruleo; 5°. petalis emarginatis nec obtusis.
Sub nomine Atragenes Sibiricæ herbarium Linnæanum exhibet folium C. Sibiricæ et flores Aquilegiæ vulgaris stellatæ, quam misturam indicat etiam descriptio editionis primæ in editione secundâ omissa.

82. Clematis Ochotensis.

C. pedunculis unifloris, foliis biternatìm sectis, segmentis oblongo-lanceolatis acuminatis serratis, petalis paucis linearibus.

Atragene Ochotensis. *Pall. ross.* 2. *p.* 69 *. *Willd. sp.* 2. *p.* 1285.
C. Ochotensis. *Poir. suppl.* 2. *p.* 298.
Atragene violacea. *Pall! in h. Lamb.*
Hab. in Sibiriâ versùs mare Ochotense (Pall.), in Camtschatkâ inter Ocholsk et Kamtsch, *Pallas* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Lamb.)
Habitus C. Sibiricæ; folia biternatìm secta, petiolo tripartito in ramulis pubescente, segmentis breviter petiolulatis oblongo-lanceolatis acuminatis acutè serratis, junioribus secùs nervos pubescentibus; florum sepala 4 ovalia acutè mucronata margine tomentosa, per æstivationem induplicata, breviora et latiora quàm in C. Sibiricâ; petala nulla aut interdùm stamina exteriora subabortiva, paulò elongata, linearia; staminum filamenta velutina sepalis dimidio breviora.

83. Clematis verticillaris.

C. pedunculis unifloris, foliis quaternatìm verticillatìm ternati-sectis, segmentis petiolulatis cordatis lanceolatis integerrimis, petalis acutis.

Atragene Americana. *Sims in Bot. mag. t.* 887. *Gart. mag.* 1806. *p.* 266. *t.* 19. *Ait. h. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 342. *Pursh. fl. bor. Am.* 2, *p.* 384.
Hab. in Americâ boreali (Sims) in Noveboraco et Pensylvaniâ secùs rivulos, ad radices montium Cæruleorum (Pursh) ♃ ◡.
Habitus C. Alpinæ; pedicelli petiolorum longitudine; flores intensè purpuro-cærulei; foliorum segmenta longè petiolata (Sims).

†. *Clematides non satis notæ.*

84. Clematis Tournefortii.

C. orientalis latifolia semine brevissimis pappis donato. *Tourn. cor.* 20.
Hab. in Oriente. Deest in herb. Tourn.

85. Clematis ? polypetala.

Atragene Japonica. *Thunb. jap.* 239 *. *Willd. sp.* 2. *p.* 1286.
C. polypetala. *Poir. supl.* 2. *p.* 296.
Hab. in Japoniâ (Th.).
Caulis erectus striato-angulatus subdichotomus villosus bipedalis; folia triternatim secta, segmentis ovatis acutis inciso-dentatis, tenuissimè villosis, subtùs pallidioribus, pollicaribus, petiolo semipollicari basi plano amplexicauli; flores è dichotomiis pauci; pediculi filiformes 1-flori elongati; petala plurima ultrà 20, subæqualia, ovata, obtusiuscula intùs purpurea, extùs albo-tomentosa; facies Anemones (Thunb.) et ex descriptione reverà videtur Anemone.

86. Clematis canaliculata.

C. canaliculata. *Lag. cat. h. Madr.* 17.
Hab. in Murciæ et Granatæ regnis, locis saxosis petrosisque (Lag.) fl. vere.
Suffruticosa scandens; folia decomposita, linearia canaliculata; pedunculi axillares subtriflori (Lag.).

II. NARAVELIA.

Narawæl. Herm. *Zeyl.* 26. Adans. *fam.* 2. *p.* 460. — Atragenes sp. Lin. Juss.

Fruct. Involucrum 0; calyx 4-5-sepalus æstivatione valvatâ; petala 6-12 linearia crassiuscula calyce longiora Cariopsides ∞ oblongæ apice in caudam longam barbato-plumosam desinentes, basi stipite crasso cavo insidentes!

Veg. Habitus Clematidum, sed folia segmenta tantùm duo opposita multinervia gerentia et petioli apice cirrhiformes ramosi; flores paniculati.

Obs. Cariopsidis stipes omninò æmulat stipitis podospermi structuram. Foliorum divisura in mentem folia Lathyrorum revocat.

1. Naravelia Zeylanica.

α. *Hermanni*, foliis subtùs velutino-tomentosis.
Narawæl. *Herm. Zeyl.* 26.
Clematis Zeylanica Hermanni. *Breyn. prod.* 2. *p.* 46.
Clematis Zeylanica floribus obsoletis parvis. *Burm.! Zeyl.* 66.
Atragene cirrhis diphyllis. *Lin. fl. Zeyl.* 100 *n.* 226. *
Atragene Zeylanica. *Lin! amœn.* 1. *p.* 405. *Thunb. jap.* 239. *in adn.*
Clematis Zeylanica. *Poir. supl.* 2. *p.* 296.

β. *Roxburghii*, foliis subtùs velutino-pubescentibus.
Atragene Zeylanica. *Roxb ! corom.* 2. *p.* 47. *t.* 188. *
Hab. α in Ceylonæ nemorosis. *Kœnig.* β in sepibus humidis nemorosis Coromandeliæ propè Samulcoath. *Roxb.* ♃ ◡. fl. temperie humidâ (v. s. sp. α et β.)
Scandens; folia opposita petiolata, petiolo segmenta 2 ovata acuminata brevissimè petiolulata 5-7 nervia integerrima rariùs dente 1-2 notata supernè glabra, subtùs velutino-pubescentia gerente et supernè producto in cirrhum trifidum tortuosum; panicula terminalis, circiter 9-flora, pedicellis trichotomis; sepala 4 ovata patula caduca subtùs tomentosa; petala 6-12 sepalis longiora, linearia, basi attenuata, crassiuscula obtusa; stamina petalis imò ovariis ipsis breviora; antheræ filamentis longiores; ovaria villosissima; Pericarpia pubescentia, oblonga, sæpiùs spiraliter torta, in caudam longam barbatam apice producta, insidentè super stipitem ovatum glabratum intùs cellulosum tubulo centrali perforatum, filo per tubulum transiente. — Var. α seu Zeylanica habet folia 5-nervia subtùs magis velutino-tomentosa, petala (ex sicco judicata) sepalis duplò longiora et forsan purpurascentia. Var. β seu Coromandeliana habet folia sæpè 7-nervia, subtùs minùs velutina, apice paulò abruptiùs acuminata, (petala ex icone Roxburghii) flava calyce paulò longiora.

TRIBUS SECUNDA. — ANEMONEÆ.

CAR. Æstivatio calycis et corollæ imbricata; petala nulla aut 5-6 plana; antheræ lineares extrorsæ; pericarpia monosperma indehiscentia caudata aut ecaudata, sicca aut rariùs carnosa; semen intrà pericarpium pendulum, embryone minimo in fructu supero. — Caules herbacei nunquam scandentes; folia nunc radicalia nunc caulina alterna; radices grumosæ aut fasciculatæ.

III. THALICTRUM.

Thalictrum, C. BAUH. *pin.* 336. TOURN. *inst.* 270. *t.* 143. LIN. *gen. n.* 697. GÆRTN. *fruct.* 1. *p.* 355. *t.* 74. JUSS. *gen.* 232. LAM. *ill. t.* 497.

FRUCT. Calyx 4-5-sepalus, sepalis ovatis petaloïdeis aut membranaceis caducissimis; stam. ∞; ovaria 4-15; styli breves; cariopsides nunc costis elevatis longitudinaliter instructæ, nunc triangulares angulis alatis, nunc inflatæ subvesicariæ; embryo minimus ovatus, cotyledonibus approximatis.

VEG. Herbæ perennes; radices flavescentes, fasciculatæ, fibris nunc cylindricis tenuibus (fibrosæ), nunc crassis obovatis (grumosæ); caulis annuus erectus sæpiùs fistulosus; folia sæpissimè petiolo ramoso triternatìm secta, raris-

simè indivisa, semper alterna basi dilatata; flores aut corymbosi, aut paniculati, aut subracemosi, herbacei aut albi aut flavi coloris.

Vir. Herbæ sæpiùs fætidæ; radices amaræ flavicantes, ad colorem luteum olìm tinctoriæ, purgantes (præsertìm T. flavi) tonicæ et rhabarbari subæmulæ.

Hab. Species 45 huc usque cognitæ montes colles sepes et dumeta regionum hemispheræ borealis temperatarum ferè omnes habitant. Physocarpa omnia in Americes montibus aut cis aut paulò ultrà lineam æquatoriam: Americanæ 14 ferè omnes dioïcæ aut polygamæ, Indicæ 2, Chinenses Japonicæve 8 vix notæ, Europæanæ 17 et Sibiricæ 7, inter se valdè affines et monographiâ accuratâ maximè egentes.

Obs. Genus naturalissimum: species autem obscuræ nec caracteribus certis satis definitæ!

Div. Primariæ à fructus structura, secundariæ è sexubus foliis radicibusve petendæ, nempè:

I. Tripterium. Fructus triqueter angulis alatis substipitatus . . . . . Sp. 1-2.

II. Physocarpum. Fructus inflatus vesicularis stipitatus. . . . . Sp. 3-6.

III. Thalictrum. Fructus ovato-oblongus striatus sessilis. . . . . Sp. 7-42.

§. 1. *Heterogama*, floribus dioïcis polygamisve. Sp. 7-11.

§. 2. *Genuina*, floribus hermaphroditis, foliis multisectis. . . . . Sp. 12-38.

§. 3. *Indivisa*, foliis indivisis. . . . . Sp. 39-40.

§. 4. *Grumosa*, radicibus grumosis, sepalis petaloïdeis. . . . . Sp. 41-42.

†. Thalictra dubia aut non satis nota. . . . . Sp. 43-45.

Sect. I. TRIPTERIUM.

Car. Fructus stipitatus triqueter, angulis alatis. — Radices fibrosæ; folia petiolo ramoso multisecta; stipellæ seu auriculæ membranaceæ sæpè ad basin omnium petioli ramificationum.

1. Thalictrum aquilegifolium.

T. stipellis ovatis binis ad basin petioli ramificationum, panicula corymbosa, fructibus triquetris.

T. magnum. *Dod. pempt.* 58 *f.* 1?

T. flore incarnato. *Besl. h. eyst. vern. ord.* 1. *t.* 11. *f.* 1. *Tourn ! inst.* 270.

T. majus florum staminibus purpurascentibus. *C. Bauh. pin.* 337. *Moris. hist.* 3. *p.* 325. *s.* 9. *t.* 12. *f.* 16.

T. majus folliculis angulosis caule lævi. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 2. *p.* 487. *f.* 2.

T. Alpinum aquilegiæ foliis florum staminibus purpurascentibus et albis. *Tourn ! inst.* 270.

T. aquilegifolium. *Lin ! sp.* 770. *Mill. dict. n.* 3. *Jacq. austr. t.* 318. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 672. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 193. *n.* 28. *Crantz. austr.* 2. *p.* 78. * *Lam ! dict.* 5. *p.* 314. * *Sob. fl. petr.* 129. *Fl. fr. ed.* 3. *vol.* 4. *p.* 878. * *Savi bot. etr.* 1. *p.* 155. *

T. foliis triplicato pinnatis patulis obtusè trilobatis, stipulis ovatis, paniculis umbellatis. *Hall. helv. n.* 1141. *

β. T. atro-purpureum. *Murr. syst. veg.* 513. *Jacq. h. vind.* 3. *t.* 81.

Hab. in montanis subsylvaticis Europæ, Scaniæ (Lin.), Germaniæ, Helvetiæ, Galliæ, Italiæ, Hungariæ (Clus.), Ingriæ et Sibiriæ. (Gm.), agri Petropolitani (Sob.), Laconiæ et montis Hæmi (Sibth.).

♃ (v. v. sp.). Flor. æstate.

Caulis fistulosus, simplex aut ramosus, in sylvaticis viridis, in apricis purpurascens, in utraque var. polline glauco nebulosus, 1-3-pedalis. Folia tripinnatìm secta, petiolo basi amplè vaginante, ramoso, stipellis binis ovatis membranaceis sæpè perfoliato-connatis ad quamque ramificationem instructo, segmentis suborbiculatis glabris apice dentato-incisis obtusissimis basi subcuneatis. Flores corymbosi numerosi; sepala albida, 4, fugacia. Stam. 50-70 albida aut sæpiùs purpurascentia, longa, apice subdilatata; Pist. 8-16. Pericarpia glabra, lævia, basi angustata, ex thalamo longè pedicellata, pendula, obtusa, triquetra aliis integris exsertis.

T. montanum album. *C. Bauh. pin.* 336. seu T. Alpinum majus et minus aquilegiæ foliis florum staminibus albis. *Tourn. inst.* 270. videtur hujus varietas flore pallidiore donata.

2. Thalictrum contortum.

T. stipellis nullis, floribus laxè corymboso-racemosis, fructibus triquetris pendulis.

T. hybridum seminibus contortis. *Lin ! amœn. acad.* 3. *p.* 47.

T. contortum. *Lin ! sp.* 770. *Willd. sp.* 2. *p.* 1302.

T. fructibus pendulis triangularibus contortis caule subancipiti. *Gmel. sib.* 4. *p.* 192. *n.* 27.

Hab. in Sibiriâ (Lin. Gmel.) ♃ (v. s. sp. in h. Lin.).

Simile T. aquilegifolio sed humilius; flores albi; sepala 4; stam. 60; pist. 8; fructus penduli triangulares contorti (Lin.), nullo modo contorti nisi statu imperfecto (Willd.); folia glauca (Willd.) caules subancipites, foliorum segmenta parva pleraque simplicia terna aut trifida obtusa; flores in racemos non admodùm densè congesti (Gm.); stipellæ nullæ; lobi foliorum paulò magis quàm in T. aquilegifolio oblongi; staminum filamenta erecta magis apice dilatata (minùs tamen quàm in T. stamineo cui etiam affine videtur); ovaria immatura ut in T. aquilegifolio (herb. Lin.).

Sect. II. PHYSOCARPUM.

CAR. Pericarpia stipitata inflato-vesicaria nec angulata, nec striato-sulcata, semine cavitati multò minore; flores dioïci, monoïci, aut polygami. — Radices fibrosæ; stipellæ sæpiùs nullæ; folia bi seu triternatìm secta.

3. Thalictrum clavatum.

T. floribus monoïcis, filamentis clavatis, pericarpiis compressis stylo brevissimo vix rostellatis, foliis glabris exstipellatis.

Hab. in Americâ boreali. *Michaux.* ♃ (v. v. sp. in h. Mus. Par.).
Herba erecta glabra; caulis teres gracilis; folia petiolo ramoso biternatìm secta, segmentis ovatis utrinque obtusis membranaceis subtùs glaucis grossè et obtusè dentatis; flores monoïci pauci, corymbosi, laxi, longè pedicellati; sepala obovata alba; staminum filamenta apice clavata! pericarpia 5-6, stìpitata, stellatìm patentia, compressa, membranacea, stylo brevissimo vix apice rostellata.

4. Thalictrum podocarpum.

T. floribus polygamis, filamentis filiformibus, antheris longis apice subaristatis, pericarpiis ovali-oblongis lævibus stylo persistente longè aristatis, foliis glabris exstipellatis.

T. podocarpum. *Humb. Bonpl. et Kunth. nov. gen. et sp. Am. ined.*
Hab. in Novâ-Granadâ. *Humb. et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. HB.)
Caulis teres fistulosus; folia petiolo ramoso quadripinnatìm seu quadriternatìm secta; segmenta petiolata, terna, medio longiùs petiolulato, ovato-orbiculata, basi cordata, glabra, subtùs glauca, dentibus 3-5-7 apice sublobata; paniculæ rami laxi foliis floralibus multò longiores; pediculi longi; flores plures masculi, pauci fœminei aut hermaphroditi in eâdem paniculâ; calycis sepala magna serò decidentia ovali-oblonga; antheræ filamentis ferè longiores apice subaristatæ; pericarpia ferè Coptidis trifoliæ, sed monosperma, nempè longè stipitata membranacea ovali-oblonga minimè striato-costata sed lævia, intùs semine nondùm accreto ferè vacua, stylo longo persistente aristata; semen oblongum apice pericarpii appensum.

5. Thalictrum longistylum.

T. floribus polygamis, filamentis filiformibus, antheris longè aristatis, pericarpiis ovali-oblongis stylo longè aristatis, petioli ramis stipellatis, segmentis ad nervos subtùs puberulis.

Hab. in Americâ meridionali. *Dombey.* ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par.).

Species affinis hinc T. aquilegifolio, illinc T. podocarpo sed distinctissima; caulis teres elatus; folia petiolo ramoso tri seu quadriternatim secta; petioli rami ramulique inferiores basi squamula membranacea obtusa stipellati; segmenta ovato-orbiculata, basi subcordata, apice grossè 3-5 dentibus incisa aut sublobata, subtùs vix glaucescentia, in nervulis pilos raros breves crassiusculos gerentia; flores laxè paniculati polygami, T. podocarpo simillimi; antheræ longiùs aristatæ; ovaria breviùs stipitata, stylis longissimis superata.

6. Thalictrum rutidocarpum.

T. floribus polygamis, filamentis filiformibus, pericarpiis ovato-subcompressis, rugis elevatis ramosis notatis, foliis exstipellatis, segmentis ad nervos subtùs puberulis.

Hab. in Americâ meridionali. *Dombey*. ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par.).

Affine T. podocarpo et longistylo, sed habitus gracilior; foliorum segmenta minora; panicula parca foliosa, ramis folia vix superantibus; fructus breviter pedicellati ovato-subcompressi, apice crenulati, rugis elevatis ramosis valdè insignes; styli per anthesin longissimi dein decidui, basi superstite sub acuminis formâ fructum superante. — A T. podocarpo speciatim differt foliis subtùs in nervis pilos breves sparsos crassiusculos gerentibus et fructibus breviùs pedicellatis; à T. longistylo petiolorum ramis nudis, nec membranâ stipellatis.

Sect. III. THALICTRUM.

CAR. Pericarpia sessilia, ovata aut suboblonga, striis plurimis longitudinalibus notata; flores dioïci polygami aut sæpiùs hermaphroditi. — Radices fibrosæ aut grumosæ; folia varia, ferè semper exstipellata.

§. I. *Heterogama*, floribus dioïcis, monoïcis aut polygamis.

7. Thalictrum corynellum.

T. floribus dioïcis, filamentis apice clavatis, pericarpiis oblongis sessilibus striatis, foliorum segmentis obtusiusculè trilobis, subtùs glaucis pilosque parcos in nervis gerentibus.

T. Americanum. *Park. Theatr.* 265?

T. Canadense. *Corn. Can.* 186 *et* 187. *ic?*

T. majus foliis aquilegiæ flore albo. *Moris. Hist.* 3. *p.* 325. *s.* 9. *t.* 20. *f.* 15?

T. Canadense caule purpurascente aquilegiæ foliis florum staminibus albis. *Tourn. inst.* 271?

T. Cornuti. *Lin. sp.* 768? *Ait. Kew.* 2. *p.* 262? *Wild. sp.* 2. *p.* 1296? *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 388? *non Poir.*

Hab. in Americâ boreali. *Sarracenius*, *Michaux*. ♃ (v. s sp. in h. Mus.

Par. nempè in h. Vaill. à Sarracenio acceptum, et in h. Mich. ab ipso collectum sed innominatum).

Caulis erectus teres striatulus fistulosus; folia bi seu triternatìm secta, segmentis ovalibus, apice obtusiusculè trilobis, cæterùm integris, supernè obscurè viridibus, subtùs glaucis et pilos minimos sparsos in nervis nervulisque gerentibus; panicula erecta subcorymbosa; flores dioïci erecti; calycis sepala ovalia; filamenta apice clavata! antheræ ovali-oblongæ; fructus 12-15 sessiles striati oblongi.

Synonymon Cornuti dubium et ideò omnia autorum nomina: Cornutius enim ad plantam hermaphroditam alludere videtur dicens: « Flores » singuli in 5 folia divisi mille alba filamenta ostendunt quibus luteus » apex præficitur; julio mense singula filamenta dum deficiunt in toti- » dem semina degenerant ». Linnæus stirpem Cornutianam sine autopsiâ et descriptione admisit; in ejus herbario nulla sub hoc nomine species reperitur. Stirps quæ in plurimis hortis pro T. Cornuti habetur et quam sub hoc nomine Cl. Poiret descripsit est hermaphrodita et à nostro T. corynello diversissima; cæterum icones huc relatæ æquo jure ad omnes ferè sectionis species referendæ.

8. Thalictrum revolutum.

T. floribus dioïcis polygamisve, filamentis filiformibus, foliorum segmentis ovatis subtrilobis, margine subtùs revolutis, subtùs velutino-pubescentibus.

Cozticpatli Acatlanensis seu thalictrum Mexicanum. *Hern. mex.* 235. *ic.?*
T. Mexicanum foliis hederaceis trifidis. *Moris. oxon.* 3. *p.* 325. *n.* 9?
T. pubescens. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 288.
T. polygamum. *Muhl. ined.*

ß. Subglabrum.

Hab. in Americâ boreali, secùs rivulos in Pensylvaniâ et Virginiâ, *Pursh;* in Carolinâ inferiore, *Fraser;* in Mexico? (*Hern.*) ♃ (v. s. sp.) Fl. jun. — aug.

Caulis tenuis subteres glaber erectus; folia caulina ex ipsâ basi petiolo ramoso bi seu tripinnatìm secta; segmenta ovata subcordata cuneataque integra aut apice triloba, lobulis subacutis, marginibus in sicco tenuiter revolutis, suprà subrugosa, subtùs tomento tenui brevi oculo armato subglanduloso cinerascente velutina; panicula terminalis subaphylla; pedicelli divaricati, foliis longiores, ultimi subumbellati; flores erecti polygami aut dioïci; sepala 4-5 ovalia; filamenta filiformia; antheræ luteæ oblongæ, apice submucronatæ. — Var. *ß.* quam innominatam in herb. Michauxiano video, à priori differt tantùm foliis magis reticulato-venosis subtùs vix ac ne vix pubescentibus et panicula pauciflora.

9. Thalictrum dioïcum.

T. floribus dioïcis, filamentis filiformibus, foliorum segmentis subrotundis cordatis obtusè lobatis glabris, pedunculis axillaribus folio brevioribus.

T. Americanum minus. *Park. theatr.* 265? *Tourn. inst.* 271?
T. dioïcum. *Lin.! sp.* 768. *Mill. dict. n.* 9. *Ait. Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 262.

Willd. sp. 2. *p.* 1296. *Poir.! dict.* 5. *p.* 320. *Pursh.! fl. bor. am.* 2. *p.* 388.

T. lævigatum. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 322.

Hab. in Canadâ (Kalm); Pensylvaniâ, *Michx;* Virginiâ, *Pursh.;* Philadelphiæ, *Turp.* in sylvis secùs Skuylkill, *Delile.* ♃ (v. s. sp.).

Planta glaberrima circiter pedalis; radix fibris cylindricis fasciculata; foliorum petioli longi tertiifidi, ad divisiones subarticulati; segmenta petiolulata basi cordata, apice latè crenata, subtùs glauca; panicula ramosa apice subcorymbosa; pericarpia ovata mutica, stylo non acuminata, sessilia, striato-sulcata, costis lævibus obtusis.

10. Thalictrum Carolinianum.

T. floribus dioïcis, filamentis filiformibus, foliorum segmentis ovatis 3-5-dentatis glabris subtùs glaucis, pedunculis axillaribus folio longioribus.

T. rugosum. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 388. *non Ait.*

T. Carolinianum *Bosc. ined. non Walt.*

β. *Subpubescens*, foliis subtùs in nervis tenuissimè pubescentibus.

Hab. in Pensylvaniâ (Pursh.), et in montibus Carolinæ, *Bosc.* β. in New-Jersei, *Delile.* ♃ (v. s. sp.).

Affine T. dioïco, sed differt foliorum segmentis ovalibus minùs rotundis cordatisve, subtùs magis glaucis, et pedunculis folio longioribus magisque paniculatis divaricatis. — Var. β, distinguitur foliis subtus vix ac ne vix ad nervos puberulis; fructus ovati utrinque attenuati basi substipitati striati, costis acutis.

11. Thalictrum purpurascens.

T. floribus dioïcis monoïcisve, filamentis filiformibus coloratis, foliorum segmentis suborbiculatis grossè dentatis glabris subtùs glaucis, panicula contracta subaphylla.

T. Virginianum elatius glaucum staminibus purpurascentibus. *Moris. oxon.* 3. *p.* 324.

T. purpurascens. *Lin. sp.* 769. *Willd. sp.* 2. *p.* 1299. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 389.

β. *Monoïcum.*

Hab. in Canadâ (Lin.); Pensylvaniâ et Virginiâ (Pursh.); et circà lacum Champlain. β in Nova-Angliâ, *Michx.* ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par.).

Caulis purpurascens absque nebula (Lin.), foliis duplò altior (Pursh.)

α. Planta glabra; folia triternatim secta subtùs glauca papyracea, segmentis suborbiculatis apice subtrilobis grossè dentatis; panicula fœminea erecta subaphylla; ovaria 7-8 stylo longo acuto subbarbato superata.

β. Foliis omninò priorem refert sed panicula pauciflora basi fœminea apice mascula; flores fœminei var. α similes; masculi filamentis subrubentibus antheris longis luteis acutis distincti.

§. II. *Genuina*, floribus hermaphroditis, foliis multi-sectis, radice fibrosa.

12. Thalictrum foliolosum.

T. caule tereti lævi ramoso, floribus paniculato-corymbosis erectis, petiolis quadriternatìm decompositis, segmentis glabris orbiculatis obtusè tridentatis.

T. dalingo. *Buchan! ined. in herb. Lamb.*

Hab. in Napaulià circà Suembu. fl. maio ineunte. *Buchanan* ♃. (v. s. sp. in H. Lamb.)

Herba glabra ramosa; caulis teres lævis albidus; folia superiora petiolo quater trichotomo decomposita, petioli divisuris inferioribus verè (?) articulatis, segmentis longè petiolulatis, orbiculatis, obtusè tridentatis aut trifidis parvis (2-3 lin. nempè diametro) lætè viridibus papyraceis; pedunculi axillares foliis paulò longiores apice ramosi subcorymbosi; bracteæ sub pedicellis subulatæ parvæ; pedicelli elongati tenues; flores parvi erecti flavidi; sepala 4 oblonga decidua; stam. 12-15 exserta, filam. filiformibus, antheris linearibus; ovaria 2-4 sessilia forsan abortiva. Species forsan polygama et ideò ad priorem divisionem cui habitu accedit transferenda.

13. Thalictrum petaloïdeum.

T. caule tereti subnudo, floribus corymbosis, staminum filamentis apice dilatatis, foliorum segmentis glabris ovatis obtusis integris trilobisve.

T. petaloïdeum. *Lin. sp.* 770. * *Pall. itin.* 3. *p.* 231. *Willd. sp.* 2. *p.* 1302. *Poir. dict.* 5. *p.* 320. *

ß. Stamineum. *Lin. f. supl.* 271 (ex Retz et Willd.).

Hab. in montosis Dauriæ apud Bouretas, circà Zmeimogorsk, Zmeiof, et in monte Odon Tchelen ad Sinenses limites *Patrin;* in montibus altaïcis *Demidow.* ♃ (v. s. sp.). Fl. junio-julio.

Radices fibrosæ fasciculatæ nigricantes; caulis subnudus erectus pedalis foliis triplò longior; folia 2-3 subradicalia glabra, triquadriesve ternatìm decomposita, segmentis ovatis obtusis integris aut trilobis; flores pauci subcorymbosi; bracteæ membranaceæ obtusæ; sepala 4 decidua rotundata albida; staminum filamenta ∞ membranacea apice dilatata incarnata (Lin.), antheris linearibus flavis latiora; pericarpia 6-8 sessilia oblonga striata.

14. Thalictrum Alpinum.

T. caule simplicissimo subnudo digitali, racemo simplici terminali, floribus nutantibus, fol. segmentis glabris.

T. minimum præcox foliis splendentibus. *Moris. oxon.* 3. *p.* 325. *s.* 9. *t.* 20. *f.* 14. *Hall. helv. n.* 1140 *in nota.*

T. minimum montanum atrorubens foliis splendentibus. *Ray. syn.* 204. *Boerh. ind. alt.* 1. *p.* 44. *t.* 1.

T. Alpinum. *Lin ! sp.* 767. *fl. suec.* 457, 491. *fl. lapp.* 225. * *Mill. dict. n.* 11. *fl. dan. t.* 11. *Huds. angl.* 238. *With. fl. brit.* 500. *Lightf. fl. scot.* 286. *t.* 13. *f.* 1. *Lam ! dict.* 5. *p.* 321. * *Smith ! fl. brit.* 584. * *Engl. bot. t.* 262. *DC ! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 874. * *Wulf. in Rœm. arch.* 3. *p.* 380. * *Lapeyr. abr. pyr.* 310.

Hab. in pascuis editioribus montium Kamchatkæ, *Pallas*, New-Foundland *H. Banks*, Laponiæ, *Lin.* Groenlandiæ, *Horn.* Islandiæ (*Hook.*) Scotiæ, *Lightf.* Cambriæ (Sm.), Arvoniæ (Mor.), Pyrenæorum *fl. fr.* Arverniæ ? (Delarb), Valesiæ ? (Hall.). ♃ (v. v. sp.) fl. æstate.

Species humillima et digiti altitudinem vix adæquans; radix fibrosa repens; caulis glaber subnudus; folia 5-6 subradicalia pinnatìm decomposita, segmentis sessilibus orbiculatis 3-5 dentato-incisis suprà nitidis subtùs pallidis; flores 7-8 pedicellis brevibus inflexis nutantes, remotiusculi, in racemum simplicem dispositi; sepala 4; stam. 12; ovaria pauca.

15. Thalictrum fætidum.

T. caule simplici basi nudo medio folioso apice paniculato, foliis pubescenti-viscidis, segmentis dentibus obtusis.

T. minimum fœtidissimum. *C. Bauh. pin.* 337. *prod.* 147. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 488. *Moris. hist. ox.* 3. *p.* 325. *s.* 9. *t.* 20. *f.* 13. *Pluk. alm.* 367. *Tourn ! inst.* 271.

T. fœtidum. *Lin. sp.* 768 ? *Mill. dict. n.* 8. *Lam ! ill. t.* 497. *f.* 3. *DC ! fl. fr. ed.* 3, *v.* 4. *p.* 875. * *Waldst. et Kit. pl. hung.* 2. *p.* 190. *t.* 174. *

T. foliis patulis pubescentibus trilobatis floribus nutantibus petalis subhirsutis. *Hall. helv. n.* 1140.

T. styloideum. *Lin. f ! supl.* 271. *Wild. sp.* 2. *p.* 1303. *ex herb. Lin !*

T. saxatile. *Vill. dauph.* 4. *p.* 714.

Hab. in Alpium vallibus, nempè in Galloprovinciâ propè Colmars; in monte Cenisio (Re), Sabaudiâ, Delphinatu (Vill.), in valle Binn Helvetiæ (Hall.), in Hungariâ inter fissuras rupium calcarearum (Kit.), in Sibiriâ (*Lin. f.*), in imperio Russico propè Zmeiovam. *Patrin.* ♃ (v. s. sp.) fl. æstate.

Caulis vix pedalis, pubescenti-viscidus, simplex, basi vaginis tectus, medio foliifer, apice florifer; folia pilis viscidis minimis undique pubescentia, petiolata, petiolo tripartito, lobis bi aut tripinnatìm sectis, segmentis orbiculatis, subcordatis, obtusis, irregulariter 3-5-lobis, parvulis; panicula erecta patens pauciflora; flores nutantes; fructus erecti, 5-9 ex quoque flore orti, pubescenti-visciduli, sessiles, compressi, ovales, acutiusculi, utrinque costis 3 prominentibus onusti, juniores stigmate basi dilatato crasso purpureo superati.

16. Thalictrum pubescens.

T. caule simplici foliis sparsis obsito apice paniculato, foliis subpubescenti-viscidulis.

T. caule filiformi ramosissimo, interspersis foliolis paniculato. *Sauv. Monsp.* 251.

T. fœtidum. *Lin. sp.* 768? *Gou! hort. monsp.* 263. *Vill. dauph.* 4. *p.* 714.
T. pubescens. *Schleich! pl. exsic. DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 5. *p.* 633. *

. T. Cornuti. *Poir! dict.* 5. *p.* 319. * *excl. syn. et patriâ.*

Hab. in Lapidosis calcareis Occitaniæ circa Monspelium, Avenionem, Mendam, etc. in Alpibus Delphinatûs circa Brigantium, in Valesiâ inferiori. ♃. (v. v. sp.) fl. æstate ineunte.

Simile T. fœtido, sed differre videtur habitu proceriori, interdum bipedali; foliorum segmentis magis acutis, foliis secùs caulem à collo ad paniculam sparsis nec versùs medium sub paniculâ congestis, pubescentiâ minùs viscidâ et pauciore. — Videtur species à Linnæo pro T. fœtido habita, dum prior erit species à C. Bauhino primâ et potiori vice sub hoc nomine descripta.

17. Thalictrum acutilobum.

T. caule simplici basi nudo, medio folioso, apice paniculato, foliis pubescenti-viscidulis, segmentorum lobis acutis.

T. Sibiricum. *Demidow in H. Deless.*
Hab. in Sibiriâ. *Demidow.* ♃ (v. s. sp. in H. Delessert).
T. fœtido simillimum, sed segmentorum lobi paulò profundiores et omnes acuti nec obtusi: an mera varietas?

18. Thalictrum squarrosum.

T. caule tereti, floribus paniculatis cernuis, petiolis amplexicaulibus alatis.

T. squarrosum. *Stephan. in Willd. sp.* 2. *p.* 1299. *
Hab. in Sibiriâ (Willd.) ♃.
T. Sibirico et minori simile, sed diversum petioli structura; folia supradecompositâ ut in omnibus, segmenta lateralia plerumque ovata acuta integerrima, terminalia verò et lateralia superiora trifida, vel etiam bifida; petiolus basi valdè dilatatus alis orbiculatis membranaceis margine dentatis. In petiolis partialibus foliorum sunt et auriculæ orbiculatæ minores dentatæ, quâ notâ facilè dignoscitur (Willd.).

19. Thalictrum Sibiricum.

T. caule subtereti, floribus paniculatis cernuis, foliorum segmentis glabris ovato-cuneatis trifidis, lobis acutis integris aut argutè incisis.

T. Orientale minimum fumariæ folio. *Tourn. cor.* 20.
T. Sibiricum. *Lin. sp.* 769? *Gærtn. fruct.* 1. *p.* 355. *t.* 74. *Willd. sp.* 2. *p.* 1298. *Poir. dict.* 5. *p.* 318.
Hab. in Armeniâ (Tourn.), Sibiriâ (Lin.) ♃ (v. s. c.).
Planta spontanea est duplò minor quàm T. minus; hortensis verò multò major evadit et habitu ad T. medium accedit; differt verò segmentis omnibus tripartitis floribusque cernuis (Willd.).

20. Thalictrum minus.

T. caule tereti polline glauco, floribus laxè paniculatis cernuis 4-sepalis, foliorum segmentis glabris subrotundis apice dentatis subtùs glaucis, carpellis utrinque acutis.

T. minus. *Dod. pempt.* 58 *f.* 2. * *C. Bauh. pin.* 337. *Moris. Oxon. s.* 9. *t.* 20. *f.* 12. (*ic. Dod.*) *Tourn. ! inst.* 271.
Ruta pratensis minor. *Tab. ic. t.* 55. *f.* 2.
T. Cordi tenuifolium. *Lob. ic.* 2. *p.* 56. *f.* 2. *ic. Dod.*
T. minus sive Rutæ pratensis genus minus semine striato. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 487. *f.* 3.
T. siliquâ seminis striatâ minus. *Mor. umb. p.* 60.
T. Alpinum minus saxatile Rutæ folio staminibus luteis. *Seg. ver.* 476 *t.* 2.
T. caule folioso, foliolis caulinis acutis, paniculâ divaricatâ, floribus nutantibus. *Lin. fl. suec.* 454-489. *It. Gotl.* 180. *
T. minus. *Lin. ! sp.* 769. *Mill. dict. n.* 7. *Scop. carn. n.* 674. *fl. dan. t.* 732. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 193. *n.* 30. *Jacq. austr.* 5. *p.* 9. *t.* 419. *Gunn. norv. n.* 705. *Willd. sp.* 2. *p.* 1297. *Schkuhr. handb.* 2. *t.* 151. *Poir. ! dict.* 5. *p.* 317. *Smith ! fl. brit.* 584. * *Engl. bot. t.* 11. *DC. ! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 875 *.
T. foliis patulis, imis obtusè trilobis, supremis acutis, paniculâ diffusâ, floribus nutantibus. *Hall. helv. n* 1139 *.

β. T. montanum minus foliis latioribus. *Ray. syn.* 100. *Tourn. inst.* 271.

Hab. in Europæ ferè totius pascuis submontosis et in Sibiriâ (*Gm.*), Laconiâ (Sibth.) ♃ fl. vere (v. v. sp.).
Dignoscitur apicibus foliorum purpurascentibus et caulis nebulâ cærulescente (Lin); folia patula (Hall.); segmenta ovalia suborbiculata apice 3-5-dentata obtusa; panicula nuda rigida laxissima; carpella 3-6 utrinque attenuata acuta striato-sulcata.

21. Thalictrum saxatile.

T. caule tereti polline destituto, floribus paniculatis erectis, foliorum segmentis glabris subrotundis apice dentatis, subtùs glaucis, carpellis utrinque acutis.

T. minus. *Poll. pal. n.* 522. *
T. saxatile. *Schleich ! pl. exsic. DC ! fl. fr.* 5 *p.* 633. *
Hab. in Europæ mediæ collibus sylvaticis montiumque vallibus, nempè in Alsatiâ, Palatinatu, Helvetiâ, Pyrenæis ♃ (v. v. sp.), fl. æstate ineunte.
T. minori valdè affine et ab eo vix distinctum nisi caule viridi, basi purpureo, polline glauco destituto; floribus erectis brevius pedicellatis et multò minùs laxis; foliis magis erectis; cæterùm carpella parvula utrinque acuta. — Icon Dodonæi, à Lobelio et aliis repetita et ad T. minus ab omnibus autoribus relata, hîc potius pertinere videtur.

22. Thalictrum elatum.

T. caule teretiusculo polline glauco destituto, floribus

paniculatis erectis, foliorum segmentis glabris, ovatis subcordatisve subtrifidis, carpellis basi obtusis.

T. elatum. *Murr. syst. ed.* 14. *p.* 513. *Jacq. Hort. Vind.* 3. *t.* 95. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1297.

β. T. ambiguum. *Schleich ! pl. exsic.*

Hab. in Hungariâ (Jacq.) β ad margines agrorum in valle Binn Helvetiæ. *Schleich.* ♃ (v. v. c. et β s. sp.).

Ambigit inter T. saxatile et majus ; à saxatili differt carpellis basi obtusis crassioribus brevioribusque et habitu majori : à T. majore et minore floribus erectis nec cernuis.

23. Thalictrum majus.

T. caule tereti polline glauco destituto, floribus laxè paniculatis cernuis, foliorum segmentis glabris subtùs glaucis trifidis, lobulis ovatis submucronatis, carpellis basi obliquè rotundatis.

T. magnum secundum. *Dod. pempt.* 58 ?

T. majus non striatum. *C. Bauh. pin.* 336. *Tourn. inst.* 210.

T. majus. *Murr. syst.* 513. *Jacq. austr.* 5. *t.* 420. *Host. syn.* 306. *Willd. sp.* 2. *p.* 1297. *Smith. fl. brit.* 585. * *Engl. bot. t.* 611. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 876.

Hab. in Helvetiæ, Palatinatûs, Delphinatûs, Cebennarum, Angliæ (Sm.) collibus siccis dumosis. fl. æstate. ♃ (v. v. sp.).

Caulis sæpè tripedalis ; petioli divergentes patentes ; panicula valdè flexuosa ; carpella sat magna, basi obliquè rotundata, altero latere scilicet ventricosa (Koch. in litt.).

24. Thalictrum nutans.

T. caule tereti polline glauco destituto, floribus laxè paniculatis cernuis, foliorum segmentis glabris subtùs glaucis apice 3-5 dentibus acutè incisis, carpellis basi obliquis obtusis.

T. nutans. *Desf! tabl. par. ed.* 1. *p.* 123. *Poir! dict.* 5. *p.* 317. * *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4 *p.* 876. *

Hab. in Alpibus Sabaudis. *J. de Cand.* ♃ (v. s. sp. et v. c.) fl. æstate.

Adeo priori simile ut facilè cum eo conjungendum : diferre tamen videtur foliorum segmentis basi magis cuneatis apice dentibus 3-5 acuminatis instructis.

25. Thalictrum medium.

T. caule tereti polline destituto, floribus laxè paniculatis erectiusculis, foliorum segmentis glabris oblongis cuneiformibus acutè trifidis, summis indivisis lanceolatis.

T. medium. *Murr. syst.* 513. *Jacq. Hort. Vind.* 3. *t.* 96. *Willd. sp.* 2. *p.* 1297. *Pall. nov. act. petr. vol.* 10.

Hab. in collibus Hungariæ (Jacq.) Tauriæ (Pall.). ♃. fl. æstate. (v. s. c.).

26. Thalictrum concinnum.

T. caule tereti stricto, floribus cernuis in paniculam patentissimam amplam dispositis, foliorum segmentis glabris cuneiformibus trifidis acutis, lobo medio sæpè tridentato.

T. concinnum. *Willd. enum.* 584.
Hab. . . . . ♃ (v. v. c.) fl. junio.
Affine T. minori et T. medio sed habitu strictiore jam è longinquo distinctum; segmenta parva cuneiformia trifida, lacinia media tridentata acuta; caulis ramosus strictus virgatus; panicula patens (Willd.).
Caulis erectus purpurascens tripedalis; petioli dilatati; folia radicalia quadri ternati-secta, petiolo longo ramoso, segmentis basi cuneiformibus obovatis apice trifidis, lobis præsertìm medio 2-3-dentatis; caulina ab ipsâ basi tripartita, partitionibus bipinnatim sectis, segmentis cuneiformibus acutè trifidis, lobo medio acutè tridentato; panicula ampla ramosissima patentissima; rami inferiores pedem ferè longi et centum flores circiter gerentes; flores pedicellati nutantes albidi; stam. 17-20, ovaria 6-7.

27. Thalictrum glaucescens.

T. caule tereti stricto, floribus subnutantibus laxè paniculatis, stipellis minimis ad basin præcipuorum petioli ramificationum, segmentis glabris ovatis apice tridentatis.

T. glaucescens. *Hortul.*
Hab. verosimiliter in Imperio Ruthenico? ♃ (v. v. c.) fl. junio.
Affine T. aquilegifolio ob stipellas minimas ad basin præcipuorum petioli ramorum sitis, cæterùm habitu et fructu T. concinno analogus. Color totius herbæ subglaucus; caulis fistulosus 2-3-pedalis; panicula laxa patens elongata nec corymbosa; flores pedicellati laxi nutantes; sepala 4 ovalia purpurascentia; stam 20; pistilla 4-5; carpella ovata striata stylo breviter acuminata.

28. Thalictrum galioïdes.

T. caule tereti subsulcato stricto, radice repente, panicula stricta, floribus nutantibus, foliorum segmentis linearibus angustissimis integerrimis margine revolutis, ultimo subsessili.

T. angustissimo folio. *C. Bauh. prod.* 146. *ic. Pluk. alm. t.* 65. *f.* 6. *Moris hist.* 3. *p.* 325. *s.* 9. *t.* 20. *f.* 8. *Mapp. als.* 301.
T. pratense angustissimo folio. *C. Bauh. pin.* 337 (*ex loco natali et herb. Vaill.*) *Læs. pruss.* 268 (*ex Sweig.*).
T. caule folioso foliis angustissimis non dentatis. *Hall. helv. ed.* 1. *n.* 307.
T. angustifolium var. *Lin! sp.* 769.
T. Bauhini. *Crantz aust.* 2. *p.* 76.
T. foliis adscendentibus linearibus panicula erecta. *Hall. helv. n.* 1137.*

T. angustifolium. *Poll. pal. n.* 523. *
T. angustifolium β galioïdes. *DC! fl. fr. ed.* 3. *n.* 4601. *
T. galioïdes. *Nestler! in Pers. ench* 2. *p.* 101. *Willd! enum.* 585. *Sweig. in Kœnigsb. arch. nat.* 1812. *p.* 223. *DC! fl. fr. v.* 5. *p.* 633.
Hab. in pratis siccis subarenosis nemorosis Alsatiæ circa Argentoratum; Michelfeld *C. Bauh.*; Palatinatûs circa Frankental (Poll.); in valle Breyninâ Austriæ (Cr.). ♃ fl. æst. (v. v. sp.).
Florens è longinquo adeò simile Galio vero ut vix discerni possit. In herb. Linnæano mixtum cum T. angustifolio adest.

29. Thalictrum angustifolium.

T. caule stricto tereti subsulcato, radice fibrosâ, paniculâ multiplici erectâ, floribus erectiusculis, foliorum segmentis lineari-lanceolatis integerrimis, ultimo subinciso remoto.

T. sextum vel pratense 11. *Clus. hist.* 1. *p.* 234.
T. pratense angustifolium. *C. Bauh. pin.* 227. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 487. *Tourn. inst.* 271.
T. pratense majus Monspeliensium, etc. *Pluk. alm. t.* 65. *f.* 3. (*benè sed syn. excl.*).
T. angustifolium var. *Lin! sp.* 769.
T. angustifolium. *Jacq. Hort. Vind.* 3. *t.* 43. *Willd. sp.* 2. *p.* 1299. *enum.* 584. *Poir! dict.* 5. *p.* 316. * *Hoppe! pl. exsic. Sweig. in Kœnigsb. arch. nat.* 1812. *p.* 224.
T. angustissimum. *Crantz. austr.* 2. p. 79. *
T. angustifolium var. α. *DC! fl. fr. ed.* 3. *n.* 4601. *
Hab. in Germaniæ et Galliæ præsertim orientalis pratis et sylvarum locis cæduis, etiam in Olympo Bithyno (Sibth.). ♃ fl. julio (v. v. sp.).
Caulis erectus tenuis fistulosus; radix non repens sed fasciculato-fibrosa; folia radicalia longè petiolata, caulina sessilia; segmenta conferta, 2-3 lin. lata, linearia, supernè lucida, marginibus subrevoluta, terminali interdùm integro, sæpiùs bi aut trifido; panicula multiceps erecta angusta; flores pedicellati erectiusculi; sepala 4-5; stam. 20; pist. 5-6. carpella ovata striata brevia.

30. Thalictrum lucidum.

T. caule ramoso tereti subsulcato, radice fibrosâ, paniculâ multiplici erectâ, floribus erectiusculis, foliorum segmentis lineari-lanceolatis integris, ultimo lobato.

T. primum vel pratense 1. *Clus. hist.* 1. *p.* 234.
T. minus lucidum libanotidis coronariæ foliis. *Pluk. alm.* 363. *t.* 65. *f.* 5.
T. minus alterum Parisiensium foliis crassioribus et lucidis. *Tourn. inst.* 271.
T. caule folioso sulcato foliis linearibus carnosis. *Dalib. par.* 162.
T. lucidum. *Lin. sp.* 770. *Willd. sp.* 1301. *Poir. dict.* 5. *p.* 316.
T. speciosum. *Mill! dict. n.* 2. *ex herb. Banks.*
T. medium. *Poir! dict.* 5. *p.* 316. * *excl. syn.*
T. longifolium. *Krock sil.* 2. 1. *p.* 242. *Laich. syst. eur.* 1. *p.* 241?

Hab. in pratis circa Parisios (Tourn.), in Hispaniâ (Lin.) et Silesiâ? (Krock.). ♃ (v. s. c.).

Medium inter T. angustifolium et T. flavum : à priori differt foliorum segmentis non linearibus sed basi subcuneatis apice lanceolatis sæpiùs bi aut trifidis ; à posteriori foliis multò angustioribus.

T. lucidum in Hispaniâ lectum vix à T. flavo differt nisi foliis supra magis lucidis ; in horto cultum non habebat ampliùs quo distingueres (Gmel. fl. bad. 2. p. 525.).

31. Thalictrum nigricans.

T. caule stricto ramoso sulcato, radice fibrosâ, paniculâ multiplici erectâ subcorymbosâ, foliorum radicalium segmentis cuneiformibus trifidis, caulinorum oblongo-linearibus.

T. pratense maximum Monspeliensium asperioribus foliis. *Moris. præl.* 312. *Magn. bot.* 249. (*ex herb. Vaill.*).

T. pratense maximum asperioribus et rugosioribus foliis. *Magn. hort.* 193.

T. pratense elatius longioribus magis atris foliis et quodam modo splendentibus. *Moris. hist.* 3. *p.* 325. *n.* 2.

T. majus foliis rugosis trifidis. *Moris. hist.* 1. *s.* 9. *t.* 20. *f.* 3.

T. majus siliqua seminis striata foliis rugosis trifidis. *Moris. umb.* 70.

T. n. 1138. var. *β. Hall. helv.* 2. *p.* 57.

T. nigricans. *Jacq ! aust.* 5. *t.* 421. *Murr. syst.* 513. *Willd. sp.* 2. *p.* 1300. *DC ! fl. fr.* 5. *p.* 634.

T. rugosum. *Poir ! dict.* 5. *p.* 317. *excl. syn. et patr.*

Hab. in Austriæ, Italiæ septentrionalis et Galliæ meridionalis ad margines agrorum, littora et ostia fluminum, in arenosis udis. ♃ fl. æst. (v. v. sp.)

An mera T. flavi varietas ut voluerunt et summus Linnæus ex hujus herbario et cl. Smith in prod. fl. Græc. 1. p. 378 et alii. Differt à T. flavo et ab angustifolio tantùm foliorum radicalium segmentis à caulinis diversis nempè infimorum cuneiformibus, superiorum linearibus, nec omnibus cuneatis ut in T. flavo, omnibus linearibus ut in T. angustifolio.

32. Thalictrum flavum.

T. caule erecto ramoso sulcato, radice fibrosâ, paniculâ multiplici erectâ subcorymbosâ, foliorum omnium segmentis cuneiformibus trifidis acutis.

Ruta pratensis major. *Tab. ic. t.* 55. *f.* 1.

T. majus siliqua angulosa aut striata. *C. Bauh. pin.* 336. *Tourn. inst.* 270.

T. nigrius caule et semine striato. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 487. *f.* 1.

Pseudo-rhabarbarum. *Dale. pharm.* 123.

T. pratense. *Lin. fl. lapp.* 224.

T. flavum, var. *α. Lin ! sp.* 770. *Willd. sp.* 2. *p.* 1300. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 193. *n.* 29.

T. foliis erectis lobis acutè trilobis spicâ ascendente. *Hall. helv. n.* 1338. *var. α.*

T. flavum. *Mill. dict.* 1. *Scop. carn.* 2. *n.* 673. *Poll. pal. n.* 534. *Gmel. fl. bad. n.* 823. * *Engl. bot. t.* 367. *DC ! fl. fr. ed.* 3. *n.* 4603. *

β. Panicula pauciflora. *Fl. fr. l. c.*

T. pauperculum. *Herm. ined.*

γ. Petiolorum vaginis in auriculas expansis.

T. vaginatum. *Desf! cat. h. par. ed. 2. supl. p. 274.*

Hab. in Europæ totius etiam in Sibiriæ (Gm.), Achaiæ et agri Bizantini (Sibt.) pratis subhumidis. ♃ fl. junio. (v. v. sp.).

Stigmata crassa alba. Ovaria 10-15. Stam. 24. Sepala 4. — Var. β, quam in Alsatiâ legerunt Cl. Herman et Nestler à vulgari non differt nisi paniculâ pauciflorâ, foliorumque segmentis paulò latioribus. — Var. γ sæpè sub nomine T. rugosi in hortis obvia differt à varietate vulgari foliorum nervulis paulò magis prominulis, petiolisque præsertim superioribus basi utrinque dilatatis in auriculam membranaceam rotundatam, sed sæpè hanc dilatationem in ipsissimo T. flavo observavi.

33. Thalictrum Thunbergii.

T. caule erecto ramoso tereti, paniculâ multiplici erectâ, foliorum segmentis cuneiformibus apice acutè trifidis glaucescentibus.

T. flavum. *Thunb.! fl. jap. 241. non Lin.*

Hab. in Japoniâ. *Thunb.* ♃. (v. s. sp.).

Affine T. flavo sed distinctum. Caulis teres lævis nec sulcatus; folia subtùs præcipuè glaucescentia; flores paulò minores; ovaria 3-5 nec 10-15; stamina 10-12 nec 24; filamenta breviùs exserta.

34. Thalictrum simplex.

T. caule erecto simplici angulato, radice repente, paniculâ erectâ racemosâ pauciflorâ, foliorum segmentis linearibus aut inferioribus oblongis acutis trifidis.

T. caule simplicissimo subnudo, racemo simplici laxo terminatrice. *Lin. fl. suec. n. 455.*

T. simplex. *Lin! mant. 78. fl. dan. t. 244. Gunn. fl. norv. n. 784. Willd. sp. 2. p. 1301. Poir! dict. 5. p. 316. DC! fl. fr. ed. 3. n. 4602.**

Praticola. *Ehr! phyt. 2. n. 15.*

T. angustifolium. *Vill. dauph. 3. p. 712. * excl. syn.*

Hab. in pratis asperis et ad ripas fluminum in Suecià *Lin.*; circa Upsaliam, *Ehr.*; in Norvegiâ (Gunn.); in Vallesiâ *Thomas*, Genevæ, in Delphinatu (Vill.). ♃ fl. æst. (v. s. sp.).

35. Thalictrum cinereum.

T. caule erecto tereti substriato, paniculâ ramosissimâ laxâ rigidâ, floribus erectis, foliorum segmentis ovalibus basi cuneatis, apice 3-5-dentatis.

T. cinereum. *Desf! cat. hort. par. ed. 2. p. 146.*

Hab. . . . . ♃ (v. s. c. in h. Desf.).

Caulis teres erectus 3-4-pedalis fistulosus vix ac ne vix striatus; petioli basi auriculato-vaginantes angulosi tripinnatim secti; segmenta obscurè viridia, subtùs reticulatim nervosa, ovalia, basi cuneata, apice 3-5 dentata, dentibus subacutis, lateralia basi inæqualia; panicula laxa ramo-

sissima ; pedunculi rigidi foliis longiores ; bracteolæ minutissimæ acutæ ; flores erecti; sepala 4-5 ; stamina pauca ; ovaria 7-8 oblonga apice acuta.

36. Thalictrum densiflorum.

T. caule erecto striato, paniculâ multiplici erectâ, floribus congestis subcapitatis, foliorum segmentis ovalibus acutè trifidis tridentatisve subtùs glaucis reticulato-venosis.

T. densiflorum. *Humb. Bonpl. et Kunth ! nov. gen. et sp. amer. ined.*
Hab. in Americâ meridionali. *Humb. et Bonpl.* ♃ (v. s. sp. in h. H-B.).
Caulis erectus fistulosus striatus polline glauco destitutus ; foliorum caulinorum petioli ex ipsâ basi trifidi, ramulis lateralibus brevibus segmenta tria gerentibus, medio longo pinnatìm secto ; segmenta ovalia inferiora subcordata, summa oblonga, omnia subtùs glauca reticulato-venosa, apice subtriloba, lobulis acutis integris aut unidentatis ; paniculæ rami erecti longi nudi ; flores ad eorum apices in capitula subrotunda congesti flavescentes; sepala 4, 2 oblonga, 2 ferè orbiculata; antheræ 20-30 ; ovaria pauca, forsan interdùm nulla aut abortiva ut in plerisque speciebus Americanis.

37. Thalictrum glaucum.

T. caule erecto tereti striato polline glauco, paniculâ multiplici erectâ confertâ, foliorum segmentis subcordato-ovatis obtusè trifidis subtùs glaucis.

T. tertium. *Dod. pempt.* 58.
T. primum Italicum vulgò. *Cam. hort.* 167.
T. flore albo. *Besl. eyst. vern.* 1. *t.* 11. *f.* 2.
T. majus flavum floribus luteis seu glauco folio. *C. Bauh. pin.* 336. *Moris. hist.* 3. *p.* 324.
T. speciosissimum glaucum semine et caule striato. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 486 *et* 487. *f.* 1.
T. majus vulgare. *Moris. hist.* 1. *s.* 9. *t.* 20. *f.* 1.
T. magnum flore luteo odorato. *Grisl. vir. lus. Tourn. inst.* 271. *ex herb. Vaill.*
T. flavum speciosum. *Lin. sp.* 770? *Willd. sp.* 2. *p.* 1300?
T. speciosum. *Poir! dict.* 5. *p.* 315. * *DC ! fl. fr. ed.* 3. *n.* 4604. * *non Mill.*
T. flavum Hispanicum. *Brot. fl. lusit.* 2. *p.* 356. *
T. glaucum. *Desf ! cat. hort. par. ed.* 2. *p.* 126.
Hab. in Hispaniâ et Lusitaniâ (Brot.), in Pyrenæis circa Mont-Louis? (Lapeyr.), in monte S.-Lupi Burgundiæ (J. Bauh.), in Helvetiâ (Cæs.), Neapoli, *Tenore.* ♃ fl. æstate. (v. v. c.).
Caulis simplex erectus 2-5 pedalis fistulosus sæpius strictus teres striatus, polline glauco conspersus ; foliorum superiorum petioli basi vaginantes, ferè supra vaginam tripartiti, ramis pinnatìm bipinnatìmve sectis ; segmenta petiolulata basi subcordata ovato-orbiculata triloba, lobis grossè dentatis obtusis aut subacutis, glabra, subtùs præsertim glauca; panicula multiplex corymbosa confertissima ; flores erecti approximati, flavescentes, fœtidi, summi subumbellatìm dispo-

siti ; sepala 5 in floribus mediis, 4 in lateralibus, ovata oblonga concava albida ; stam. circiter 20 erecta ; ovaria 4-6 ; carpella ovata. — Variat in locis apricis superficie totâ magis glaucâ, foliis verticalibus, paniculâ magis confertâ, in umbrosis superficie minùs glaucâ, foliis magis patentibus, paniculâ magis patulâ.

38. Thalictrum rugosum.

T. caule erecto tereti striato virescente, paniculâ erectâ multiplici, floribus confertis, foliorum segmentis ovatis subcordatis grossè 3-5-crenatis, subtùs glaucis, supernè lucidis.

T. rugosum. *Ait. Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 262. *Willd. sp.* 2. *p.* 1298. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 388.
T. discolor. *Willd. enum. app.* 46. *Spreng. pug.* 1. *p.* 39.
T. crenatum. *Desf. cat. hort. par. ed.* 2. *p.* 126.

β. Umbelliferum.

Hab. secùs rivos et in paludibus Americæ borealis à Pensylvaniâ ad Carolinam (Pursh.). ♃ (v. v. c.).

Valdè simile T. glauco, sed differt caule viridi nec glauco, foliis supra lucidis intensè viridibus, paniculâ sæpiùs magis contractâ, staminibus paulò numerosioribus (30-35 nec 20), pistillis 6-7.

Var. *β.* à priori differt caule crassiore elatiore apice in pedunculos longos umbellatos desinente ; flores ad apicem cujusque pedunculi plurimi conferti : an species propria ?

§. III. *Indivisa*, foliis indivisis.

39. Thalictrum rotundifolium.

T. foliis radicalibus petiolatis reniformibus suborbiculatis sinuato-crenatis multinerviis.

T. batula. *Buchan! ined.*

Hab. in Napaulià. *Buchanan.* ♃ (v. s. sp. in herb. Lamb.).

Radix fasciculata, fibris longis nigricantibus teretibus subfibrillosis ; collum crassum reliquiis foliorum subfibrillosum ; folia radicalia 6-8, petiolo erecto tereti 1-2 poll. longo, limbo horizontali verè reniformi sed sinu clauso orbiculato et primâ fronte subpeltato, margine subsinuato crenato, nervis 13-15 è petiolo palmatìm et ferè peltatìm ortis radiantibus, superficie superâ pilis minimis lentis ope videndis subasperâ, inferâ molliùs sed tenuissimè pubescente, nervulis elevatis reticulatâ ; scapi radicales tenues 8-10 poll. longi erecti apice ramosi, ramis paucis subcorymbosis unifloris ; bracteæ ovales aut oblongæ glabræ reticulatæ foliaceæ sub originem ramorum sitæ alternæ, superiores interdùm oppositæ ; flores exactè generis ; sepala 5 rariùs 4 ovalia subobtusa patentia demùm decidua ; stam. circiter 20, filamentis filiformibus, antheris oblongis acutis ; ovaria sessilia oblonga, stigmate acutiusculo terminata, in capitulum globosum collecta ; carpella substriata.

40. Thalictrum ranunculinum. †

T. foliis simplicibus quinquelobis serratis.

T. ranunculinum. *Muhlemb. in Willd. enum.* 585.
Folia Ranunculi vel Geranii quinquelobo-palmata; flores corymbosi. T. speciosi. (Willd.)

§. IV. *Grumosa*, radicibus grumosis, sepalis petaloïdeis stamina superantibus.

41. Thalictrum tuberosum.

T. radice grumosâ, floribus laxè corymbosis solitariisve, involucro nullo, bracteis sessilibus.

Œnanthe myconi. *Dalech. lugd.* 785. *ic. J. Bauh. hist.* 3. *p.* 193. *f.* 1. *Ray. hist.* 584.
Œnanthe hederæ foliis. *C. Bauh. pin.* 163.
Ranunculus thalictri folio asphodeli radice. *Moris. hist.* 2. *p.* 438. *s.* 4. *t.* 28. *f.* 13.
T. minus grumosâ radice floribus majoribus. *Herm. fl.* 9. *Boerh. lugd-b.* 1. *p.* 45.
T. minus asphodeli radice magno flore. *Tourn. inst.* 271.
T. floribus pentapetalis radice tuberosâ. *Lin. h. cliff.* 226. *Mill. ic.* 177. *t.* 265. *f.* 2.*
T. tuberosum. *Lin! sp.* 768. *Mill. dict. n.* 6. *Lam! dict.* 5. *p.* 321. *DC! fl. fr. ed.* 3. *n.* 875.* *Asso. syn. n.* 483.
β. caule unifloro. *Fl. fr. v.* 5. *p.* 633.

Hab. in pascuis sterilibus et petrosis collium α in Arragoniâ (Asso), Cataloniâ (Myc.), in Pyrenæis (Lin.), ad Corsabona et Nouri (Gou.). β, in Occitaniâ supra Carcassonam. ♃ fl. ineunte æst. (v. v. α cult. β sp.).
Radix ferè OEnanthes, grumosa, fibris 5-6 basi tuberosis ovatis in fibrillas simplices apice desinentibus; caulis erectus, basi squamis subvaginantibus tectus, paulò supra collum folia fasciculata gerens, supernè nudus; folia conferta petiolata bi-tripinnatimve secta, segmentis orbiculatis, trilobis, glabris. Flores plurimi pedunculati laxè corymbosi in var. α, solitarii ad apicem caulis simplicis in var. β: sepala 5 alba petalis Parnassiæ ferè similia, ovalia, obtusa, staminibus longiora; staminum filamenta brevia, antheræ elongatæ; ovaria 7-8 elongata subincurva.

42. Thalictrum anemonoïdes.

T. radice grumosâ, floribus umbellatis, foliis floralibus petiolatis biternatim sectis involucrum constituentibus.

Ranunculus nemorosus aquilegiæ foliis Virginianus asphodeli radice. *Pluk. alm.* 310. *t.* 106. *f.* 4.
Anemone thalictroïdes. *Lin. sp.* 763. *Mill. dict. n.* 8. *Lam! dict.* 1.

p. 168. *Juss! ann. mus.* 3. *p.* 249. *t.* 21. *f.* 2. *Willd. sp.* 2. *p.* 1284. *Hort. Berol.* 1. *t.* 44. *Big. fl. bost.* 136. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 387.
T. anemonoïdes. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 322.

β. caule unifloro. *Pursh. l. c.*

T. caule unifloro ex eodem puncto foliis quatuor simplicibus instructo. *Gron. virg.* 62.

Hab. in sylvis et pascuis Americæ septentrionalis, à Canadâ ad Carolinam, *Pursh;* in New-Jersey, *H. Banks;* circa Bostoniam (Big.).

Habitus et frondescentia Isopyri, florum dispositio Anemones, fructus Thalictri. Radix nigricans grumosa, tuberibus 2-3 obovatis obtusissimis, fibrillis tenuissimis intermixtis; caules erecti tenues palmares simplices nudi; folia radicalia longè petiolata, petiolo apice trisecto, segmentis ovatis tridentatis; folia floralia 2 opposita petiolo ab ipsâ basi tripartito et ideò segmentis petiolulatis subverticillatis ovatis tridentatis involucrum constituentibus; pedicelli 5-6 umbellati in var. *α*, solitarii in var. *β*, uniflori; sepala 5 obovata obtusa alba staminibus longiora; carpella oblonga ecaudata, nervis prominentibus striata.

Varietatem flore pleno petaloïdeo in sylvis Americæ septentrionalis olim reperit Cl. Bartram et in hortos introduxit (Herb. Banks.).

†. *Thalictra dubia aut non satis nota.*

43. Thalictrum Mexicanum.

Coztipatli II. *Hern. mex.* 236. *ic.*

Hab. in Mexico. ♃.

Radices crassæ fasciculato-fibrosæ, amethystini coloris, fibrillis luteis; caulis luteus; folia biternatim secta; segmenta petiolulata ovata denticulata (Hern.).

44? Thalictrum? Japonicum.

Didynamista salviæ similis. *Thunb. jap.* 364. *n.* 74.*

T. Japonicum. *Thunb. act. soc. Lin.* 2. *p.* 337. *Willd. sp.* 2. *p.* 1303.

Hab. in Japoniâ ♃.

Radix fasciculato-fibrosa; folia radicalia plurima longè petiolata ternato-suprà-decomposita glabra, erecta; segmenta subcuneata incisa serrata; petioli trifidi; scapus striatus, erectus, supernè divisus; flores verticillati pedunculati; herba amara; fructus læves nec striati (Thunb.).

45? Thalictrum? Sinense.

T. Sinense. *Lour. coch.* 1. *p.* 423.

Hab. agreste in China ♄ ♃.

Radix tuber subrotundus solidus albissimus; caulis pedalis teres rectus suffruticosus simplicissimus 1-florus; flos albus terminalis; calyx o? petala? 5 rotundato-patentia; stamina polyandra brevia; semina plurima mutica; folia lineari-lanceolata (Lour.). An Thalictrum? an Ranunculacea?

IV. ANEMONE.

Anemone et Pulsatilla. C. Bauh. *pin.* 173 *et* 177. Tourn. *inst.* 275 *et* 284. *t.* 147 *et* 148. Moench. *meth.* 299. *supl.* 105. Wild. *enum.* 580. — Anemones sp. Lin. *gen.* 694. Lam. *ill. t.* 496. Juss. *gen.* 282. Gærtn. *fr.* 1. *p.* 357. *t.* 74. — Anemone Hall. *helv.* 2. *p.* 60. *Fl. fr. ed.* 3. *vol.* 4. *p.* 878. — Anemone, Pulsatilla et Oriba. Adans. *fam.* 459 *et* 460.

Fruct. Involucrum trifolium à flore distans, foliis variè incisis. Calyx 5-15-sepalus petaloïdeus. Petala 0. Stam. ∞. Cariopsides ∞ monospermæ nunc in caudam longam barbatamque elongatæ, nunc ecaudatæ.

Veg. Herbæ ♃; Radices (caulesve subterranei?) nunc Cyclaminis modo tuberosæ, nunc trunco subterraneo horizontali subrepentes, nunc merè fibrosæ; folia radicalia, petiolata, simplicia, plus minùsve lobata aut secta; caulis (scapusve) foliis veris destitutus, apice gerens involucrum è foliis 3 (rariùs 2) variè incisis constans; ex involucro nunc pedicelli uniflori aphylli solitarii aut plurimi, nunc in speciebus caulescentibus pedicellus unicus aphyllus, et alter seu ramulus involucrum bifolium pedicellumque uniflorum gerens. Flores valdè variabiles facillimè pleni.

Vir. Herbæ recentes acres, extùs vesicatoriæ, intùs subvenenatæ, nonnullæ tamen in chronicis ophtalmiis cariebusque venereis propositæ.

Hab. Species huc usque cognitæ 45 habitant pascua, sylvas, dumeta et montes regionum temperatarum præsertìm in hemisphærâ boreali; Pulsatillæ in collibus asperis, Preonanthi in summis Alpibus, Pulsatilloïdeæ ad caput Bonæ-Spei, Anemonantheæ in pascuis sylvisque, Anemonospermi in Americâ utrâque et Asiâ, Omalocarpi in montanis. Species Capenses 2, Americanæ merid. 4, Americ. septentr. 11, Europeæ 17, Orientales 3, Sibiricæ 5, Napaulenses 2, Japonica 1; — Species 4 Americæ boreali et Europæ communes esse videntur.

Obs. Genus naturale nec meo sensu dividendum: etenim 1°. Preonanthi sectio habitu et flore Anemonantheæ et fructu ut in Pulsatillâ caudato fruitur; 2°. Caracter è fructu caudato ecaudatove hîc ad separanda genera non admittendus, cum in Clematidis genere proximo non valeat.

Div. Ex habitu toto et ex fructu naturalissima evadit, nempè :

I. Pulsatilla. Cariopsides in caudas longas barbatas productæ ; Involucri folia sessilia palmati-partita in lobos lineares. . . . . Sp. 1-7.

II. Preonanthus. Cariopsides in caudas longas barbatas productæ ; Involucri foliola trisecta petiolata. . . Sp. 8.

III. Pulsatilloïdes. Cariopsides hirsutissimæ. Calyces 15-20-sepali ; Involucri folia 2-3 sessilia apice incisa. Sp. 8-9.

IV. Anemonanthea. Cariopsides ecaudatæ ovoïdeæ. Pedicelli solitarii aut bini, omnes aphylli uniflori. Involucri foliola petiolata. . . . . Sp. 9-32.

V. Anemonospermos. Cariopsides ecaudatæ subcompressæ. Pedicelli ∞, 1 aphyllus uniflorus, 2-3 involucellum bifolium gerentes. . . . . Sp. 33-40.

VI. Omalocarpus. Cariopsides compresso-planæ ovali-orbiculatæ glabræ ecaudatæ ; Pedicelli ∞ umbellati aphylli 1-flori. . . . . Sp. 40-43.

†. Anemones non satis notæ. . . . . Sp. 44-45.

Sect. 1. PULSATILLA.

Pulsatilla C. Bauh. *pin.* 177. Tourn. *inst.* 284. *t.* 148. Willd. *enum.* 580.

Car. Carpella in caudas longas barbatas producta ; Involucri folia sessilia basi dilatata apice in lobos lineares palmati-secta ; sepala 5-6 ; glandulæ (stamina abortiva) in plurimis pedicellatæ inter stamina et sepala. — Folia radicalia sæpiùs pinnati-secta, segmentis multifidis, lobis linearibus cuneatisve ; flores sæpiùs purpurei.

1. Anemone vernalis.

A. foliis pinnati-sectis, segmentis cuneato-lanceolatis trifidis glabriusculis, flore erecto, involucro villosissimo, sepalis 6 rectis elliptico-oblongis.

Pulsatilla apii folio vernalis flore majore et minore. *C. Bauh. prod.* 94. *pin.* 177. *Ray. hist.* 1. *p.* 625. *Tourn ! inst.* 284. *Helw. puls.* 63. *t.* 9.

Pulsatilla involucro piloso nitido. *Lin. fl. lapp.* 223.

Pulsatilla foliis simpliciter pinnatis foliolis lobatis flore erecto. *Lin. fl. suec.* 438. 483.

A. vernalis. *Lin ! sp.* 759. *Fl. dan. t.* 29. *Poll. pal. n.* 516 *. *Lam ! dict.* 1. *p.* 164. * *Fl. fr ! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 879. * *Sturm, deutschl. fl. ic. Gmel. fl. bad.* 2. *p.* 507. *

Pulsatilla vernalis. *Mill. dict. n.* 3.

A. tubis caudatis, involucris multifidis, foliis pinnatis, pinnis latè lobatis. *Hall. helv. n.* 1147. *t.* 21. *

A. sulphurea. *All. ped. n.* 1921. *non Lin.*

β. Flore luteo.

Pulsatilla Alpina 11. *Dalech. lugd.* 851. *f.* 1.

Pulsatilla lutea apii hortensis folio. *C. Bauh. pin.* 177. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 411. *Tourn. inst.* 284.

γ? Pulsatilla apii folio autumnalis. *C. Bauh. prod.* 94. *pin.* 177. *Tourn. inst.* 284.

Hab. in scopulis et pratis montium excelsorum ad nivem deliquescentem, in Alpibus, Pyrenæis, montibus Arverniæ, Palatinatûs (Poll.), Germaniæ, Sueciæ (Lin.), Norvegiæ (Gûn.) (v. v. sp.), fl. vere et æstate.

Variat foliis radicalibus subvillosis aut glabris; involucro pilosissimo villis nunc albidis, nunc (in sicco præsertìm) flavescentibus; flore subsessili aut pedicellato; sepalis oblongis aut subovalibus, acutis obtusisve, purpurascentibus albidisve, aut in var. β à me non visâ flavis flavidisve.

2. Anemone Halleri.

A. foliis pinnati-sectis villosissimis, segmentis tripartitis, lobis lobatis, lobulis lanceolato-linearibus acuminatis, flore erecto, sepalis 6 ovali-lanceolatis.

A. tubis caudatis, involucris multifidis, foliis hirsutis pinnatis, pinnis acutè lobatis. *Hall. helv. n.* 1148. * *Misc. taur.* 5. *p.* 92. *n.* 133.

A. halleri. *All! ped. n.* 1922. *t.* 80. *f.* 2. *Vill. dauph.* 3. *p.* 725. *Willd. sp.* 2. *p.* 1273. *Fl. fr! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 879. *

Hab. ad nivem deliquescentem, in summibus Alpibus Vallesiæ, Pedemontii, Sabaudiæ, Delphinatûs, et in Pyrenæis orientalibus. ♃ (v. v. sp.), flor. æstate.

Pili totius plantæ longi sericei argentei; flos magnus erectus intùs purpurascens.

3. Anemone cernua.

A. foliis pinnati-sectis subtùs villoso-subtomentosis, segmentis pinnatifidis, lobis incisis oblongis, flore subcernuo, sepalis 6 patentibus elliptico-oblongis.

A. cernua. *Thunb. fl. jap.* 238. *Wild. sp.* 2. *p.* 1273.

Hab. in Japoniâ juxta Jedo (Th.), Nagasaki (H. Lamb.) ♃ flor. vere (v. s. sp. in H. Lamb.).

Scapus, petioli pediculique valdè hirtuto-tomentosi; folia radicalia 2-3; petiolata, scapo dimidio breviora, subtùs (imprimis juniora) villosa subtomentosa, pinnatìm secta, segmentis oppositis, inferioribus petiolulatis, summis sessilibus, omnibus pinnatifidis, lobulis incisis oblongis, mediis ferè inter A. vernalem et A. pulsatillam; scapus 1-florus semi-pedalis; involucrum villosum, lobulis elongatis acutis; pedicellus longitudine et directione varius, nunc subnullus, nunc 2 poll. longus, nunc erectus, nunc inflexus; flos minor quàm in A. pulsatillâ, atro purpurascens, sepalis 6 patentibus elliptico-oblongis, extùs villosis, intùs

glabris; stam. sepalis triplò breviora; ovaria stylique villosi; stigmata glabra purpurea.

4. Anemone patens.

A. foliis pinnati-sectis hysterantheis, segmentis tripartitis, lobis apice dentato-incisis, flore erecto patente.

Pulsatilla folio anemones secundæ sive subrotundo. *C. Bauh. prod.* 91. *pin.* 177. *Ray. hist.* 1. *p.* 635. *Tourn. inst.* 284.

Pulsatilla polyanthos violacea anemones folio. *Breyn. Icon. t.* 61. *cent.* 132. *t.* 134. * *Helw. puls.* 52. *t.* 2. 3.

Pulsatilla anemones folio dissecto lanuginoso, flore majore dilutè luteo patente. *Amm. ruth.* 104.

A. patens. *Lin! sp.* 759. *Gmel. sib.* 4. *p.* 195. *n.* 35. *Lam! dict.* 1. *p.* 164.* *Willd. sp.* 2 *p.* 1272. *Hoffm. Germ.* 189. *Rud. in Schrad. journ. bot.* 4. *p.* 200.

Pulsatilla patens. *Mill. dict. n.* 4.

A. longipetala. *Schleich! pl. exsic.*

Hab. in campis sylvestribus Tobolsko Sibiriæ (Amm.), in pinetis circà Barnaoul *Patrin*, in Lusatiâ inferiore (Lin.), Poloniâ circa Varsoviam (Br.), Gedanum (Reyg.), in Silesiâ (Matt.), Helvetiâ prope Nebrodunum, *Schleich.* ♃ (v. s. sp.) flor. vere.

Species distinctissima in eo quod flores nascantur antè folia, et sic planta florens aphylla, et fructifera foliis radicalibus donata; interdùm tamen reperitur (circa Barnaoul verbi gratiâ) florens mense maio cum anni præcedentis folio submarcido glabrato adhuc persistente. — Flos in involucro ferè sessilis; fructus in involucro longissimè pedunculatus, pedunculo nempè post anthesin à 6 lin. ad 9 poll. elongato; variat flore 6-8-sepalo; flore flavido in Sibiriâ, purpurascente in Germaniâ et Helvetiâ, albo in Poloniâ: an huc forsan plures confusæ species?

5. Anemone pulsatilla.

A. foliis pinnati-sectis, segmentis multipartitis, lobis linearibus, flore subnutante, sepalis 6 patentibus.

Pulsatilla. *Math. comm.* 462. *f.* 2. *Dod. pempt.* 433. *f.* 1. *Cam. epit.* 392. *ic. Dalech. lugd.* 849. *f.* 1. *Ray. hist.* 1. *p.* 633. *Stap. ed. Theophr.* 707. *ic.*

Pulsatilla vulgaris dilutiore flore. *Clus. hist.* 1. *p.* 246. *f.* 1.

Pulsatilla vulgaris. *Lob. ic.* 281. *f.* 2.

Pulsatilla prima. *Tab. ic.* 80.

A. species quam Pulsatillam vocant. *Thal. herc.* 15.

Pulsatilla flore cæruleo et albo. *Besl. h. Eyst. hyem. t.* 6. *f.* 2. 3.

Pulsatilla palustris. *C. Bauh. prod.* 94.

Pulsatilla folio crassiori et majore flore. *C. Bauh. pin.* 177. *Tourn. inst.* 284. *Helw. puls.* 62. *t.* 8.

Pulsatilla purpurea cæruleave. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 409. *f.* 2 *et* 3. *Chabr. sciagr.* 464. *f.* 4 *et* 5. *ic. J. B. mala.*

Pulsatilla folio crassiore flore majore dilutiore. *Moris. oxon.* 2. *p.* 428. *s.* 4. *t.* 26. *f.* 1.

Pulsatilla flore purpureo cæruleo rubro viridi et plano. *Weinm. phyt.* 4. *p.* 177. *t.* 839. *f. a-d. et t.* 840. *f. a-b.*

Pulsatilla flore obsoleto, sive pallidè rubente obtuso, caule foliato. *Mapp. als.* 254. *ex Gmel.*

Pulsatilla foliis decompositis pinnatis, flore nutante, limbo erecto. *Lin. hort. cliff.* 223. *fl. suec.* 446. 481.

A. Pulsatilla. *Lin ! sp.* 759. *Fl. dan. t.* 153. *Poll. pal. n.* 517 *. *Knorr. del.* 2. *t. A.* 7. *Ludw. ect. t.* 119. (*ex Lin.*) *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 195. *n.* 34. *Bull. herb. t.* 49. *Lam ! dict.* 1. *p.* 163. * *Sobol. fl. petr.* 128. *Smith. engl. bot. t.* 51. *Fl. fr ! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 880. * *Savi bot. etr.* 2. *p.* 121. * *Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 18.

Pulsatilla vulgaris. *Mill. dict. n.* 1. *Willd. enum.* 581.

A. tubis caudatis, involucris unifoliis multifidis, foliis linearibus hirsutis, pinnis tri et quinque partitis. *Hall. helv. n.* 1146 *.

A. pratensis. *With. brit.* 498. *Habl. taur. p.* 114. *non Lin.*

A. pulsatilla var. *α. Lam ! fl. fr.* 3. *p.* 320.

A. collina. *Salisb. prodr.* 371.

β. Rubra.

Pulsatilla rubra. *Dalech. lugd.* 850. *f.* 1. *Lob. ic.* 282. *f.* 1. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 410. *Ray. hist.* 1. *p.* 634. *Delarb. fl. auv. ed.* 2. *p.* 553.

Pulsatilla flore rubro, obtuso. *C. Bauh. pin.* 177. *Tourn. inst.* 284.

A. rubra. *Lam ! dict.* 1. *p.* 163. * *Rud. in Schrad. journ.* 4. *p.* 206.

γ. Lilacina.

A. intermedia. *Schult. obs. p.* 101.

δ. Daourica. *Herb. Lamb.*

Hab. in campis sylvestribus exaridis collibusque apricis Europæ ferè totius et Sibiriæ ♃ fl. vere (*v. v. sp.*).

Variat, 1°. flore purpureo, cæruleo, rubro, lilacino, virescente et albo; 2°. flore simplici, duplici, pleno, nunc staminibus in petala mutatis, nunc ovariis in foliola viridia conversis; 3°. staturâ nunc digitali, nunc pedali; 4°. sepalis acutis aut in var. *β* obtusis. — Var. *β* distinguitur staturâ nanâ, flore rubro erecto patentissimo, sepalis obtusioribus. — Var. *γ* habet involucrum pedunculumque villosum, florem pallidè lilacinum extùs pilosissimum. — Var. *δ* est pumila villosissima, foliorum lobis brevibus tenuissimis acutis, flore erecto, sepalis oblongis. — Ad hanc speciem pertinere videntur. A. pisciensis et forsan A. punicea *Sism. agr. tosc.* 223.

6. Anemone pratensis.

A. foliis pinnati-sectis, segmentis multipartitis, lobis linearibus, flore pendulo, sepalis 6 erectis apice reflexis.

Herba venti. *Trag. hist.* 413. *ic.*

Ranunculus x. *Cord. hist.* 121. *ic.*

Pulsatilla altera. *Dod. pempt.* 433. *f.* 2. *Dalech. lugd.* 850. *f.* 2.

Pulsatilla flore clauso. *Lob. ic.* 283.

Pulsatilla vulgaris saturatiore flore. *Clus. hist.* 1. *p.* 246. *f.* 2.

Pulsatilla flore minore nigricante. *C. Bauh. pin.* 177. *Tourn ! inst.* 284. *Helw. puls.* 66. *t.* 12.

Pulsatilla flore clauso cæruleo. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 410. *Ray. hist.* 1. *p.* 634.

Pulsatilla flore minore saturatiore et quasi nigricante, folio magis et tenuiùs inciso. *Moris. oxon.* 2. *p.* 428. *n.* 2. *s.* 4. *t.* 26. *f.* 2.

Pulsatilla n°. 1 - 4. *Tourn. inst.* 284. *t.* 148.

Pulsatilla flore clauso obsoleto, petalis reflexis. *Helw. puls.* 64. *t.* 11.

Pulsatilla foliis decompositis pinnatis, flore pendulo, limbo reflexo. *Lin. hort. cliff.* 223. * *fl. suec.* 447. 482.

A. pratensis. *Lin ! sp.* 760. *Fl. dan. t.* 611. *Lam ! dict.* 1. *p.* 163 *. *Hoffm. Germ.* 1. *p.* 247. *Fl. fr ! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 880. * *Woodv. Med. bot. p.* 400. *t.* 148. *Schkuhr. handb. t.* 150. *Spreng. geh. d. befr. t.* 15. *f.* 30-33.

Pulsatilla nigricans. *Storck. lib. puls. ic.*

Pulsatilla pratensis. *Mill. Dict. n.* 2. *Willd. enum.* 581.

A. pulsatilla var. *β. Lam. fl. fr.* 3. *p.* 320.

A. sylvestris. *Vill. dauph.* 4. *p.* 726. *Excl. syn. Ger. et Lin.*

A. Pulsatilla. *Sturm. Deutschl. fl. ic?*

Hab. in campis pratensibus apricis aridis Galliæ, Germaniæ, Daniæ, Scaniæ (Lin.), in imp. Rutheno ad flumen Courba. *Patrin*, Bizantiis (Sestini) ♃ (v. v. sp.), fl. vere.

Ab A. pulsatillâ differt flore minore pendulo nec suberecto, colore saturatiore, sepalis angustioribus acutioribus basi erecto-conniventibus apice summo reflexis. In utrâque specie glandulæ pedicellatæ (quæ evidenter stamina sunt mutata), inter stamina fertilia et sepala reperiuntur.

A Storckio commendatur extractum infusumve hujus plantæ, in chronicis oculorum affectionibus et etiam in vetustis siphiliticis morbis.

7. Anemone Nuttalliana.

A. foliis palmati-sectis, segmentis tribus multifidis, lobis linearibus elongatis, involucralibus in lobos lineares multi-sectis, flore erecto, sepalis 6 erecto-conniventibus.

Hab. in Louisianâ. *Nuttall.* ♃ (v. s. sp. in H. Lamb.).

Species distinctissima ob habitum omninò Pulsatillæ et folia radicalia palmatìm trisecta, nec pinnatìm multisecta; petioli adpressè pubescentes, 3 poll. longi; limbus trisectus, segmentis petiolulatis multifidis, lobulis linearibus, elongatis, acutis, minimè dentatis, supernè et imprimis subtùs subvillosis; scapus 6-12 poll. longus, plus minusvè villosus, interdùm glabratus; involucri folia in lobos lineares multisecta, basi hirsuto-villosa; pedicellus longitudine varius; flos purpurascens erectus, sepalis 6, oblongis, acutis, erecto-conniventibus, extùs villosis, 8-10 lin. longis; fructus A. pulsatillæ!

Sect. II. PREONANTHUS.

Car. Carpella in caudas longas barbatasque desinentia; Involucri folia trisecta, segmentis petiolatis pinnati-sectis, lobis inciso-serratis. Sepala 5-6; Glandulæ pedicellatæ nullæ. — Folia radicalia petiolo ramoso biternatìm secta, segmentis pinnatìm inciso-serratis. Flores albi aut flavidi.

8. Anemone Alpina.

A. foliis petiolo ramoso biternatìm sectis, segmentis pinnatìm inciso-serratis, involucralibus conformibus, sepalis 6 patentibus.

A. Alpina. *Lin ! sp.* 760. *Crantz. austr.* 2. *p.* 105. *t.* 3. *f.* 2. *Lam ! fl. fr. ed.* 1. *v.* 3. *p.* 319. *ed.* 3. *v.* 4. *p.* 881. *

A. foliis triplicato-pinnatis acutè circumserratis caulinis ternatis tubis caudatis. *Hall. helv. n.* 1149. *

Preonanthus. *Ehr! pl. exsic.* 1. *n.* 95.

α. *Major.* floribus magnis albis extùs subpurpurascentibus, sepalis ellipticis, foliis glabratis aut parcè villosis antè florem expansis.

Pulsatilla I. *Dalech. lugd.* 850. *f.* 3.

A. flore candido amplo folioso, etc. *Thal. herc.* 15.

A. Alpina alba major. *C. Bauh. prod.* 94. *Ray. hist.* 1. *p.* 627.

A. Alpina major. *Lam! dict.* 1. *p.* 165.

A. Alpina. *Vill. dauph.* 4. *p.* 726.

Pulsatilla Alpina. *Delarb. fl. auv. ed.* 2. *p.* 552.

A. apiifolia. *Hop! herb. viv. DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 881.

* Flore pleno.

Pulsatilla pyrenaica flore albo duplici. *Tourn. inst.* 284.

A. Alpina var. γ. *Lapeyr. abr. pyr.* 308.

β. *Micrantha.* Floribus parvulis albis extùs subpurpurascentibus, sepalis ellipticis, foliis glabriusculis ante florem expansis.

A. sylvestris II. *Clus. hist.* 1. *p.* 245. *ic.*

Pulsatilla alba. *Dalech. lugd.* 849. *f.* 2. *Lob. ic.* 282. *f.* 2. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 410. (*excl. icon.*) *Ray. hist.* 1. *p.* 634.

A. flore candido. *Thal. herc. p.* 15.

Pulsatilla flore albo. *C. Bauh. pin.* 177. *Moris. oxon.* 2. *p.* 428. *n.* 3. *s.* 4. *t.* 26. *f.* 3. *Weinm. phyt. t.* 838. *f. d.*

A. Alpina. *Jacq. fl. austr. t.* 85. *Vill. dauph.* 4. *p.* 726. *Hop. herb. viv.*

A. Burseriana. *Scop. carn. n.* 664?

A. Baldensis. *Lam! dict.* 1. *p.* 614. *non Lin.*

A. Alpina. α. *Willd. sp.* 2. *p.* 1275.

A. Alpina. β. *Fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 881.

Pulsatilla Baldensis. *Delarb. fl. auv. ed.* 2. *p.* 553.

γ. *Flavescens*, floribus magnis flavis extùs pallidioribus, sepalis ellipticis, foliis parcè villosis ante florem expansis.

Pulsatilla III. *Dalech. lugd.* 851. *f.* 2?

Pulsatilla lutea pastinacæ sylvestris folio. *C. Bauh. pin.* 177. *Ray. hist.* 1. *p.* 634. *Tourn. inst.* 284.

A. apiifolia. *Scop. carn. n.* 663. * *Jacq. misc.* 2. *p.* 47. *t.* 4. *

A. myrrhidifolia, var. β. *Vill. dauph.* 4. *p.* 727.

δ. *Nivalis*, floribus mediocribus albis subtùs subpurpurascentibus, sepalis ellipticis, foliis villosissimis cum flore aut post fl. expansis, scapo nano.

ε. *Intermedia*, floribus magnis flavis extùs pallidioribus, sepalis ellipticis, foliis villosissimis ante florem aut cum flore nascentibus.

ζ. *Sulphurea*, floribus mediocribus flavis extùs subpallidioribus, sepalis ovatis, folliis villosissimis ante florem aut cum flore expansis.

A. sylvestris III. *Clus. hist.* 1. *p.* 245.

Pulsatilla lutea. *Cam. epit.* 393. *ic. mal. J. Bauh. hist.* 3. *p.* 411? *Ray. hist.* 1. *p.* 934?

Pulsatilla III. *Dalech. lugd.* 851. *f.* 2?

Pulsatilla lutea Alpina hispidior. *C. Bauh. pin.* 177. *Tourn. inst.* 284.

A. sulphurea. *Lin. mant.* 78.

A. apiifolia. *Willd. sp.* 2. *p.* 126.

Hab. in pratis declivibus et lapidosis montium Europæ mediæ, in Pyre-

næis, Cebennis, Arverniæ montibus, Vogesis, Jurasso, Alpibus. 2. (v. v. sp.) fl. æstate.

Species valdè variabilis, ut ex longâ synonymorum serie satis patuit, sed nullo modo meo sensu in pluriinas divellenda; transitus inter extremas varietates vix sensibiles, non tantùm in hortis sed in montibus ipsis reperiuntur; variat ergò, 1°. floris magnitudine nunc A. coronariæ nunc rariùs A. nemorosæ æquali; 2°. floris colore nunc albo, nunc albo foris purpurascente, nunc ochroleuco, flavido et flavo foris pallidiore; 3°. sepalis ellipticis, rariùs ovatis; 4°. foliis nunc glabratis, nunc parcè pilosis, nunc pilis sericeis longis confertis onustis; 5°. foliis ante florem, cum eo aut rariùs post eum (in Alpibus summis) nascentibus; 6°. staturâ nunc bipedali, sæpiùs pedali, et ad Alpium cacumina vix digitali; 7°. flore simplici, duplici aut pleno, petalis accessoriis linearibus planis acutis apice ciliatis; 8°. hujus singulare monstrum à cl. Davall detectum in H. Smith. vidi, cui sepala novem regularia et decimum aliis duplò longius ad pedicelli basin cum involucri foliis situm et ideò analogiam tegumenti verè calycini cum involucro indicans. Cæterùm species Pulsatillas et Anemones auctorum evidenter conjungens.

Sect. III. PULSATILLOÏDES.

Car. Carpella hirsutissima; sepala 7-20 oblonga; involucra bi aut trifolia, foliolis basi subvaginantibus apice inciso-dentatis. — Folia petiolo ramoso biternatìm secta.

9. Anemone Capensis.

A. foliis biternatìm sectis rigidis glabratis, segmentis cuneiformibus apice dentatis.

Pulsatilla apii folio rigido flore magno. *Herm. afr.* 18.

Pulsatilla Africana multifido flore apii folio rigido D. Hermanni. *Ray. hist.* 3. *p.* 330.

Pulsatilla foliis trifidis dentatis flore incarnato pleno. *Burm! afr.* 148. *t.* 52.

Atragene capensis. *Lin! sp.* 764. *Berg. cap.* 148. *Thunb. fl. jap.* 239 *in notâ. Willd. sp.* 2. *p.* 1286. *Andr. bot. rep. t.* 9. * *Sims. bot. mag. t.* 716. *Ait. h. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 342.

A. capensis. *Lam. dict.* 1. *p.* 164.

Clematis capensis. *Poir. suppl.* 2. *p.* 296.

Hab. ad caput Bonæ Spei locis saxosis in ascensu montium. flor. octob.-martio. 2 (v. s. sp. et v. c.).

Radix nigricans crassa parùm fibrosa; caulis basi subramosus et foliifer; folia alterna, juniora subvillosa, adulta glabra, coriacea, petiolo longo tenui trifido, lobis longis trifidis, segmentis petiolulatis trifidis tripartitisve, lobis cuneiformibus apice dilatatis acutè inciso-dentatis subreticulatis; caulis subvillosus; involucrum bi aut trifolium villosum, foliolis oblongis erectis basi subvaginantibus apice acutè inciso-dentatis; pedicellus 3 poll. longus molliter hirsuto-villosus; flos sesquipollicis diametro et ultrà; sepala 13-18 oblonga obtusiuscula extùs et ad margines sericeo-villosa, 8-9 lin. longa, 3 lata, staminibus quadruplo longiora, quadruplici quintuplicive serie disposita, intùs glabra purpurascentia; stamina 20-25, externa breviora; antheræ croceæ; ovaria 10-15 oblonga hirsutissima; styli breves glabrati; fructus ignotus.

10. Anemone tenuifolia.

A. foliis triternatìm sectis rigidis glabris, segmentis pinnati-partitis, lobis lineari-filiformibus acutis integris.

Atragene tenuifolia. *Lin. f. supl.* 270. *Willd. sp.* 2. *p.* 1286.
Atragene tenuis *Thunb. fl. jap.* 239. *in notâ.*
Clematis tenuifolia. *Poir. supl.* 2. *p.* 298.
Hab. ad caput Bonæ-Spei. ♃ (v. s. sp. in h. Deless.).
Folia Knowltoniæ daucifoliæ; flores Anemones capensis; folia infima ferè radicalia petiolata rigida lævia triternatìm secta, segmentis multipartitis, lobis lineari-subulatis acutis; caulis erectus subflexuosus teres villosus; involucrum trifolium, foliolis oblongis erectis apice incisis acutis villosis; pedunculi duo villosissimi, alter nudus 1-florus, alter involucro proprio sub flore instructus et etiam 1-florus; flos dimidio minor quàm in A. capensi; sepala 7-9 oblonga obtusa extùs sericea; ovaria hirtussima; styli glabri breves.

Sect. IV. ANEMONANTHEA.

CAR. Carpella ovoïdea stylo uncinata hirsutissima villosa aut subglabra. Pedicelli in involucro solitarii aut rarissimè bini umbellati, semper 1-flori nudi; sepala 5-15.

§. I. *Involucri foliis sessilibus; radicis trunco ovoïdeo tuberoso.*

11. Anemone coronaria.

A. foliis ternatìm sectis, segmentis multifidis, lobulis linearibus mucronatis, involucralibus sessilibus multifidis, sepalis 6 ovalibus approximatis.

Ανημωνη. *Hipp. morb. mul.* 1. 598. *ex Spreng. hist. r. h.* 1. *p.* 43.
Ανημωνη ημερα. *Diosc. ed. Sarr. lib.* 2. *cap.* 207. *ex Sibth. prod.* 1. *p.* 375.
A. hortensis tenuifolia simplici flore II-XIX. *Clust. hist.* 1. *p.* 255. *ic. p.* 256. *f.* 1. 2. *p.* 257. *f.* 1. 2. *p.* 258. *ic. p.* 259. *ic. p.* 260. *et pleno flore p.* 263. *ic. Debry. floril. nov. t.* 56.
A. III et IV. *Dod. pempt.* 434. *f.* 3. *et* 435. *f.* 1.
Anemone. *Cam. epit.* 386. *ic. et* 389. *ic. mal.*
A. tuberosâ radice. *Lob. ic.* 277. *f.* 1. *et fl. pleno. f.* 2. *Stap. ed. Theoph.* 705. *f.* 3.
A. tenuifolia pleno purpureo flore Caccini. *Clus. cur. post.* 52 *et* 53. *ic.*
A. tenuifolia flore purpureo violacea. *Besl. h. Eyst. vern. ord.* 1. *fol.* 17. *f.* 1. *et*
A. flore multiplici coccineo colore tenuifolia. *Besl. l. c. fol.* 18. *f.* 1. *Stap. ed. Theoph.* 706. *f.* 1.
A. tenuifolia simplici flore n. I-XXIII. *C. Bauh. pin.* 174. 175 *et*
A. flore pleno n. VIII-X. *C. Bauh. pin.* 176. *Knorr. del. A.* 4.
A. selini folio colore amaranthino. *Stap. ed. Theoph. p.* 704. *ic.*
A. columbina sive violacea. *Stap. l. c. p.* 705. *ic.*
A. tenuifolia I-XVIII. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 406. *f.* 1? 2. 3. 4. 5. *et p.* 407 *f.* 1. 2. 3. *Chabr. sciagr. p.* 462. *f.* 5? 6. *p.* 463. *f.* 1-6.

A. Italica tenuifolia purpurea foliis floris orbiculatis. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 405 *et p.* 406. *f.* 1? *Chabr. sciagr.* 462. *f.* 5 *et app.* 643. *f.* 3?
A. tenuifolia, etc. *Theatr. flor. fol.* 51. *f.* 1-5. *Moris. oxon.* 2. *p.* 425. *n.* 6. 11. 12. 13. *s.* 4. *t.* 25. *f.* 6. 11. 12. 13. *Debry. floril. nov. t.* 28.
A. purpurea. *Debry. floril. t.* 85.
A. tenuifolia cum var. *Ray. hist.* 1. *p.* 629-633.
A. tenuifolia cum varietatibus CXXIX. *Tourn. inst. p.* 277-284.
A. hortensis, etc. *Weinm. phyt.* 1. *p.* 50. 51. *t.* 119. (*excl. litt.* A.) 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128.
A. coronaria. *Lin! sp.* 760. *Mill. dict. n.* 5. *Hill. anat.* 12. *Lam! dict.* 1. *p.* 165. * *Illustr. t.* 496. *f.* 1. *Bot. Mag. t.* 841. *Fl. fr! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 882. * *Smith. fl. græc. t.* 514. *ex prod.* 1. *p.* 375. *Savi. bot. etr.* 2. *p.* 121. *Mason. cat. ic.*
Pulsatilla foliis decompositis ternatis. *Sauv. Meth.* 181 *et* 254.
A. tenuifolia multiplex mutata florum facie quotannis nova. *Mill. ic. p.* 21. *t.* 31.
A. œnanthe. *Ucria in Ræm. arch.* 1. *A. p.* 69.
A. hortensis latifolia. *Edw. brit. herb. t.* 11.
Hab. in pascuis subhumidis Galliæ australis, Monspelii, Galloprovinciæ, Italiæ, Niceæ, Romæ, etc. Græciæ (Sibt), Archipelagi, Orientis, Aleppi (Russ.) in Troade ad Ajacis tumulum *E. D. Clarke*, etc. ♃ (v. v. sp.).
In hortis ornamenti gratia vulgatissima. Variat foliis tenuiùs latiùsve dissectis; flore purpureo cærulescente violaceo lilacino flavido aut albo aut variegato, simplici pleno aut multiplici, sepalis ovalibus orbiculatisve, etc. confer Weinmanni icones citatas.

12. Anemone pusilla.

A. foliis ternatim sectis, segmentis multifidis, lobulis linearibus mucronatis, involucralibus sessilibus apice incisis, sepalis 6 oblongis distantibus.

Hab. in insulâ Cypri. *Labillardière.* ♃ (v. s. sp. in h. Desf.).
Nimis affinis A. coronariæ et forsan varietas. Radix tuberosa avellanæ magnitudine; folia glabra radicalia petiolata trisecta, segmentis pinnatim partitis, lobis tenuiter incisis in lobulos lineares acutos; scapi erecti digitales pubescentes graciles; involucrum è tribus foliis apice incisis acutè dentatis; pedicellus nunc involucro æqualis, nunc duplò triplòve longior; flos erectus pallidè purpurascens; sepala 6 (aut rariùs 4-5) oblonga subobtusa distantia basi attenuata patentia staminibus quadruplò circiter longiora; carpella lanata aggregata in capitulum ovali-oblongum.

13. Anemone pavonina.

A. foliis tripartitis, lobis cuneatis inciso-dentatis, involucralibus sessilibus oblongis integris subincisisve, sepalis 10-12 lanceolatis acutissimis.

A. hortensis latifolia pleno flore. *Clus. hist.* 1. *p.* 261. *ic. p.* 262. *f.* 1. 2. *Ray. hist.* 1. *p.* 629.

A. maxima polyanthos Chalcedonica. *Lob. ic. t.* 278. *Debry. floril. nov. t.* 29.
A. latifolia flore coccineo plena. *Besl. h. Eyst. vern. ord.* 1. *fol.* 17. *f.* 2. *et*
A. hortensis flore pleno coccineo variegata latifolia. *Besl. l. c. fol.* 18. *f.* 2. *Moris. oxon.* 2. *p.* 426. *n.* 8 *et* 9.
A. chalcedonica variet. IV. *Theatr. fl. fol.* 48. *f.* 1-4. *fol.* 49. *f.* 1-4.
A. flore pleno n. I-VI. *C. Bauh. pin.* 176.
A. latifolia flore pleno. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 404. *f.* 4 *et p.* 405. *f.* 1. *Chabr. sciagr.* 462. *f.* 2. 3.
A. latifolia chalcedonica polyanthos. *Moris. oxon. s.* 4. *t.* 25. *f.* 10.
A. hortensis latifolia pavo major. *Debry. floril. nov. t.* 56 *et* 111.
A. stellata geranii aut aconiti folio duplicato flore purpureo. *Cup. panphyt. sic. t.* 22.
A. latifolia pavo dicta. *Tourn. inst.* 275. *cum var.* 5.
A. pavonina. *Lam! dict.* 1. *p.* 166. * *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 263. * *Lois. not. p.* 87. *DC! fl. fr.* 5. *p.* 634. *
A. hortensis. *Thor! land,* 238.
Hab. in vineis Vasconiæ prope aquas-Tarbellicas (Dax.) *Thore.* In Gallo-provinciâ circa Olbias (Ziz) Nicæam *Risso* et verisimiliter in Oriente. ♃ fl. vere (v. s. sp. et v. c.).
Rarò flore simplici donata observatur; varietas flore pleno in hortis sub nominibus *A. œil de paon*, *Candiote*, *A. de Crète* sat vulgata. Hanc ex synonymiâ ad sequentem retulit Linnæus, sed in ejus herbario inter A. coronariæ varietates reperi; ab utrâque sepalis acutissimis facilè distinguitur.

14. Anemone stellata.

A. foliis tripartitis, lobis cuneatis inciso-dentatis, involucralibus sessilibus oblongis integris subincisisve, sepalis 10-12 oblongis obtusiusculis.

Ανημωνη αγρια. *Diosc. ed. sarr. lib.* 2. *cap.* 207. *ex Sibth. prod.* 1. *p.* 375.
A. hortensis latifolia simplici flore III-XVIII, *Clus. hist.* 1. *p.* 249. *f.* 2. *p.* 250. *ic. p.* 251. *p.* 252. *p.* 253. *f.* 1. 2. *et p.* 254. *f.* 1. *cur. post. p.* 50.
A. prima. *Dod. pempt.* 434. *f.* 1.
A. secunda. *Cam. epit.* 387. *ic.*
A. tuberosa bulbocastani radice. *Lob. ic.* 279. *f.* 1.
A. latifolia purpureo-rubescens simplex. *Besl. h. Eyst. vern. ord.* 1. *fol.* 17. *f.* 3. *et*
A. simplex stellata dilutè purpurascens. *Besl. l. c. fol.* 18. *f.* 3.
A. latifolia duplicata serie. *Theatr. flor. fol.* 50. *f.* 1 *et* 3. *et forsan f.* 4.
A. pavo major. *Theatr. flor.* 50. *f.* 2.
A. latifolia simplici flore II-XVIII. *C. Bauh. pin.* 173. 174. *Ray. hist.* 1. *p.* 628. *n.* 1-14.
A. geranii rotundo folio plena. *C. Bauh. pin.* 176. *n. XI.*
A. latifolia purpurea stellata, sive papaveracea. *Park. par.* 204.
A. Italica latiusculis spinosis foliis tertia Clusii. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 402. *f.* 2. *Ray. hist.* 1. *p.* 626.
A. latifolia, etc. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 402. *p.* 403. *p.* 404. *f.* 1-3. *Chabr. sciagr. p.* 461. *f.* 4-6. *et p.* 466. *f.* 1.
A. stellata purpurea. *Chabr. sciagr.* 461. *f.* 3.
A. latifolia. *Debry. floril. nov. t.* 29.

A. flore miniato et purpureo. *Debry. floril. nov. t.* 30.
A. pavota latifolia multiplex. *Debry. floril. nov. t.* 32.
A. latifolia cum var. 14. *Tourn. inst. p.* 276 *et* 277.
A. geranii rotundo folio flore simplici et pleno. *Tourn. inst.* 276 *et* 282. *Moris. oxon.* 2. *p.* 425. *n.* 4. 5. *s.* 4. *t.* 25. *f.* 4. 5.
A. hortensis. *Lin! sp.* 761. *Curt. bot. mag. t.* 123. *Fl. fr! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 882. *Gmel. fl. bad. n.* 815. * *Smith. et Sibth. fl. græc. t.* 515. *ex prod.* 1. *p.* 375.
A. seminibus lanatis, foliis radicalibus trilobis et multifidis, caulinis ovato-lanceolatis. *Hall. helv. n.* 1152. *
A. stellata. *Lam! dict.* 1. *p.* 166. * *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 363. *DC! fl. fr.* 5. *p.* 634. *Savi. bot. etr.* 2. *p.* 122.
A. versicolor. *Salisb. prod.* 371
Hab. in sepibus et dumetis Germaniæ prope Moguntiam (Clus.); Galliæ prope Arelatem, Telonem, etc. Helvetiæ circa Roche, Moutru (Hall.); et Cossonay, *H. Deless.*; Italiæ in agro Niceænsi, Etrusco (Sar.); Romano (Sm.); Orientis, *Olivier,* Troadis (Clark). ♃ (v. s. sp. et v. c.) Fl. hyeme, vere.
Variat, 1°. sepalis angustis oblongis, aut latis ovalibus sed semper obtusis; 2°. flore purpurascente, aut roseo, aut albido nunquam verò luteo. Rariùs in hortis colitur et sæpiùs flore simplici donatur quàm A. pavonina quâcum diù fuit confusa.

15. Anemone palmata.

A. foliis cordatis suborbiculatis obtusè 3-5-lobis dentatis, involucralibus sessilibus trifidis, sepalis 10-12 oblongis obtusis.

A. hortensis latifolia simplici flore flavo. *Clus. hist.* 1. *p.* 248. *f.* 2. *Ray. hist.* 626.
A. latifolia Clusii. *Dalech. lugd.* 846. *f.* 2. *sine flore. Tab. ic.* 26. *sine flore. Lob. ic.* 279. *f.* 2.
A. cyclaminis, seu malvæ folio lutea. *C. Bauh. pin.* 173. *Ray. hist.* 1. *p.* 626. *Moris. oxon.* 2. *p.* 425. *s.* 4. *t.* 25. *f.* 3. *Tourn! inst.* 275.
A. latifolia flore flavo Clusii. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 401. *f.* 1. *sine flore.*
A. herba venti. *Chabr. sciagr.* 461. *f.* 1.
A. latifolia flava prima Clusii. *Barr. ic. t.* 792.
Pulsatilla foliis palmatis. *Lin. hort. cliff.* 224.
A. palmata. *Lin! sp.* 758. *Lam! dict.* 1. *p.* 165. *Vahl. symb.* 3. *p.* 73. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1277. *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 432. * *Andr. bot. rep. t.* 172. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 361. * *DC! fl. fr.* 5. *p.* 635. *
Oriba. *Adans. fam.* 459.
β? Flore pleno.
A. hortensis latifolia flore duplo flavo. *Clus. hist.* 1. *p.* 249. *f.* 1. *Ray. hist.* 1. *p.* 626.
A. hortensis latifolia flore flavo duplicato. *Besl. Eyst. vern. ord.* 1. *fol.* 18. *f.* 4.
A. Lusitanica flore luteo duplici serie. *Theatr. flor. fol.* 50. *f.* 3.
A. latifolia flava. *C. Bauh. pin.* 176. *Tourn. inst.* 275.
A. latifolia duplo flore flavo 2 Clusii. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 402. *f.* 1. *Chabr. sciagr.* 461. *f.* 2.
Hab. in locis humidis et incultis Algeriæ, *Desf.* Lusitaniæ ad Tagum

(Clus.), in collibus et ad aggeres Conimbræ, Olyssiponæ, Estramaduræ et Beiræ (Brot.); in Hispaniâ prope Madritum et Valentiam (Cav.); in Galloprovinciâ prope Olbiam, *Sibth.* ♃ Fl. primo vere (v. s. sp.).

Variat involucro unifloro et rarissimè bifloro. Ab A. stellata primo intuitu differt ob florem flavum. Var. β, quam non videre mihi contigit, solo colore floris flavo ad hanc speciem adnumeratur; cæterum omninò refert A. stellatam. — Ab eâ non differt ex herb. Vaill. A. seu ranunculus aquilegiæ crasso folio flore chelidonii minoris. *Bocc. ined.*

16. Anemone decapetala.

A. foliis tripartitis, lobis grossè dentatis aut subincisis, involucralibus sessilibus bis trifidis, lobis linearibus, sepalis 10-12 oblongis obtusis.

A. foliis ternatis foliolis trilobis punctatis, pedunculo simplici, flore unico decapetalo. *Ard. specim.* 2. *p.* 27. *t.* 12.

A. decapetala. *Lin! mant.* 79.* *Lam. dict.* 1. *p.* 167. *Willd. sp.* 2. *p.* 1279.

A. trilobata. *Juss! ann. mus.* 3. *p.* 247. *t.* 21. *f.* 3.* *Pers! ench.* 2. *p.* 97. *excl. patr.*

A. macrorhiza. *Domb! herb.*

Hab. in Brasiliâ, *Ard.*; circa Monte-Video, *Comm.*; in Peruviâ, *Domb. Leubaz*; in regni Chilensis sylvis, *Née. Domb.* ♃ (v. s. sp.). Fl. maio.

Radix tuberculata ovoïdea avellanæ vix magnitudine, nigricans et fibrillas agens; folia radicalia petiolata, ad petiolum usque palmatim tripartita, lobis apice dentatis, aut lateralibus subincisis; scapus nudus vix digiti longitudine; involucri foliola sessilia 3 multifida; flos solitarius 10-12-sepalus albus extùs cærulescens; pedunculus et floris superficies externa villis adpressis sericea.

17. Anemone parviflora.

A. foliis tripartitis, lobis cuneatis apice truncato-crenatis, involucralibus sessilibus tripartitis, lobis apice subdentatis, sepalis 6 ovali-oblongis.

A. parviflora. *Michx! fl. bor. amer.* 1. *p.* 319.

A. cuneifolia. *Juss! ann. mus.* 3. *p.* 248. *t.* 21. *f.* 1. * *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 386.

A. tenella. *Banks! herb.*

Hab. in Americâ septentr. ad amnes in sinum Hudsonis defluentes. *Michx.* in Labrador *Pursh.* et New-Foundland *H. Banks.* ♃ (v. s. sp. in H. Juss. Desf. Mich. Banks, etc.).

Affinis A. decapetalæ et palmatæ: folia radicalia petiolata glabra lævia tripartita, lobis cuneatis apice truncato-crenatis; scapus nudus, interdùm ferè pedalis, interdùm 3-6 poll. longus; involucri folia 3, tripartita, lobis oblongis apice subdentatis; pedunculus longissimus; flos parvus, sepalis 6 ovali-oblongis subacutis extùs adpressè villosis, stamina duplò superantibus; fructus lanati acuminati in capitulum globosum aggregati.

18. Anemone Caroliniana.

A. foliis ternatìm partitis, lobis tripartitis incisisve acutè dentatis, involucralibus trifidis, lobis incisis, sepalis 10-12 linearibus.

Ranunculus anemones tertiæ Mathioli folio flore parvo obsoleto Caroliniensis. *Pluk. alm.* 310?

A. Caroliniana. *Walt. fl. car.* 157. *Poir. supl.* 364.

A. tenella. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 386.

Hab. in Carolinâ (Walt.) et ad ripas Missouri. *Pursh.* ♃ (v. s. sp. in H. Lamb.) fl. maio.

Radix parva tuberosa; herba tenera delicatula; folia radicalia sæpè alia tripartita lobis dentatis, alia tripartita lobis partitis incisis acutè dentatis; scapus uniflorus; involucrum trifolium, laciniis incisis; flos longè pedicellatus; sepala 10-12 linearia parva subpurpurea extùs pubescentia, fructus lanati mucronati.

19. Anemone triternata.

A. foliis petiolo ramoso triternatìm sectis, segmentis tridentatis, involucralibus sessilibus in lobos setaceos multifidis, sepalis 10-12 oblongis obtusis.

Anemone. *Lam! illustr. t.* 496. *f.* 3.

A. triternata. *Vahl. symb.* 3. *p.* 74. *t.* 65. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1280.

A. fumariæfolia. *Juss! ann. mus.* 3. *p.* 247. *t.* 20. *f.* 2. * *Poir! supl.* 1. *p.* 363.

Hab. in Brasiliâ circa Monte-Video ad ostium fluminis Plata. *Commerson* et in Peruviâ *Leubaz.* ♃ (v. s. sp.) fl. novemb.

Radix et habitus A. decapetalæ; folia radicalia glabra petiolata triternatìm decomposita, lobis petiolulatis parvulis tridentatis aut trilobis crassiusculis; involucri folia in lobos lineares setaceos plurimos secta; sepala 10-12 lineari-oblonga; fructus lanati in capitulum oblongum digesti.

20. Anemone biflora.

A. foliis ternatìm sectis, segmentis partitis in lobos lineares obtusos subincisos, involucralibus sessilibus multipartitis, pedicellis geminis, altero involucellato.

α. *Bifoliolata.* Involucro involucelloque bifoliolatis.

β. *Trifoliolata.* Involucro trifoliolato.

Hab. in Oriente. *Michaux.* ♃ (v. s. sp. in H. Deless.).

Var. α. Radix tuber oblongum supernè attenuatum subtùs fibrillosum; folia glabra radicalia longè petiolata trisecta, segmentis partitis in lobos subincisos lineares obtusos crassiusculos; scapus teres petiolorum longitudine, nempè circiter 4-pollicaris; involucrum bifolium foliolis sessilibus multipartitis et radicalia æmulantibus; pedicelli duo uniflori adpressè pubescentes, unus nudus, alter prope basin involucellum bifolium inferiori simile gerens; flores subcernui flavi 5-sepali; sepala ovali-oblonga obtusa extùs pubescentia paulò majora

quàm in A. ranunculoide; stamina pauca in flore bi-involucrato, plurima in flore uni-involucrato; ovaria multa in primo, pauca in secundo.
Var. ß. Petioli et scapi multò breviores; flores longiùs pedicellati ex albido subpurpurascentes; involucrum generale trifolium; sepala priori paulò magis villosa et obtusiora; carpella lanata ut in A. Baldensi. An species propria?

§. II. *Involucri foliolis petiolatis; radicis trunco ovoideo tuberoso.*

21. Anemone Apennina.

A. foliis petiolo ramoso triternatìm sectis, segmentis lanceolatis inciso-dentatis acutis, involucralibus petiolatis trisectis inciso-dentatis, sepalis 12-14 oblongis obtusis.

A. hortensis tenuifolia, simplici flore 1. *Clus. hist.* 1. *p.* 254. *f.* 2.
A. II. *Dod. pempt.* 434 *f.* 2.
A. II Dodonæi. *Dalech. lugd.* 845. *f.* 2.
A. tuberosa geranii folio. *Lob. ic.* 280. *f.* 1.
A. geranii folio flore cæruleo. *Debry. floril. nov. t.* 28.
A. geranii robertiani folio cærulea. *C. Bauh. pin.* 174. *Moris. hist.* 2. *p.* 426. *n.* 7. *s.* 4. *t.* 25. *f.* 7. *Tourn. inst.* 277.
Ranunculus nemorosus flore purpureo cæruleo. *Park. theat.* 325. *Ray. angl.* 3. *p.* 259.
A. geraniifolia. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 405. *f.* 2. *Chabr. sciagr.* 452. *f.* 4. *Ray. hist.* 625.
Ranunculus flore intensè cæruleo instar cichorii duplex, foliis majoribus et minoribus. *Ray. hist.* 625.
Ranunculus rupertianus tuberosâ radice flore cæruleo. *Pluk. alm.* 310.
Ranunculus nemorosus flore cæruleo duplex Apennini montis. *Mentz. pug. t.* 8. *f.* 2. *Tourn. inst.* 285.
A. Apennina. *Lin ! sp.* 762. *Huds. angl.* 237. *Mill. dict. n.* 3. *With. brit.* 500. *Lam ! dict.* 1. *p.* 168. * *Curt. lond.* 6. *t.* 35. *Willd. sp.* 2. *p.* 1282. *Smith ! fl. græc.* 581. * *Engl. Bot. t.* 1062. *Savi. Bot. etr.* 2. *p.* 123.
ß. Ranunculus nemorosus, etc., flore albo. *Tourn. cor.* 20.
Hab. in umbrosis submontanis Angliæ? (Ray) Belgii prope Bruxellas, *H. Juss.*, Galloprovinciæ? (Lois.) Apenninorum Romanorum (Mentz), Etruscorum (Sav.), Neapoli, *H. Desf.*, in Peloponesii montibus (Sibth.), in Caucaso, *Bieb.*, et ad ripas Simoïs, *Clarke.* ♃ (v. s. sp.).
Radix tuberosa nigra avellanæ magnitudine; folia adpressè subpubescentia, radicalia, longè petiolata, trisecta, segmentis subsessilibus multifidis, lobis inciso-dentatis; scapus glaber; involucri foliola petiolata trisecta, segmentis folia radicalia æmulantibus sed minoribus; pedicellus villosus 1-florus; flos erectus lætè cæruleus; sepala 12-15, oblonga, obtusa, staminibus quadruplò longiora. — Variat sepalorum numero, et colore sæpiùs cæruleo, interdùm juxta Tournefortium albo, in var. ß Cappadocicâ. — Specimen è Caucaso a Willdenowio, inscriptum erat *A. Caucasina*, sp. nov. sed nullum discrimen à verâ A. Apenninâ mihi obvium. — Specimen ad ripas Simoïs à Cl. D. E. Clarke lectum, à nostris differt involucralibus foliis ferè sessilibus.

22. Anemone cærulea.

A. foliis. . . . . involucralibus breviter petiolatis trisectis, segmentis inciso-dentatis, sepalis 4-5 ovalibus.

Hab. in Sibiriâ circa Zmeof, *Patrin.* 4 (v. s. sp. in H. Deless.), fl. primo vere.

Radix et folia radicalia ignota; scapus erectus nudus, glaber 4-5 poll. longus; involucri folia 3 petiolata subtùs et in margine pubescentia trisecta; segmentis oblongis angustis acutis, utrinquè dentibus 3-5 acutis profundis; pedunculus 1-florus villosus, involucro multò brevior; flos cæruleus, parvus, 5-6 lin. diametro; sepala 4-5, ovalia subrotunda, obtusissima, patentia, subtùs adpressè pubescentia. An A. Apenninæ, an A. nemorosæ affinis? ab utrâque distincta!

§. III. *Involucri foliolis petiolatis; radicis trunco cylindraceo tenui elongato.*

23. Anemone Baldensis.

A. foliis petiolo ramoso biternatìm sectis, segmentis multipartitis, lobis linearibus, involucralibus breviter petiolatis multifidis, sepalis 8-10 oblongo-subovalibus.

A. alpina alba minor. *C. Bauh. prod.* 94. *pin.* 176. *Ray. hist.* 1. *p.* 627.
A. baldensis. *Lin. mant.* 78. *All! ped. n.* 1928. *t.* 44. *f.* 3. *et t.* 67. *f.* 2. * *Vill! dauph.* 3. *p.* 723. *t.* 49 * *Willd. sp.* 2. *p.* 1278. *DC! fl. fr.* 3. *p.* 882. * *Sturm. Deutschl. fl. ic. non Lam.*
A. seminibus lanatis, foliis caulinis ternatis triplicato-trifidis, lobulis lanceolatis acutè trifidis, bifidisve. *Hall. helv. n.* 1151. *
A. Alpina. *Scop. Carn. ed.* 2. *n.* 662. *t.* 26. * *non Lin.*
A fragifera. *Murr. syst.* 510. *Jacq! ic. rar.* 1. *t.* 103. *Misc.* 2. *p.* 55. *
Hab. in asperis editis montis Baldi (Calc.), Alpium Austriæ, Tyrolis, Carnioliæ, Helvetiæ, Pedemontii, Delphinatûs, Galloprovinciæ. 4. fl. æstate (v. v. sp.).

Radicis truncus elongatus obliquus vix ac nevix fibrillosus; scapus erectus aut ascendens uniflorus, pedicello foliisque radicalibus brevior; pedicellus involucro foliisque duplò longior; sepala 8-10, oblonga seu ferè ovalia, alba, extùs adpressè pubentia et subrubentia.

24. Anemone nemorosa.

A. foliis ternatìm sectis, segmentis trifidis inciso-dentatis lanceolatis acutis, involucralibus petiolatis comformibus, sepalis 6 ellipticis.

Ανημωνη λειμωνια. *Theophr. hist. lib.* 6. *c.* 7; *lib.* 7. *c.* 8. *ex Spreng. hist. r. h.* 1. *p.* 94.
Ανημωνη μηλαινα. *Dioscˀ ex Sibth. prod.* 1. *p.* 375.
Sanicula minor quorumdam. *Brunf. herb.* 2. *p.* 82. *ic.*
Ranunculus candidus. *Trag. stirp.* 95. *ic.*

Ranunculi IV, species lactea. *Fuchs. hist.* 161. *ic.*
Ranunculi quarta species. *Cord. adn.* 120.
Weiss Waldhonle. *Lonic. simpl.* 163. *n.* 6. *ic.*
Ranunculus sylvarum. *Clus. hist.* 247. *f.* 1. *et f.* 2. *fl. pleno. p.* 248. *f.* 1. *fl. pleno purpurasc. Moris. oxon.* 2. *s.* 4. *t.* 28. *f.* 10.
Anemone V. *Dod. pempt.* 435. *f.* 2.
Ranunculus IV Fuchsii. *Dalech. lugd.* 1030. *f.* 2.
A. V et VI Dodonæi. *Dalech. lugd.* 847. *f.* 1.
Ranunculus nemorosus albus. *Tab. ic.* 108. *et*
Ranunculus nemorosus purpureus et ex rubro purpureus. *Tab. ic.* 45 *et* 46.
Nemorosus ranunculus. *Lob. ic. t.* 673. *f.* 2.
A. nemorum alba. *J. Ger. em.* 383. *Ray. hist.* 624.
Ranunculus sylvarum flore albo et pleno. *Besl. h. Eyst. vern. ord.* 1. *t.* 2. *f.* 5.
A. nemorosa flore majore. *C. Bauh. pin.* 176 *et* 177. *n.* V.—XI.
Ranunculus phragmites albus et purpureus vernus. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 412. *f.* 2. *et* 413. *f.* 1. *fl. pleno.*
Ranunculus nemorosus flore pleno albo et violaceo. *Moris. præl.* 298 *et* 299.
Ranunculus nemorosus, flore majore. *Moris. oxon.* 2. *p.* 437. *s.* 4. *t.* 28. *f.* 10.
Ranunculus. *Chab. sciagr.* 465. *f.* 1.
Ranunculus sylvarum, flore pleno purpurascente. *Debry. floril. nov. t.* 56. et
Ranunculus nemorosus flore carneo multiplici. *Debry. floril. nov. t.* 29.
Ranunculus phragmites et nemorosus. *Tourn! inst. p.* 285. *n.* 3-8.
Anemonoides, flore majore. *Dill. giess.* 39.
Anemonoides nemorosa verna alba, purpurea, ex rubro purpurea. *Vaill. bot.* 12.
A. nemorosa. *Lin! sp.* 762. *Fl. dan. t.* 549. *Neck. gallob.* 235. *Poll. pal. n.* 519. * *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 660. *Gmel. sib.* 4. *p.* 198. *n.* 38. *Lam! dict.* 1. *p.* 168. * *Fl. fr! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 884. * *Gmel. fl. bad. n.* 817. * *Smith! engl. bot. t.* 355. *Schkuhr. handb. t.* 150. *Boiss. fl. eur.* 3. *t.* 375. *Drev. et Hayn. pl. eur. t.* 2. * *Palmstr. sv. bot. t.* 3. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 362. * *Spreng. geh. d. befr. t.* 25. *f.* 1. *Savi bot. etr.* 1. *p.* 156. *Sturm. deutsch. fl. ic.*
A. nemorosa, alba. *Crantz. austr.* 2. *p.* 101.
A. seminibus nudis caule unifloro foliis caulinis 5-partitis lobis tripartitis incisis. *Hall. helv. n.* 1154.
A. nemorosa, flore majore (roseo sublilacino). *Edw. brit. herb. p.* 47. *t.* 93.

β. Quinquefolia, foliis subquinquepartitis.

Ranunculus nemorum fragariæ foliis Virginiana. *Pluk. alm.* 310. *t.* 106. *f.* 3.
A. quinquefolia. *Lin. sp.* 762. *Willd. sp.* 2. *p.* 1181.
A. nemorosa var. *Michx. fl. bor. am.* 1. *p.* 319. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 386.

Hab. vulgaris in nemoribus dumetis sepibus collibus umbrosis *α* Europæ, Sibiriæ, montis Parnassi (Sibth.), et Caucasi (Bieb.), *β* Americæ borealis et Sibiriæ. ♃ fl. primo vere (v. v. sp. var. *α* et s. sp. var. *β*.).
Variat, 1°. florum colore vulgò albo, interdùm roseo, lilacino, purpureo aut cæruleo, nunquàm verò luteo; 2°. floribus simplicibus aut plenis, triplici modo nempè staminibus, pistillisve aut utribusque in petala

mutatis; 3°. sepalis in folia caulinis similia mutatis; 4°. foliis involucralibus in tria aut quinque segmenta partitis. — Var. flore cæruleo evidenter differt ab. A. Apenninâ radice elongatâ nec tuberosâ, sepalis 6 ellipticis nec 12-15 lineari-oblongis. — Var. β seu Americana, nullo modo ab Europæâ differt; hujus foliorum lobi laterales sunt sæpè profundè bipartiti, quod etiam in Europæanis speciminibus observatur.

25. Anemone isopyroïdes.

A. foliis petiolo ramoso biternatìm sectis, segmentis inciso-tridentatis subcuneatis, involucralibus petiolatis ternatìm sectis, segmentis lateralibus bifidis, sepalis 5 oblongis.

A. isopyroides. *Juss! ann. mus.* 3. *p.* 249. *t.* 20. *f.* 3. * *Pers! ench.* 2. *p.* 97. *Poir! supl.* 1. *p.* 364.

Hab. . . . . ♃ (v. s. in h. Juss.).

Valdè similis A. nemorosæ; radix horizontalis; folia radicalia, longè petiolata; petiolo apice trifido, petiolulis segmenta tria subcuneata, incisa aut dentata gerentibus; involucri folia petiolata, tripartita, partitionibus lateralibus, bifidis, undè quasi 5-partita videntur; flores 1-2 in involucro; sepala oblonga angusta elongata.

26. Anemone lancifolia.

A. foliis omnibus petiolatis ternatìm sectis, segmentis lanceolatis crenato-dentatis, sepalis 5 ovatis acutis.

A. lancifolia. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 386.

Hab. in montibus excelsis Pensylvaniæ et Virginiæ. *Pursh.* ♃ fl. maio-jul. (v. s. sp. in h. Lamb.).

Similis A. nemorosæ et præsertìm A. trifoliæ; ab A. trifoliâ vix ac nevix differre videtur foliorum segmentis lanceolatis nec ovato-lanceolatis, crenato-dentatis nec verè dentatis; floribus paulò majoribus; sepalis semper 5 magis acutis; fructus ovati, stylo brevi uncinati.

27. Anemone trifolia.

A. foliis omnibus petiolatis ternatìm sectis, segmentis ovato-lanceolatis acutis dentatis, sepalis 5 ellipticis obtusis.

A. trifolia. *Dod. pempt.* 436. *Moris. oxon.* 2. *p.* 424. *s.* 4. *t.* 25. *f.* 1.

A. trifolia Dodonæi. *Dalech. lugd.* 847. *f.* 2.

Alabastrites sive dentaria alba D. Brancionis. *Lob. ic.* 281. *f.* 1.

A. trifolia, flore albo. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 412. *f.* 1. *Chabr. sciagr.* 464. *f.* 3.

Ranunculus anemone nemorosæ affinis trifoliatus, etc. *Pluk. mant.* 158.

A. trifolia, foliis integris. *Mentz. pug.* 2.

Ranunculus nemorosus, trifolius. *Tourn! inst.* 285.

Anemonoides nemorosa, trifolia. *Vaill. bot.* 12.

A. trifolia. *Lin! sp.* 762. *Gmel. sib.* 4. *p.* 199. *n.* 39. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 659. *Lam! dict.* 1. *p.* 168. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1281. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 884. * *et* 5. *p.* 635. *Sturm. deutschl. fl. ic. Savi bot. etr.* 2. *p.* 122.

Hab. in nemorosis submontosis Galliæ circa Andegavum *Bast.*, et Parisios (Vaill.), Pedemontii *Balb.*, Hetruriæ *Bert. Sav.*, Carnioliæ *Scop.*, Carinthiæ *Hop.*, et in betuletis Sibiriæ ad Tomum (Gm.). ♃ (v. s. sp.) fl. vere.

Radix horizontalis alba fere dentariæ; folia radicalia petiolata trisecta, petiolo ad basin sanguineo (Sc.), segmentis ovatis acutis dentatis; involucralia similia sed breviùs petiolata; scapus uniflorus; flos albus 5-6-sepalus erectus, A. nemorosæ similis; ovaria 20-25 villo albo pubescentia; stam. sæpè ultra 100.

28. Anemone minima.

A. foliis . . . . . involucralibus petiolatis tripartitis, lobis ovatis acuminatis extùs et ad apicem serratis, sepalis 5 ovali-oblongis obtusis.

Hab. in Virginiâ ad montes Alleghanis. *Palisot de Beauvois.* ♃ (v. s. sp. in H. Beauv.).

Omnium tenerrima, A. trifoliæ affinis sed triplò minor; radix horizontalis teres longa gracilis fibrillas paucas agens; folia radicalia in speciminibus mihi obviis nulla; scapus teres gracilis digitalis glaber; involucri foliola petiolata tripartita, partitionibus adpressè pubescentibus ovatis acuminatis, lateralibus extùs serrato-dentatis, medio utrinque ad apicem serrato; pedicellus erectus, 1-florus, adpressè pubescens, involucri longitudine; flos albus parvus 5-sepalus, sepalis oblongis obtusis glabris, 4 lin. longis, 2 latis; stam. sepalis dimidio breviora; ovaria pauca pubescentia.

29. Anemone ranunculoïdes.

A. foliis radicalibus 3-5-sectis, segmentis subtrifidis incisodentatis, involucralibus subpetiolatis tripartitis incisodentatis, sepalis 5-6 ellipticis.

Ranunculus sylvestris luteus. *Trag. stirp.* 95.
Ranunculi IV species lutea. *Fuchs. hist.* 162. *ic.*
Ranunculi III species. *Cord. adn.* 120. *f.* 1.
Gelbs Waldhenle. *Lonic. simpl.* 163. *n.* 7. *ic.*
Ranunculus IV Fuchsii luteus. *Dalech. lugd.* 1030. *f.* 3.
Ranunculus nemorosus albus (*lege* luteus) *Tab. ic. p.* 108. *benè.*
Nemorosus ranunculus luteus. *Lob. ic.* 674. *f.* 1.
A. nemorum lutea. *Ger. herb.* 383. *Ray hist.* 625.
Ranunculus nemorosus flore luteo et pleno. *Besl. h. Eyst. vern. ord.* 1. *t.* 3. *f.* 1 *et* 2.
Ranunculus nemorosus luteus. *C. Bauh. pin.* 178. *Moris. oxon.* 2. *p.* 437. *s.* 4. *t.* 28. *f.* 11. *Tourn. inst.* 285.
Ranunculus phragmites luteus nemorosus. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 413. *ic. Chabr. sciagr.* 465. *f.* 2.
Ranunculus nemorosus foliis minoribus eleganter incisis flore luteo simplici. *Pluk. alm.* 310. *Tourn. inst.* 285.
Anemone-ranunculus flore luteo. *Dill. giess.* 39.
Anemonoides nemorosa lutea. *Vaill. bot.* 12.

A. ranunculoides. *Lin ! sp.* 762. *Fl. Dan. t.* 140. *Gmel. sib.* 4. *p.* 199. *n.* 40. *Poll. pal. n.* 520. * *Lam ! dict.* 1. *p.* 169. *Fl. fr ! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 885. * *Smith ! brit.* 582. * *Engl. bot. t.* 1484. *Gmel. fl. bad. n.* 818. * *Savi bot. etr.* 2. *p.* 123.

A. nemorosa lutea. *Crantz. austr.* 2. *p.* 101.

A. biflora seminibus nudis foliis caulinis 5-partitis lobis 3-partitis incisis. *Hall. helv. n.* 1153. *

A. lutea. *Lam ! fl. fr.* 3 *p.* 318.

Hab. vulgaris in Europæ borealis et mediæ necnon in Sibiriæ pratis montosis sepibus et nemorosis. ♃ (v. v. sp.) fl. vere.

Variat. 1°. floribus sæpiùs in involucro solitariis, interdùm binis pedicellatis altero interdùm masculo ; 2°. sepalis 5 aut rariùs 6 ; 3°. floribus simplicibus aut plenis ; 4°. floribus sæpissimè luteis aut juxta cl. Bergeret et Lapeyrouse in var. Pyrenaicâ violaceis ; 5°. involucri lobis sæpiùs inciso-dentatis, rariùs subintegris.

30. Anemone reflexa.

A. foliis ternatìm sectis, segmentis subtrifidis apice dentatis, involucralibus petiolatis conformibus, sepalis 5-6 linearibus obtusis reflexis.

A. reflexa. *Steph. in Willd. sp* 2. *p.* 1282. *

Hab. in Sibiriâ. ♃ (v. s. sp. in h. Deless.).

Scapus glaber apice subpubescens filiformis palmam ferè longus ; involucri folia petiolata trisecta, petiolis pilosiusculis, segmentis glabris oblongis utrinque attenuatis acuminatis incisis dentatis ; pedunculi per anthesin involucro breviores, erecti, solitarii, pilosiusculi ; flos triplò minor quàm in A. ranunculoide ; sepala linearia obtusiuscula reflexa ; stamina erecta innumera sepalis breviora.

§. IV. *Involucri foliolis petiolatis, radicibus fibroso-fasciculatis.*

31. Anemone sylvestris.

A. foliis ternatìm quinatìmve sectis, segmentis apice inciso-dentatis, involucralibus petiolatis conformibus, pedicello solitario, sepalis 6 ellipticis, fructibus hirsutissimis.

A. tertia. *Math. comm.* 461. *f.* 1. *Dalech. Lugd.* 843. *f.* 2. *Lob. ic. t.* 280. *f.* 2. *Cam. epit.* 388. *ic ?*

A. sylvestris I. *Clus. Hist.* 1. *p.* 244. *f.* 1. *Debry. floril. nov. t.* 56.

A. quarta. *Dod. pempt.* 434 *f.* 4.

A. sylvestris flore albo. *Besl. h. Eyst. vern. ord.* 1. *t.* 13. *f.* 3. *Weinm. phyt.* 1. *p.* 49. *t.* 118.

A. sylvestris alba major. *C. Bauh. pin.* 176. *Ray. hist.* 1. *p.* 627. *Moris. oxon.* 2. *p.* 425. *s.* 4. *t.* 25. *f.* 2.

A. alba magna plurimâ parte anni florens. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 411. *ic.*

A. alba magna. *Chabr. sciagr.* 464. *f.* 2.

A. seminibus seta plumosa terminatis. *Lin. h. cliff.* 224.

A. seminibus hirsutis. *Lin. it. æl.* 112. *fl. suec.* 449. 484.

A. sylvestris. *Lin! sp.* 761. *Mill. dict. n.* 1. *Gmel. sib.* 4. *p.* 196. *n.* 36. *Crantz. austr.* 2. *p.* 104. *Poll. pal. n.* 510.* *Lam! dict.* 1. *p.* 166. * *Bull. herb. t.* 59. *Curt. bot. mag. t.* 54. *Fl. fr! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 883. * *Schkuhr. handb. t.* 150. *Gmel. fl. bad. n.* 816. * *non Vill.*

A. seminibus lanatis foliis digitatis hirsutis floribus 5-petalis. *Hall. helv. n.* 1150. *

ß. A. Sylvestris alba minor. *C. Bauh. pin.* 176. *prod.* 93. *Ray. hist.* 1. *p.* 622. *Tourn. inst.* 277.

Hab. in nemoribus et sepibus Galliæ, in agro Parisiensi, Laudunensi, Lotharingico, Alsatico, Italiæ septentrionalis, Germaniæ et Sibiriæ (Gm.), in Caucaso (Bieb.), ad Obi ripas circa Barnaoul *Patrin.* ß. prope Herbipolim. (C. B.) ♃. fl. vere et autumno (v. s. sp. et v. c.).

Variat flore majore et minore; 5 seu 6 sepalo; albo, virescente aut purpurascente; simplici et pleno.

Radix fibroso-fasciculata; receptaculum carpellorum globosum fila plumoso-barbata gerens (Schk.); carpella ovata lanugine hirsutissima.

32. Anemone alba.

A. foliis ternatìm quinatìmve sectis, segmentis apice incisodentatis, involucralibus petiolatis conformibus, pedicello solitario, sepalis 5 obovatis, fructibus hirsutissimis.

A. alba. *Juss! ann. mus.* 3. *p.* 248. *t.* 20. *f.* 1. * *Pers! ench.* 2 *p.* 97. *Poir! supl.* 1. *p.* 363. *

Hab. in Daouriâ circa Tchita et Barnaoul *Patrin*, ad Obum flumen in campis, *Demidow*, in Crimeâ, *Clarke.* ♃ (v. s. sp. in h. Juss., Mus. Par., et Lamb.)

Simillima A. sylvestri et forsan pro hujus merâ varietate habenda! differt tantùm staturâ paulô minori; floris sepalis quinis nec senis, brevioribus rotundioribus obtussimis. Specimen in Crimeâ à cl. D. Clarke lectum est præ aliis in caule et petiolis valdè villosum. — Carpella adeô lanata ut juxta cl. Demidow gossypii loco usurpentur.

Sect. v. Anemonospermos.

Car. Carpella subcompressa stylo uncinata villosa; sepala 5 (rarissimè 10). Umbella spuriè composita, nempè: Pedunculi ex involucro plurimi, 1 nudus uniflorus, 2-3 gerentes involucellum bifolium è quo pedicellus 1 surgit uniflorus.

33. Anemone Virginiana.

A. foliis ternatìm sectis, segmentis trifidis acuminatis dentato-incisis, involucri involucellorumque petiolatis conformibus, sepalis 5 ellipticis.

A. elatior Caroliniana flore parvo virescente. *Pluk. alm.* 30.

A. Virginiana tertiæ similis flore parvo. *Herm. lugd.-b.* 645. *parad.* 18. *ic.*

A Virginiana Herm. *Tourn. inst.* 277.

A. caule ramoso petalis lanceolatis. *Roy. Lugd.-b.* 488. *Gron. Virg.* 165.

A. Virginiana. *Lin! sp.* 761. * *Mill. dict. n.* 4. *Lam! dict.* 1. *p.* 167. * *Gærtn. fruct.* 1. *p.* 357. *t.* 74. *Willd. sp.* 2. *p.* 1279. *Michx ! fl. bor. am.* 1. *p.* 320. *Schult. obs. bot. p.* 102. * *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 388.

A. hirsuta. *Mœnch. meth.* 105.

Hab. in Americæ borealis sylvis et rupestribus nempè in Virginiâ (Gron.), Carolinâ (Pluk.), à Canadâ ad Carolinam, *Michx.* ♃. (v. v. c. et s. sp.), fl. maio. junio.

Radix fibroso-fasciculata nigricans: Herba erecta elata molliter pubescens; foliorum segmenta plus minùsve tenuiùs incisa; pedunculi 3 aut 4 valdè elongati, centralis nudus interdùm pedalis; laterales 2-3 medio involucellum bifolium gerentes; ex involucello pedicelli sæpiùs bini, 1 nudo, altero interdùm abortiente adhuc involucellato; flores parvi ex albo virescentes aut flavescentes; sepala 5 elliptica acuta extùs adpressè pubentia; carpella compressa hirsuta, stylo persistente recto glabro mucronata, in capitulum ovatum densè adgregata; matura lanæ filis divaricatis è loco suo extracta et dispersa.

34. Anemone multifida.

A. foliis radicalibus ternatìm sectis, segmentis multifidis, lobis linearibus, involucri involucellorumque multifidis breviter petiolatis, sepalis 5-10 ellipticis obtusis.

α. *Magellanica*, pedicellis ternis.

A. multifida *Poir! suppl.* 1. *p.* 364.

β. *Hudsoniana*, pedicellis binis.

A. multifida *Banks ! herb.*

Hab. in Americæ frigidis, nempè α ad fretum Magellanicum *Commerson.*

β. Ad sinum Hudsonianum *h. Banks.* ♃. (v. s. sp.).

Radix lignosa dura; herba palmaris erecta undique gerens pilos albos molles adpressos aut patulos: folia radicalia petiolata caule triplo breviora ternatìm decomposita, lobis linearibus acutis; caulis foliis destitutus; involucrum trifolium, foliis in petiolum brevem latum angustatis multifidis; pedunculi 3 uniflori, nempè, 1 nudus præcocior et aliis ferè longior, 2 laterales involucrum bifolium multifidum medio gerentes; flores parvuli ex albo luteoli et quasi citrini; sepala ovali-oblonga extùs villosa; fructus villoso-hirsuti, stylo brevi uncinati, in capitulum globosum aggregati.

Var. β. quam in herb. Banksiano video differt à plantâ Commersonianâ seu Magellanicâ involucro nunc unifloro, nunc bifloro, pedunculo altero infra medium involucellato, nunquàm vero trifloro. An species propria?

35. Anemone Pensylvanica.

A. foliis tripartitis subtrisectis, lobis inciso-dentatis acumi-

natis, involucralibus sessilibus conformibus, sepalis 5 ellipticis, carpellis villosis.

A. Pensylvanica. *Lin. mant.* 247. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1280. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 387.

A. irregularis. *Lam! dict.* 1. *p.* 167. *

A. aconitifolia. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 320. *Pers. ench.* 2. *p.* 97.

β ? *Laxmanni.* Involucro bifolio, pedicellis lateralibus basi imâ involucellatis.

Hab. in pratis et ad margines sylvarum Americæ borealis nempè in Canadâ (Hop.), Novâ-Anglià (Michx), Pensylvaniâ (Pursh.), prope Fort-Albany et sinum Hudsonis *H. Banks.* β ad udas fontes Sibiriæ. *Laxman.* ♃ (v. s. sp. et v. c.)

Planta tota adpressè aut subpatulè pubescens semipedalis pedalisve; folia ex imo caule orta longissimè petiolata caulem æquantia tri aut quinquepartita; lobis oblongo-lanceolatis basi cuneatis acuminatis ad apicem inciso-dentatis; involucrum trifolium, foliolis sessilibus trifidis lobis acuminatis inciso-dentatis; pedicelli 3, unico centrali nudo præcociore, 2 lateralibus medio involucellum bifolium gerentibus; sepala 5 ovalia obtusa; carpella compressa acuminata parcè villosa.

Var. β quam in herb. Pallasiano nunc Lambertiano video est verosimiliter species distincta. Differt à priore inflorescentiâ primâ fronte ut in A. narcissiflorâ umbellatâ, sed si attentiori examini subjiciatur verè A. Pensylvanicæ affini: ex involucro 3 nascuntur pedicelli, 1 nudus, 2 ad iinam basin (nec in medio) involucello parvo bifolio instructi; folia radicalia longè petiolata tripartita ferè trisecta, segmentis cuneatis, lateralibus bifidis, omnibus apice acuminatis inciso-dentatis; petioli apice ciliolati; limbus ad oras ciliolatus, pilis nempè minimis; involucrum bifolium, foliis sessilibus oppositis, 2-3 florum; pedicelli longi pilis minimis pilosuli; sepala 5 ovalia obtusa alba; ovaria parcè villosa.

36. Anemone dichotoma.

A. foliis tripartitis, lobis oblongis apice inciso-dentatis, involucralibus sessilibus conformibus, omnibus bifoliis, sepalis 5 ellipticis, carpellis glabris.

A. dichotoma. *Lin. amœn.* 1. *p.* 155. * *Gmel! sib.* 4. *p.* 1797. *n.* 37. *excl. syn. Lin. f. decad.* 29 *t.* 15. *Mill. dict. n.* 7. *Willd. sp.* 2. *p.* 1280.

Hab. in sylvis pascuisque humidis Sibiriæ frequens *Gmel.*, Daouriæ prope Tschitâ *Patrin*, Canadæ et Noveboracensis occidentalis (Pursh.). ♃. (v. s. sp.)

Similis A. Pensylvanicæ, sed differt statura graciliori, superficie magis glabrâ, involucris involucellisque bifoliis, fructibus demùm glabris, floribus albo-subroseis paulò minoribus, foliorum lobis magis oblongis basi vix angustatis apice parciùs incisis, pedicellis sæpè pluries bifidis. — An planta Americana omninò eadem ac Sibirica?

37. Anemone Mexicana.

A. foliis trisectis, segmentis ovalibus subcuneatis apice inciso-dentatis, involucralibus duobus sessilibus incisis dentatis, ovariis pubescentibus.

A. Mexicana. *Humb. Bonpl. et Kunth! nov. gen. et sp. am. ined.*

Hab. in Mexico prope Santa-Rosa. *Humb. et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. H. B.)

Herba ex omni parte subvillosa; folia radicalia petiolata trisecta, segmentis basi cuneatis ovalibus apice vix acuminatis inciso-dentatis, lateralibus sæpè bifidis; involucrum bifolium, foliolis oppositis sessilibus inciso-dentatis; pediculus centralis nudus; laterales 1-3 imâ basi involucello parvo bifolio stipati; flores albi sat similes A. Pensylvanicæ; ovaria pubescentia oblonga apice attenuata.

38. Anemone helleborifolia.

A. foliis pedatisectis, segmentis glabris subcoriaceis subpetiolulatis basi cuneatis trifidis, lobis serratis acutis, involucris omnibus trifoliis subsessilibus, ovariis glabris.

Hab. in Americâ meridionali circa Huasa-Huasi, *Dombey.* ♃. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Planta speciosa distinctissima; radicis truncus teres crassiusculus fibrillas plurimas agens; folia radicalia subcoriacea numerosa, petiolis 3-4 poll. longis pilosis, pedatisecta, segmentis glabris basi cuneatis subpetiolulatis trifidis, lobis serratis acutis interdùm subtrifidis; caulis erectus teres fistulosus pedalis aut sesqui-pedalis; umbella composita generalis 3-4-radiata, pedunculis elongatis glabris; umbellæ partiales sæpiùs 3-floræ pedicellis subvillosis; involucrum involucellaque trifolia, foliolis subsessilibus basi subvillosis trisectis, segmentis trifidis serratis acutis. Flores albi; sepala 5 ovalia; stamina brevia; carpella 15-20 ovalia, glabra, stylo uncinata, super polyphorum villosum aggregata; interdùm tertium sub flore situm involucellum reperitur.

39. Anemone vitifolia.

A. foliis . . . . . involucralibus petiolatis subtùs albo-tomentosis supernè glabris obtusè cordatis 5-lobis, involucellisque trifoliis, ovariis glabris.

A. vitifolia. *Buchan! ined. in h. Lamb.*

Hab. in Napaulià circa Lamba. Fl. julio. *Buchanan.* ♃. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Folia radicalia mihi ignota; caules rami pedunculique tomentosi; involucrum trifolium, foliis petiolatis, subtùs et in petiolo albo-tomentosis, supernè viridibus glabris, amplis, obtusè cordatis, 5-lobis, Vitis folia formâ æmulantibus, lobis ovali-oblongis, margine obtusè sinuatis denticulatis subrugosis; pediculi 3, 1 nudus centralis 1-florus 4 poll. longus, 2 alii laterales inæquales crassiores apice gerentes involucellum trifolium è quo flores terni eodem modo dispositi; alabastra subglobosa tomentosa; sepala ovali-oblonga extùs villosa albida, intùs purpurascentia glabra crassiuscula 5 lin. longa; stamina brevissima; antheræ croceæ; ovaria glabra.

40. Anemone rivularis.

A. foliis subvillosis tripartitis, lobis basi cuneatis trifidis,

lobulis incisis acutè dentatis, involucralibus sessilibus tripartitis, lobis apice subpinnatifidis.

A. rivularis. *Buchan! ined. in h. Lamb.*

Hab. secus rivulos in Napaulià circa Chitong. *Buchanan.* Fl. aprili. ♃ (v. s. sp. in h. Lamb.)

Folia radicalia plurima; petioli longi inæquales 3-8-pollicares, apice imprimis pilis patentibus subhispidi; limbi basi cordati tripartiti; lobis basi cuneatis trifidis, lobulis ovatis inciso-dentatis, dentibus aristulatis, sinubus acutis, superficie utràque subvillosâ subtùs pallidâ; scapus foliis radicalibus duplò longior erectus teres; involucrum 2-3-folium, foliis sessilibus tripartitis, lobis oblongis apice subpinnatifidis denticulatis; pedicelli 3, 1 nudus 1-florus, 2 ut in A. vitifoliâ involucellum umbellulamque gerentes; alabastra ovata extùs subvillosa. Cætera ignota.

Sect. VI. OMALOCARPUS.

CAR. Carpella compresso-plana ovali-orbiculata glaberrima omnino mutica ecaudata. Pedicelli plurimi uniflori nudi, in involucro umbellati, rariùs solitarii.

41. Anemone narcissiflora.

A. foliis radicalibus subvillosis palmatìm 3-5-partitis, lobis inciso-dentatis, lobulis linearibus acutis, floribus umbellatis.

Ranunculus montanus 11. *Clus. hist.* 1. *p.* 235. 11 species altera. *Clus. l. c. p.* 235. *f.* 1. *et forsan* 111. *p.* 235. *f.* 2?

Aconitum candidum acaulon. *Dalech. lugd.* 1743. *f.* 2.

Ranunculus hirsutus Alpinus flore albo. *J. Ger. herb.* 956. *f.* 13.

Ranunculus montanus hirsutus albus altior. *C. Bauh. pin.* 182. *Ray. hist.* 589. *Tourn. inst.* 290.

Ranunculus montanus hirsutus humilior narcissi flore. *C. Bauh. pin.* 182. *Ray. hist.* 590. *Moris. oxon.* 2. *p.* 448. *s.* 4. *t.* 31. *f.* 53. *male. Tourn! inst.* 290.

Ranunculus montanus hirsutus purpurascente flore. *C. Bauh. pin.* 182. *Tourn. inst.* 290.

Ranunculus Alpinus narcissi flore. *J. Bauh. hist.* 3. *app. p.* 860 *et* 861. *f.* 1. *Chabr. sciagr.* 468. *f.* 2.

Ranunculus montanus albus hirsutus. *J. Bauh. l. c. p.* 861. *f.* 2. *Chabr. sciagr.* 468. *f.* 3. *Ray. hist.* 589.

Ranunculus trianthos sulfureus semine non papposo. *Barr. ic.* 57. *t.* 494.

A. narcissiflora. *Lin! sp.* 763. *Gmel. sib.* 4. *p.* 200. *n.* 42. *Jacq. austr. t.* 159. *Crantz. austr.* 2. *p.* 102. *t.* 3. *f.* 1.* *Lam! dict.* 1. *p.* 168 * *Vill! Dauph.* 3. *p.* 722.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1283. *Curt. bot. mag. t.* 1170. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 885. *v.* 5. *p.* 635. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 387. *Savi bot. etr.* 2. *p.* 124.

A. seminibus nudis rotundis planis, foliis 7-fidis imbricatis, floribus umbellatis. *Hall. helv. n.* 1155.* *excl. syn. Math. et Lob.*

A. umbellata. *Lam. fl. fr. ed.* 1. *v.* 3. *p.* 322. *non Willd.*

β. *Fasciculata*, floribus umbellatis subsessilibus fasciculatis.

Ranunculus Orientalis aconiti lycoctoni folio flore magno albo. *Tourn. cor.* 20. *Voy.* 2. *p.* 245. *ic.*

A. fasciculata. *Lin. sp.* 763. *non Vahl.*

γ. *Monantha*, floribus solitariis aut binis.

A. dubia. *Bell. app. fl. ped.* 232. *t.* 7.

δ? *Pedicellaris*, pedicellis plurimis elongatis, foliis radicalibus trisectis?

ε? *Frigida*, pedicellis paucis elongatis, foliis radicalibus glabris in lobos angustissimos lineares partitis.

Hab. in pascuis montanis præsertim calcareis totius ferè hemisphæræ borealis nempè in Pyrenæis, Alpibus omnibus, Jurasso, Vogesis, Caucaso, Cappadociâ (Tourn.), in Sibiriæ montibus Uralensibus et Altaicis, collibus Caucasi (Bieb.), Daouriæ, *Patrin*; in insulâ Oonalaschâ *Dav. Nelson*, ad oras occidentales Americes borealis et in Canadâ (Pursh.). ♃ fl. deced. vere et æst. ineunte (v. v. sp.).

Species mirè varians et ideò in veterum libris multiplex; reperitur, 1°. digitalis, pedalis, cubitalisve; 2°. pilis numerosissimis paucis aut nullis, subadpressis patentibusve; 3°. floribus sæpiùs lacteis, interdùm extùs purpurascentibus, exsiccatione sulfureis ferè evadentibus; 4°. umbellis sæpiùs multifloris, interdùm paucifloris, rariùs unifloris; 5°. pedicellis nunc involucro duplò triplòve longioribus, nunc huic æqualibus, nunc brevissimis; 6°. sepalis 5 aut 6, ovatis ovalibusve, obtusis acutisve; 7°. foliorum lobis acutis obtusisve, plus minùsve profundis.

Var. β. floribus sessilibus distincta gignitur in Cappadociæ Europæque australis montanis siccis apricis sed tamen fertilibus.

Var. γ. floribus solitariis binisve tantùm donata habitat in montium locis siccis sterilibusque.

Var. δ. in campis Daouriæ et Sibiriæ orientalis circa Irkoulsk à cl. Patrin reperta est forsan distincta species: huic sunt flores 5-6; pedicelli involucro duplò longiores; sepala inter se distantia; herba parcè villosa; folia radicalia non 5-partita sed trisecta! hunc ultimum caracterem tantùm judico ex foliis cum flore in eâdem chartâ collectis sed cum eo non cohærentibus et forsan alienis; si hæc folia revera huic pertineant sine dubio pro specie habenda esset.

Var. ε. habitat (ex herb. Pallasiano nunc Lambertiano) in Sibiriæ orientalis locis frigidis Alpinis; à prioribus differt habitu minori graciliore; superficie totâ (involucri superficie superâ exceptâ) glabrâ nec villosâ; foliorum radicalium lobis angustissimis profundis linearibus acutis; umbellæ pedicellis paucis (3-4), involucro longioribus; floribus dimidio minoribus. An species propria?

42. Anemone umbellata.

A. foliis radicalibus 3-5-partitis, laciniis trifidis integerrimis ad margines densè villosis, floribus umbellatis.

Ranunculus Orientalis napelli folio lanuginoso flore albo. *Tourn. cor.* 20.

A. fasciculata. *Vahl. symb.* 3. *p.* 74. *non Lin.*

A. umbellata. *Willd. sp.* 2. *p.* 1284. * *non Lam.*

Hab. in Cappadociæ montibus. *Tournef.* ♃ (v. s. sp. in h. Tourn. et Desf.).

Radix crassa; folia radicalia petiolis vix bipollicaribus instructa, limbo multipartito, lobis trifidis acutis, lobulis integris; pili longi albi adpressi in petiolo et præsertìm secùs laciniarum margines; scapus circiter palmaris pilis longissimis albis subadpressis rariusculis vestitus; involucri folia tripartita, lobis integerrimis pilos albos præsertìm margine gerentibus; pedicelli 2-3, uniflori, involucro longiores; sepala 5 alba ovalia obtusa extùs villosa. — Specimina in Alpibus Altaicis à Patrinio lecta inter hanc et præcedentem ferè media, ad priorem tamen potius referenda videntur.

43. Anemone Sibirica.

A. foliis ternatìm sectis, segmentis inciso-dentatis ciliatis, involucralibus breviter petiolatis trisectis conformibus, sepalis 6 orbiculatis.

A. Sibirica. *Lin! sp.* 763. *Gmel. sib.* 4. *p.* 199. *n.* 41. *Willd. sp.* 2. *p.* 1278.

Hab. in Sibiriâ, à Jeniseâ in Transbaicalenses regiones usque. *Gmel.* ♃ (v. s. sp. in h. Lin. et Deless.).

Planta semipalmaris; foliorum lobi lineares conferti obtusi, margine integri hirsuti; petioli hirti; scapus 1-florus pilosus basi glaber; involucrum tripartitum lobatum, laciniis lanceolatis; sepala 6 patentia orbicularia in sicco fulva, staminibus quadruplò longiora; ovaria glabra! hoc caractere ad Omalocarpos accedit, sed fructus maturus desideratur. An potius A. albæ affinis?

†. *Anemones non satis notæ.*

44. Anemone Walteri.

Thalictrum Carolinianum. *Walt. fl. car.* 157.

A. Walteri. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 387.

Hab. in Carolinâ (Walt.).

Radix tuberosa; caulis uniflorus nudus; folia palmata longiùs petiolata; sepala 5. Deest in herb. Walteriano (Pursh.). Verosimiliter A. parvifloræ affinis?

45. Anemone pedata.

A. pedata. *Raf. Schmaltz. in Desv. journ. bot.* 1808. *v.* 1. *p.* 230.

Hab. in New-Jersey (R. Schm.).

Caulis brevis uniflorus; folia pedatìm quinquepartita, lobis laciniatis; sepala 6 (R. Schm.).

††. *Anemones dubiæ.*

A. Anemones I. II. IV. V. VI et IX. Math. comm. 460-462 — A. Ma-

thioli. *C. Bauh. pin.* 175. *Dalech. lugd.* 842-844. — A. Mathiolinæ. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 409. — Hæ etiamsi iconibus illustratæ omninò obscuræ et forsan fictitiæ! Quædam videntur Adonidum species.

B. A. quinta. *Cam. epit.* 390. *ic.* — A. ranunculi facie lutea. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 408 *et p.* 409. *f.* 1. *Chabr. sciag.* 464. *f.* 1. — Videtur Eranthis hyemalis et Ranunculi montani confusio!

C. Ranunculus nemorosus anemones flore minor. *C. Bauh. prod.* 95. — Hab. Monspelii sed Magnolio ignotus.

D. A. folio aconiti, radice rapunculi, flore ex purpurâ albicante. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 407. — Hab. in Warsoviæ montibus.

E. A. folio coriandri, radice olivæ flore purpureo. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 407. — An. A. coronaria?

F. A. folio multiplicato hirsuto flore quadrifolio rubro albo cæruleo. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 407. — Hab. in Italiâ, Illyriâ, Moræâ.

G. A. Anguillaræ lutea quadrifolia foliis multifidis. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 408. — Hab. in Apuliâ.

H. A. lutea Rauwolfii. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 408. — Hab. Aleppo.

I. Pulsatilla flore obsoleto caule nudo. *Breyn. cent.* 135. *Ray. hist.* 1. *p.* 636. *Pluk. alm.* 30. — Hab. in Cassubiæ montibus maio florens (Br.). Raius suspicatur esse plantam monstrosam.

K. Pulsatilla Orientalis tenuissimè divisa et villosa flore rubro. *Tourn. cor.* 20.

L. A. flemmensis. *Scop. ann. hist. nat. tyrol. ann.* 2. *ex fl. austr.* 2. *p.* 41. — Hab. in Alpibus Tyrolensibus. Videtur A. Alpinæ varietas?

M. A. dodecaphylla. *Krock. fl. sil.* 2. 1. *p.* 235. *t.* 20. — A. decapetala var. *β. Gmel. syst.* 871. — Hab. in Silesiâ.

V. HEPATICA.

Trifolium Hepaticum C. B. *pin.* 330. — Ranunculi sp. Tourn. — Hepatica. Dill. *giess. p.* 108. *t.* 5. Lin. *h. clif.* 223. Hall. *helv. n.* 1156. — Anemones sp. Lin. Lam. Juss. — Isopyrum Adans. *fam.* 2. *p.* 460. *non* Lin.

Fruct. Involucrum trifolium flori approximatum uniflorum calyciforme, foliis integris; sepala petaloïdea 6-9 duplici triplicive serie disposita. Stam. et ovar. ∞. Carpella ecaudata.

Veg. Herbæ perennes montanæ vernales; radices fibrosæ; folia radicalia petiolata, plurima è gemmis radicalibus squammosis orta, simplicia, 3-7-lobata, coriacea; scapi plurimi radicales uniflori.

Obs. Involucrum à quibusdam pro calyce habetur quia à flore intervallo vix ullo separatur, sed flores Hepaticæ multiplicati demonstrant tegumentum coloratum esse calycinum et ideò tegumentum viride esse involucrum; quod confirmat etiam summa cum Anemone analogia. — Cupulæ mini-

mæ serrato-filamentosæ adsunt ad basin ovariorum observante cl. Schkuhrio.

1. Hepatica triloba.

H. foliis cordatis trilobis, lobis integerrimis.

Hepatica. *Brunf. herb.* 190. *ic. Rupp. jen.* 127. *Knorr. del. L.* 13. *f.* 1-5. *Dill. giess. nov. gen. t.* 5. *Lin. cliff.* 223. *fl. suec.* 445. 480. *Hort. ups.* 155. *Scop. carn. ed.* 1. *p.* 567.

Trifolium magnum seu aureum. *Trag. stirp.* 519. *ic.*

Trinitas. *Math. comm.* 610. *f.* 2. *Cam. epit.* 585. *ic.*

Epimedium. *Cord. adnot. p.* 93. *f.* 2.

Trifolium aureum. *Dod. pempt.* 579. *f.* 2. *malè.*

Hepatica trifolia. *Clus. hist.* 2. *p.* 247. *f.* 3 *et* 248. *t.* 1. 2. *Lob. ic.* 2. *p.* 35. *f.* 1. *Theatr. flor. t.* 67. *Debry. floril. nov. t.* 37.

Hepatica aurea. *Gessn. hort.* 261. *Besl. h. Eyst. vern. ord.* 2. *fol.* 3. *f.* 4. 5. *et ord.* 1. *f.* 1. 2.

Herba trinitatis. *Dalech lugd.* 1274. *f.* 1. 2.

Hepaticum trifolium. *Lob. ic.* 2. *p.* 34. *f.* 1. 2. *et* 35. *f.* 1. *Adv. p.* 382.

Trifolium hepaticum flore simplici et pleno. *C. Bauh. pin.* 330. *Ray. hist.* 1. *p.* 580.

Trinitas herba. *C. Dur.* 465. *f.* 2.

Trifolium hepaticum, sive Trinitatis herba. *J. Bauh. hist.* 2. *p.* 389. *f.* 2. *p.* 390. *ic. et p.* 391. *f.* 1. *Chabr. sciagr. p.* 164. *f.* 5. 6. *et p.* 165. *f.* 1.

Trifolium hepaticum, seu Hepatica trifolia. *Moris. hist.* 2. *p.* 433. *s.* 4. *t.* 26. *f. ult.*

Ranunculus hepaticus trilobatus vernus. *Pluk. alm.* 314.

Hepatica nobilis, seu trifolia *Volk. fl. norib.* 208.

Ranunculus tridentatus vernus. *Tourn! inst.* 286 *et* 287. *cum var.* 13. *Garid. aix. t.* 94.

Ranunculus tridentatus. *Helw. supl. n.* 57. *n.* 340-343. *ex Schweig.*

Hepatica nobilis. *Weinm. phyt.* 3. *p.* 111. *t.* 570. *f. a-f. Blackw. herb. t.* 207. *Mœnch. meth.* 216.

Anemone hepatica. *Lin! sp.* 758. *fl. dan. t.* 612. *Houtt. pflanz. syst.* 7. *t.* 280. *Poll. pal. n.* 515. *Ludw. ect. t.* 140. *Crantz. austr.* 1. *p.* 100. *Lam! dict.* 1. *p.* 169.* *Smith! engl. bot. t.* 51. *Sibth. fl. græc. t.* 513. *ex prod.* 1. *p.* 374. *Gmel. fl. bad.* 2. *p.* 506. *Palmstr. sv. bot.* 141. *Savi bot. etr.* 1. *p.* 156.* *Sturm. deutschl. fl. ic. Schkuhr. handb.* 2. *t.* 150. *Spreng. geh. d. befr. t.* 25. *f.* 24-27.

Hepatica foliis trilobis integerrimis. *Hall. helv. n.* 1156.*

H. triloba. *Chaix in Vill. dauph.* 1. *p.* 336. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 885.* *Willd. enum.* 580. *Schweig. kæn. arch. nat.* 1812. *p.* 231.

Anemone præcox. *Salisb. prod.* 371.

β. *Americana*, petiolis scapisque pilossimis.

Hepatica nobilis flore albo parvo Tradescanti seu Virginiana. *Ray. hist.* 581.

Hepatica. *Gron. virg.* 61.

Anemone hepatica. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 119. *Big. fl. bost.* 135.

H. triloba. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 391.

Hab. frequens in Europæ et Americes borealis locis montosis et umbrosis saltibus, sepibus, dumetis, etc. fl. hyeme aut ineunte vere. ♃ (v. v. sp. et β. s. sp.).

Variat, 1°. florum colore sæpissimè cæruleo, interdùm in hortis et rariùs in agris albo, cinereo, carneo, rubro, purpureo, violaceo aut variegato, sed nunquâm luteo; 2°. floribus simplicibus duplicatis et plenis; 3°. foliis subtùs viridibus aut purpureis, aut variegatis; 4°. lobis obtusis aut acutis, ferè semper ternis, rarissimè quaternis obs. Mentzelio circa Bononiam; 5°. floribus ante folia aut cum foliis nascentibus. Omnes hæ varietates in veterum libris designantur nominibus propriis quæ brevitatis causâ omisi. — Var. β, seu Americana forsan ab Europæâ specificè differt ob petiolos scaposque multò magis villosos pilis magis patentibus, sepala rubra vix involucro longiora, foliorumque lobos obtusiores.

2. Hepatica angulosa.

H. foliis palmato-5-lobis, lobis serratis.

Anemone angulosa. *Lam. dict.* 1. *p.* 169.*
Hab. . . . . olim in hort. Pharm. Par. culta 4.
Folia radicalia in cæspitem hemisphericum densum aggregata, petiolata, 5-7-loba, lobis palmato-angulatis irregulariter serratis, atro-viridia venosa, in venis postice et in petiolis villosa, ferè Ranunculi acris folia æmulantia; scapi tenues foliis æquales villosi 1-flori; flos purpureus aut cæruleus; sepala 8-9 elliptica patentia (Lam.).

3. Hepatica? integrifolia.

H. foliis ovatis integerrimis, scapis petiolisque villosissimis.

Anemone integrifolia. *Humb. Bonpl. et Kunth! nov. gen. et sp. am. ined.*
Hab. in Americâ merid. ad montem Gualgayoc. *Humb. et Bonpl.* 4 (v. s. sp. in h. H. B.).
Folia radicalia plurima, petiolo plano villis longis albis pilossissimo, limbo coriaceo ovato subacuto utrinque subvilloso integerrimo; scapus petioli longitudine villosissimus; involucrum flori omnimò contiguum, unilaterale? foliolis 3 linearibus longis; flos sessilis albus, sepalis 8-10 linearibus involucro brevioribus; ovaria villosa. — An involucrum potius monophyllum, foliolis ad basin usque tripartitis? An foliola alia decidua? et tunc ad Pulsatillas accederet hæc species Anemones Hepaticasque fortè conjungens.

VI. HYDRASTIS.

Hydrastis. Lin. *gen. n.* 704. Juss. *gen.* 232. — Warneria Mill. *ic. t.* 285.

Fruct. Calyx 3-sepalus, sepalis ovatis; Petala 0; Stam. Ovariaque ∞. Cariopsides baccatæ, plurimæ in capitulum aggregatæ, stylo terminatæ, 1-loculares, 1-2-spermæ; semina obovoïdea lævigata (Michx. *Fl. bor.* 1, p. 317).

Veg. Herba perennis parvula Americana; radices è tuberculis plurimis constantes; caules simplices; folia pauca 3-5-partita.

1. Hydrastis Canadensis.

Hydrophyllum verum Canadensium. *Lin. sp. ed.* 1. *p.* 146. *in notâ.*
Warneria. *Mill. ic.* 2. *p.* 190. *t.* 285. *
Warneria Canadensis. *Mill. dict. n.* 1. *
H. Canadensis. *Lin ! sp.* 784. *Lam ! dict.* 3. *p.* 151. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1339. *Michx ! fl. bor. am.* 1. *p.* 317. *Pursh ! fl. bor. am.* 2. *p.* 289. *Pict. hort. Paris.* 37. *t.* 17.
Hab. in aquosis Canadæ (Lin.), Pensylvaniæ (Mill.), in tractu montium Alleghanis à Canadâ ad Carolinam *Michx*, in solo pingui, secùs Ohio et in partibus occid. Virginiæ et Pensylvaniæ (Bart.) ♃ (v. s. sp.).
Radix è tuberculis carnosis intùs intensè luteis (undè ab Americanis dicta *Yellow-root*), hinc indè verè fibrigeris constans; caulis herbaceus simplex uniflorus, apice imprimis pilosus, 2-3 folius; folia inferiora 1-2 petiolata, superiùs subsessile, omnia 3-5-partita, lobis grossè dentatis acutis; flos albus subpurpurascens terminalis pedunculatus; fructus carnosus ruber fructui Rubi similis, carpellis ovato-acutis stylo coronatis baccatis constans.
Radix amara subpungens tonica, colorem pulchrè luteum suppeditat (Bart.).

VII. KNOWLTONIA.

Adonidum sp. Lin. — Thebesia Neck. *elem. n.* 1089? — Knowltonia Salisb. *prod.* 372. Ait. *Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 351. — Anamenia. Vent. *malm.* 12. Pers. *ench.* 2. *p.* 101.

Fruct. Calyx 5-sepalus. Petala 5-15 ungue nudo; stam. ∞. Ovaria ∞ receptaculo globoso imposita; Cariopsides ∞ monospermæ baccatæ, stylo deciduo muticæ.

Veg. Herbæ ♃ habitu Umbelliferas plurimas æmulantes; radices fasciculatæ; folia radicalia petiolata simplicia, petiolo ramoso biternatìm aut rariùs triternatìm secta, rigida; scapus erectus ramosus, ramis nunc sæpiùs irregulariter à basi ortis, nunc apice in umbellam simplicem compositamve dispositis. Involucrum irregulare multifolium, foliis simplicibus, integris aut sectis, ad basin umbellæ et umbellularum.

Vir. Species omnes vesicatorii more acres et urentes.

Hab. Omnes Capenses.

Obs. Genus medium inter Hydrastidem et Adonidem, prioris fructum, posterioris flores gerens, anno 1796 à cl. Salisbury sub nomine Knowltoniæ (in memoriam Th. Knowlton olìm horti Elthamensis præfecti) constitutum et posteà anno 1803 à cl. Ventenat sub nomine Anameniæ receptum.

Cl. Richard vidit in K. rigidâ embryonem superum brevem

ovatum ad apicem albuminis cartilaginei locatum, cotyledones divergentes nec adpressos.

1. Knowltonia rigida.

K. foliis biternatìm sectis, segmentis subcordatis coriaceis glabriusculis, lateralibus basi obliquè truncatis, umbellâ supra-decompositâ patentissimâ.

Christophoriana Africana ranunculoïdes foliis rigidis. *Boerh. lugd.-b.* 2. *p.* 62.
Ranunculus Æthiopicus foliis rigidis floribus ex luteo virescentibus. *Comm. hort.* 1. *p.* 1. *t.* 1. *Ray. supl.* 316.
Adonis capensis. *Lin ! sp.* 772. *excl. syn. Burm. Lob. et Moris.*
Knowltonia rigida. *Salisb. prod.* 372. *Ait ! kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 351.
Anamenia coriacea. *Vent ! malm.* 1. *p.* 22. *t.* 22. *
Adonis coriacea. *Poir. supl.* 1. *p.* 146. *
Hab. ad Prom. Bonæ-Spei ♃ (v. v. c.).

2. Knowltonia vesicatoria.

K. foliis biternatìm sectis, segmentis subcordatis rigidis glabriusculis, lateralibus basi obliquè truncatis, umbella subsimplici pauciflora.

Ranunculus perelegans D. Franqueville foliis aculeatis. *Lob. st. ill.* 135.
Astrantia Africana laserpitii foliis latioribus rigidis et spinosis. *Moris. hist.* 3. *p.* 279. *
Imperatoria ranunculoïdes Africana enneaphyllos laserpitii lobatis foliis rigidis margine spinosis. *Pluk. alm.* 198. *t.* 95. *f.* 2.
Adonis vesicatoria. *Lin. f! supl.* 272. *Ait. kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 264. *Willd. sp.* 2. *p.* 1307.
Adonis capensis. *Lam ! dict.* 1. *p.* 46. *excl. syn. Burm.*
Knowltonia vesicatoria. *Sims. bot. mag. t.* 775. *Ait ! h. kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 351.
Anamenia laserpitiifolia. *Vent. malm.* 1. *p.* 22. *in obs. Willd. enum.* 586.
Anamenia vesicatoria. *Dum. Cours. bot. cult.* 4. *p.* 438.
Adonis laserpitiifolia. *Poir. supl.* 1. 147.
Hab. ad prom. Bonæ-Spei. ♃ (v. s. sp. et v. c.).

3. Knowltonia gracilis.

K. foliis biternatìm sectis, segmentis ovatis profundè serratis rigidis pilosis, scapis apice ramosis, ramis erectis pauciflоris.

Sphondylii seu Panacis rigido hirtoque folio planta Africana caustica. *Herm. par. bat. prod ?*
Adonis Æthiopica. *Thunb. prod. cap ?*
Anamenia gracilis. *Vent. malm.* 1. *p.* 22. *in obs.*
Adonis gracilis. *Poir. supl.* 1. *p.* 147.

Hab. ad prom. Bonæ-Spei. ♃ (v. s. sp. in h. Juss. missa à cl. Thunberg sub nomine Adonidis capensis.).

4. Knowltonia hirsuta.

K. foliis biternatìm sectis, segmentis lanceolatis profundè serratis hirsutis, scapis basi ramosis, ramis decumbentibus paucifloris.

Imperatoria ranunculoïdes sphondylii hirsuto folio minor. *Pluk. mant.* 108. *Ray. hist.* 3. *p.* 316.
Christophoriana trifoliata foliis scabris flore sulphureo rariore. *Burm! afr.* 145. *t.* 51. *
Anamenia hirsuta. *Vent. malm.* 22. *in obs.*
Adonis hirsuta. *Poir. supl.* 1. *p.* 147.
Hab. ad prom. Bonæ-Spei. ♃ (v. s. sp. in h. Deless.).

5. Knowltonia daucifolia.

K. foliis triternatìm sectis, segmentis pinnatifidis, lobis linearibus acutis, umbella composita.

Adonis filia. *Lin. f! supl.* 271. *Willd. sp.* 2. *p.* 1306.
Adonis daucifolia. *Lam. dict.* 1. *p.* 46. *Poir. supl.* 1. *p.* 147.
Anamenia daucifolia. *Vent. malm.* 22. *in obs.*
Hab. ad prom. Bonæ-Spei. ♃ (v. s. sp. in h. Deless.).
Radix horizontalis; herba ad collum in basi caulis et petiolorum villosa, cæterùm glabra; folia radicalia rigida, petiolo bipollicari apice trifido triternatìm secta, segmentis pinnatifidis, lobis linearibus divergentibus acutis; scapus nudus teres erectus ferè bipedalis; corymbus compositus; pedunculi pubescentes.

VIII. ADONIS.

Adonidis et Hellebori sp. C. Bauh. — Ranunculi sp. Tourn. — Adonis Dill. *giess. nov. gen. p.* 109. *t.* 4. Hall. *helv.* 2. *p.* 66. Gærtn. *fruct.* 1. *p.* 355. *t.* 74. Lam. *ill. t.* 498. Neck. *elem. n.* 1088. — Adonidis sp. Lin. *gen.* 698.

Fruct. Calyx 5-sepalus adpressus, sepalis interdùm basi solutis; Petala 5-15 ungue nudo. Stam. ∞ ad basin gonophori inserta; Ovaria ∞; Cariopsides ∞ 1-spermæ secùs gonophorum spicatæ ovatæ stylo brevi subaccreto acuminatæ; Embryo ovatus, cotyledonibus subdistantibus.

Veg. Herbæ caulescentes; folia caulina pinnati-partita, lobis multifidis, lobulis linearibus innumeris; involucra nulla; flores ad apices caulis aut ramorum solitarii, lutei flammei sanguineive, nunquàm cærulei.

Hab. Species omnes in Europâ aut Africæ Asiæve partibus Europæ contiguis nascentes; Adoniæ in planitierum cultis, Consiligines in montanis asperis.

Vir. Consiliginum seu specierum perennium radices acres subamaræ purgativæ et Hellebori succedaneæ. Species annuæ subinertes.

Div. Ex duratione et habitu cum floribus fructibusque congruis nempè:

Adonia. Cariopsides stylo recto acuminatæ; petala 5-10; radices annuæ. . . . . Sp. 1-8.

Consiligo. Cariopsides stylo uncinato recurvo uncinatæ; petala 8-15; radices perennes. . . . . Sp. 9-10.

Sect. 1. ADONIA.

Adonis. C. Bauh. *pin.* 178.

Car. Petala 5-10 concava aut plana; stam. 18-20; cariopsides in spicam ovatam cylindraceamve aggregatæ, semper glabræ, stylo recto conico acuminatæ; — Radices annuæ fusiformes subsimplices pallidæ.

Obs. Omnes Adonides annuæ inter se adeò sunt affines ut à plurimis autoribus et forsan non immeritò pro unicæ speciei varietatibus habitæ fuerint: ad omnes igitur æquo jure pertinent synonyma sequentia:

Adonis. *Math. comm.* 650. *ic.*
Flos Adonis aliis Eranthemum. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 1. *p.* 125. *et* 126. *f.* 1-3.
Adonis radice annuâ. *Lin. hort. cliff.* 321. *Salisb. par.* 162. *Sauv. monsp.* 253.
Adonis annua. *Mill. dict. n.* 1. *Crantz. austr.* 2. *p.* 83. *Gou! fl. monsp.* 321 *Lam! dict.* 1. *p.* 45. * *Illustr. t.* 498. *f.* 1. 2. *Fl. fr! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 887. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 376. *Merat. fl. par.* 213.
A. radice annuâ flore octopetalo. *Hall. helv. n.* 1158. *
Stirpes sequentes ut species aut varietates æquo jure sunt habendæ; eas dubitanter propono et observatoribus commendo.

1. Adonis autumnalis.

A. calyce glabro, petalis concavo-conniventibus calyce vix majoribus, carpellis subreticulatis in capitulum ovatum aggregatis, caule ramoso.

Anemone hortensis. *Trag. stirp.* 129. *ic. mal.*
Flos adonis vulgò. *Clus. hist.* 1. *p.* 336. *f.* 1.
Eranthemum vulgare. *Dod. cor.* 245. *ic.*
Eranthemum. *Dod. pempt.* 260.

Recentiorum adonis. *Lob. adv.* 114.
Flos adonis. *Lob. ic.* 283. *Park. par.* 293. *f.* 5.
A. sive Anthemis Mathioli. *Dalech. lugd.* 970. *ic.*
Eranthemum flore rubro. *Besl. h. Eyst. æst. ord.* 5. *t.* 11. *f.* 1.
A. hortensis flore majore et minore. *C. Bauh. pin.* 178.
A. hortensis flore minore atro-rubente. *Moris. oxon. s.* 6. *t.* 8. *f.* 1.
A. ower red maithes. *Pet. engl. herb. t.* 39. *f.* 8.
Flos adonis flore rubro. *Debry. floril. nov. t.* 101.
Ranunculus arvensis foliis chamæmeli flore minore atro-rubente. *Tourn! inst.* 291. *Garid. aix.* 396. *t.* 82.
A. hortensis. *Weinm. phyt. t.* 27. *f. b. c. et forsan d. malè.*
A. autumnalis. *Lin! sp.* 771. *Willd. sp.* 2. *p.* 1304. *Schkuhr. handb.* 2. *n.* 1489. *t.* 152. *Curt. lond.* 2. *t.* 37. *Smith! fl. brit.* 586. *Engl. bot. t.* 308.
Hab. inter segetes Europæ; frequenter in hortis culta et seminibus constans ⓘ fl. æstate (v. v. sp. et c.).
Flos intensè sanguineo-ruber, rarius pallidior, ob petala concavo-conniventia globosus, et ideò ob formam et colorem gallicè dicta *Goutte de sang*, et ab antiquis è sanguine Adonidis nata habita fuit.

2. Adonis flava.

A. calyce glabro basi soluto, petalis planis oblongis calyce duplò longioribus, carpellis sublævibus in capitulum oblongum aggregatis, caule subsimplici.

A. sylvestris flore citrino. *Tab. ic.* 790. *f.* 1.
A. flore pallido. *Cam. epit.* 648.
Ranunculus arvensis flore citrino. *Tourn. inst.* 291. *Vaill. par.* 170.
A. lutea hellebori radice. *Weinm. phyt. t.* 28. *f. a. et b. excl. syn.*
A. sylvestris flore luteo foliis longioribus. *Mill. ic. t.* 14. *f.* 2?
A. flava. *Vill. cat. Strasb.* 247.

β. Parviflora.

A. sylvestris flore luteo. *Weinm. phyt. t.* 28. *f. c.*

Hab. inter segetes et in vineis Galliæ ferè totius et veresim. Germaniæ, etc. ⓘ fl. jun. jul. (v. v. sp.).
Caulis vix ac ne vix ramosus, flores flavi aut lutei rariùs subflammei; calycis sepala basi ferè ut in Sedis et in Myosuro producta et soluta; petala plana ferè linearia. —Var. *α.* habet florem magnum ferè A. vernalem æmulantem; in var. *β* flos dimidio minor est; sed inter utramque transitiones plurimæ observantur.

3. Adonis micrantha.

A. calyce glabro basi non soluto, petalis planis oblongis calyce paulò longioribus, carpellis subreticulatis in capitulum ovatum aggregatis, caule subramoso.

Hab. in segetibus Galliæ australis circa Tolosam, Avenionem, etc. ⓘ (v. v. sp.) fl. maio, junio.
Species dubia; flos parvus flavus seu flammeus; ovaria pauca 7-10 in capitulum brevissimum disposita. Caulis basi simplex apice sæpiùs subramosus.

4. Adonis microcarpa.

A. calyce glabro, petalis planis oblongis calyce duplò longioribus, carpellis reticulatis in capitulum oblongum dispositis, caule subsimplici.

Hab. inter segetes Hispaniæ circa Tudelam, *Dufour;* in insulâ Ivicâ, *Delaroche;* Teneriffæ, *Broussonet.* ⓘ (v. s. sp.).

An ab A. flavâ satis distincta? Differre videtur caule dimidio et ultrà breviore, confertiùs folioso; calyce vix ac nevix basi soluto; fructibus dimidio circiter minoribus, numerosioribus, in capitulum 8-9 lin. longum dispositis, multò magis reticulatis. — Variat flore flavo-citrino et subflammeo.

5. Adonis citrina.

A. calyce basi hispido, petalis planis oblongis calyce longioribus, carpellis in capitulum ovato-oblongum dispositis, caule subsimplici, flore parvo inter folia subsessili.

Ranunculus arvensis foliis chamæmeli flore minore luteo. *Tourn. inst.* 291?

A. citrina. *Hoffm. fl. germ.* 1. *p.* 251.

Hab. inter segetes Galliæ, Germaniæ, Teneriffæ, etc. ⓘ (v. s. sp.).

Planta parvula; caulis erectus simplex aut rarissimè ramosus; flores terminales inter folia subsessiles solitarii parvi flavi. Calycis sepala basi pilis hispida. — Synonyna forsan ad microcarpam aut micrantham potiùs referenda?

6. Adonis flammea.

A. calyce basi hispido, petalis planis oblongis acutis calyce longioribus, carpellis in capitulum cylindraceum dispositis, caule ramoso, flore magno pedunculato.

Eranthemum flore flammeo. *Besl. h. Eyst. æst. ord.* 5. *t.* 11. *f.* 3.

A. flammea *Murr. syst.* 514. *Jacq. fl. austr.* 4. *t.* 355. *Schult. fl. austr. ench.* 2. *p.* 46. *Willd. sp.* 2. *p.* 1304. *Hoffm. germ.* 251.

Hab. inter segetes Austriæ (Jacq.) Brunsvigii (Hoffm.). ⓘ fl. jul. aug. (v. v. c.)

Caulis ramosus glaber aut pilosus; petioli foliorum pilosi; flores pedunculati magni flammei; calycis sepala oblonga acuta basi hispida; petala linearia acuta, calyce duplò ferè longiora, 8-9 lin. adæquantia.

7. Adonis æstivalis.

A. calyce basi hispido, petalis planis oblongis obtusis calyce duplò longioribus, carpellis reticulatis in spicam elongatam laxam dispositis, caule subsimplici.

Αργεμωνη *Diosc. ed. Sarr. l.* 2. *c.* 208. *ex Sibth. prod.* 1 *p.* 379.

Anemone agrestis. *Trag. stirp.* 126. *ic.*
Anemone tenuifolia. *Cord. adnot.* 151 *ic.*
A. sylvestris flore phæniceo. *C. Bauh. pin.* 178.
A annua flore minimo spica tenui longissima. *Moris. oxon. s.* 6. *t.* 9. *f.* 4.
Ranunculus arvensis foliis chamæmeli flore phæniceo. *Tourn. inst.* 291.
A sylvestris flore phœniceo. *Weinm. phyt. t.* 27. *f.* d-e-f.
A. æstivalis. *Lin! sp.* 772. *Sm! fl. brit.* 587. *in notâ.*
A miniata. *Jacq. fl. austr. t.* 354. *Hoffm. germ.* 1. *p.* 251.
Hab. inter segetes Galliæ australis, Italiæ, etc. ⓘ. (v. v. sp.) fl. junio-julio.
Caulis elongatus; flores pedunculati parvi intensè phœnicei; petala plana oblonga obtusa 3-4 lin. longa; carpella ovata reticulata inter se nullo modo contigua sed distantia in spicam laxam pollicem et ultrà longam disposita.

8. Adonis dentata.

A. calyce basi hispido, petalis planis ovali-oblongis, calyce paulò longioribus, carpellis basi tuberculato-dentatis reticulatis in spicam elongatam continuam digestis.

α. *Orientalis*, petalis flavis.

A. dentata. *Delile! fl. æg. ill. p.* 17. *Descr. æg. t.* 53. *f.* 1.

β. *Provincialis*, petalis flammeis.

Hab. inter segetes et in aridis α Ægypti *Delile*, *Nectoux*, et in insulâ Cypro *Labillardiere*. β in Galloprovinciâ inter Digne et Colmars. ⓘ (v. α. s. sp. et β. v. sp.)
Caulis striato-angulosus durus ramosus: flores breviter pedunculati. var. α petalis ovalibus flavis ungue nigricante; fructibus ad basin echinato-dentatis rugulosis dorso minùs cristatis in spicam tenuem digestis. var. β petalis oblongis flammeis; fructibus ad basin minùs tuberculato-dentatis contiguis et cristis quasi mutuò incumbentibus continuis in spicam pollicem longam dispositis.

Sect. II. CONSILIGO.

CAR. Petala 8-15 semper oblonga plana. Stam. 25-30. Cariopsides in capitulum ovatum dispositæ ovatæ stylo uncinato recurvo rostellatæ.—Radices perennes ad collum crassæ nigricantes fasciculato-fibrosæ.

9. Adonis vernalis.

A. foliis radicalibus infimisve abortivis ad squamas subvaginantes reductis, mediis et summis sessilibus, carpellis velutinis, petalis 10-12 oblongis subdenticulatis.

Elleborus niger verus. *Trag. hist.* 206. *ic.*
Pseudo-Elleborum. *Math. comm.* 646. *f.* IV.

Helleborine tenuifolia. *Cord. annot.* 92 *et* 93. *f.* 1.
Helleborus ferulaceus. *Lob. adv.* 345. *Theatr. flor. t.* 66.
Buphthalmum. *Dod. cor.* 248. *ic. Pempt.* 261. *ic.*
Helleborus Hippocratis. *Tab. ic.* 721. *f.* 2. *Blackw. herb. t.* 504.
Buphthalmum Dodonæi. *Clus. hist.* 1. *p.* 333. *f.* 1. *Cam. hort.* 32. *Debry. floril. nov. t.* 106.
Pseudo-Helleborus sive Consiligo Mathioli. *Dalech. Lugd.* 1638. *f.* 1.
Pseudo-Helleborus niger. *Besl. h. Eyst. hiem. t.* 4. *f.* 3.
Helleborus niger tenuifolius buphthalmi flore. *C. Bauh. pin.* 186.
Helleborus niger ferulaceus sive Buphthalmum. *Park. par.* 291. *f.* 6.
Elleboro nero falso. *C. Dur.* 168. *ic.*
Buphthalmum Dodonæi aliis Consiligo tenuifolia. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 637. *ic. pess.*
Ranunculus fœniculaceis foliis hellebori nigri radice. *Magn. hort.* 168. *Tourn ! inst.* 291.
A. hellebori radice buphthalmi flore. *Boerh. ind. alt. Mill. ic. p.* 9. *t.* 14. *f.* 1.
A. perennis præcox flore luteo caule plano. *Moris. Oxon.* 3. *p.* 26. *s.* 6. *t.* 9. *f.* 1.
Elleborus ferulaceus Lobelii, Buphthalmum Dodonæi, fortè Pulsatilla lutea Corvini. *Barr. ic. p.* 57. *t.* 1178.
A. radice perenni flore dodecapetalo. *Lin. fl. suec.* 456-492. *hort. cliff.* 231. *Hall. helv. n.* 1157. *
A. vernalis. *Lin ! sp.* 771. *Mill. dict. n.* 3. *Scop. carn. n.* 678. *Gou ! ill. p.* 33. * *Poll. pal. n.* 526. *Gærtn. fruct.* 1. *p.* 355. *t.* 74. *Curt. bot. mag. t.* 134. *Schkuhr. handb. n.* 1490. *t.* 152. *Fl. fr ! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 887. *
A. helleborus. *Crantz. austr.* 2. *p.* 82.
A. Apennina. *Jacq. austr. t.* 44. *Murr. syst. veg.* 427. *Schult. fl. austr. ench.* 2. *p.* 46.
A. vernalis *α. Lam ! dict.* 1. *p.* 45. *ill. t.* 498. *f.* 3.

β. Mentzelii.

Helleborus niger ferulaceus sive Pseudo-helleborus caule geniculato flore magno instar Tulipæ. *Mentz. pug. t.* 3. *f.* 1.

A. perennis flore luteo magno flore geniculato. *Moris. Oxon.* 3. *p.* 26. *t.* 9. *f.* 2. *ic. Mentz.*
Ranunculus fœniculaceis foliis humilior caule geniculato flore magno. *Tourn. inst.* 291.
A. Apennina. *Lin ! sp.* 772.
A. vernalis *β. Lam. dict.* 1. *p.* 45.

γ. Sibirica. Patrin.
Adonis. *n.* 43. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 200.

Hab. in collibus et vallibus apricis montium Sibiriæ (*Gm.*), OElandiæ *Lin.* Germaniæ, Galliæ, Helvetiæ, Italiæ. ♃. fl. primo vere post nivem solutam (v. v. sp.).
Icon Mentzelii certissimè ad A. vernalem nec ad sequentem pertinet. Adonidis Apenninæ specimen in herbario Linnæano servatum provenit è plantâ in horto Upsaliensi cultâ subramosâ et etiamsi foliis radicalibus carens ad A. vernalem nec ad sequentem me judice referendum est. — Var. *γ*, quam ad Obum flumen circa Barnaoul legit cl. Patrin, non differt à nostrâ nisi flore majore.

10. Adonis Pyrenaïca.

A. foliis radicalibus longè petiolatis, petiolo trifido, segmentis multipartitis, summis sessilibus, carpellis glabris, petalis 8-10 oblongo-cuneatis integris.

A. Apennina. *Gmel. itin.* 1. *p.* 81. *Gou! ill. p.* 33. * *fl. fr.! ed.* 3. *v.* 4. *p.* 887. *Poir. suppl.* 1. *p.* 146.* *Lapeyr! abr.* 313. *Pall. nov. act. petrop. v.* x. *non Lin.*

A. Pyrenaïca. *DC! fl. fr.* 5. *p.* 635. *

A. chærophylla. *Fisch! ined. in h. Smith.*

Hab. in valle Eynes Pyrenæorum orientalium *Gou.* prope Ædinburgh in Hungariâ (Towns.), in Taurià (Pall.), ad fluvium Rhymnum *Fischer.* ♃ (v. v. sp.) fl. julio.

Species priori affinis sed certissimè distincta; caulis ultra pedem sæpiùs longus ramosus; foliorum radicalium petioli longi trifidi; flos inter folia suprema anthesi ineunte subsessilis; fructus pediculo valdè elongato longè exsertus; petala 8-10 minora et obtusiora quàm in A. vernali; fructus, etiam immaturus, glaber.

IX. HAMADRYAS.

Hamadryas. *Comm. in* Juss. *gen.* 232. Lam. *Dict.* 3. *p.* 67.

Fruct. Flores abortu dioïci. Calyx 5-6-sepalus; Petala 10-12 linearia longa. ♂ stam. ∞ brevia. ♀ ovaria ∞ congesta; stigmata sessilia. Carpella 1-sperma ovata.

Veg. Herbæ pusillæ Ranunculi facie; folia radicalia tomentosa petiolata palmatipartita, partit. inciso-dentatis. Scapus tomentosus, foliis vix longior, 2-4-florus; flores lutei alterni subspicati sessiles ad apicem scapi aggregati.

Obs. Fructus non satis notus et ideò locus generis in ordine incertus.

Hab. In montanis frigidis Americes meridionalis australioris.

1. Hamadryas Magellanica.

H. calyce glabro, foliis supernè glabris tripartitis, lobis inciso-partitis.

H. Magellanica. *Lam! dict.* 3. *p.* 67.* *Willd. sp.* 4. *p.* 833. *Pers! ench.* 2. *p.* 629.

Hab. in nemoribus montosis ad fretum Magellanicum. *Commerson.* ♃ (v. s. sp.).

Herba semipalmaris erecta; radicis collum fibrillosum; folia radicalia 3-4; petioli basi in vaginam glabram dilatati, cæterùm villo albo subtomentosi; limbus subtùs villoso-tomentosus, supernè glaber, tripartitus, partitio-

nibus incisis, lobis plurimis acutis margine villosis; scapus foliis paulò longior hirsuto-canus.

2. Hamadryas tomentosa.

H. calyce tomentoso, foliis supernè arachnoïdeo-villosis 5-7-fidis, lobis oblongis aut subtrifidis.

Hab. in declivibus montium Americes meridionalis australis in Staten-Land. *Menzies.* (v. s. ♀ in h. Lamb.) fl. febr. ineunte.

Radicis collum fibrillis erectis confertis foliorum veterum vestigiis vestitum. Herba erecta, tota albido-tomentosa; folia radicalia 2-3, petiolo tomentoso teretiusculo 4-5 poll. longo, limbo suborbiculato subtùs valdè tomentoso cano, supernè arachnoïdeo basi cordato 5-7-fido, lobis oblongis integris aut subtrifidis latis subacutis; scapus petiolis paulò longior simplex tomentosus; flores 2-3 sessiles ad apicem scapi conferti; calyx hirsutus; ovaria circiter 20 aggregata in capitulum hemisphæricum; cariopsides ovatæ striatæ stylo brevi acuminatæ; semen ovatum.

X. HECATONIA.

Hecatonia. Lour. *fl. coch.* 1. *p.* 370. — Adonidis sp. Willd. *ed. Lour. l. c.*

Fruct. Calyx 5-sepalus, sepalis concavis reflexis. Petala 5 ovata plana calyci subæqualia. Stam. 18 basim gonophori elongati circumstantia. Ovaria circiter 100, stylo nullo, stigmate punctiformi; carpella lenticularia eidem receptaculo elevato imposita.

Veg. Herbæ Chinenses annuæ; caules ramosi; folia ternata; pedunculi 1-flori; flores lutei terminales.

Obs. Genus omninò mihi ignotum et valdè incertum; Willdenowius ad Adonidem sine dubio Hecatoniam revocavit, sed differre videtur calyce reflexo nec adpresso, cariopsidibusque lenticularibus nec ovatis stylo mucronatis, tandem foliis ternatis nec multifidis.

1. Hecatonia palustris.

H. caule foliisque glabris, ovariis in cylindrum collectis.

H. palustris. *Lour. fl. coch* 371.

Hab. in locis humidis propè Cantonem Sinarum (Lour.). ⊙

Caulis herbaceus pedalis crassus tubulatus lævis ramosus; folia ternata, cuneiformia, incisa, glabra, petiolata; flos luteus parvus; pedunculi solitarii subterminales; fructus cylindraceus ex receptaculo cariopsidibus tecto in longum extenso (Lour.).

2. Hecatonia pilosa.

H. caule foliisque pilosis, ovariis in globum collectis.

H. pilosa. *Lour. fl. coch.* 371.
Hab. prope Cantonem Sinarum (Lour.) ⊙
Caulis 8 poll. longus erectus pilosus ramosus; folia ternata lanceolata pilosa serrata, aliqua trifida; flos luteus terminalis; pedunculi solitarii; ovaria et carpella acuminata in capitulum globosum disposita (Lour.).

XI. KRAPFIA.

Fruct. Calyx petaloïdeus 5-6-sepalus, sepalis suborbiculatis conniventibus. Petala o. Stam. ∞. Cariopsides ∞, ovatæ, vix compressæ, stylo persistente non accreto uncinatæ, minimè striatæ, oculo armato pubescentes, 1-spermæ. Semen intra peric. pendulum.

Veg. Herba Chilensis, foliis radicalibus petiolatis ovato-orbiculatis grossè dentatis, caulibus 1-floris simplicibus folia nonnulla parva gerentibus, calyce purpurascente ferè ut in Trollio connivente.

Obs. Genus distinctum ab Anemone ob involucri defectum et pericarpiorum formam. Habitus Ranunculi sed petala vera nulla et semen apice pericarpii appensum nec erectum. Flos Trollii sed carpella 1-sperma indehiscentia.

Nom. Dixi in honorem Caroli Krapfii qui innumeris experimentis naturam succi acris Ranunculorum illustravit.

1. Krapfia ranunculina.

Anemone pubescens, vulgò *Polison. Domb. herb!*
Hab. in Chili circa Huasa-Huasi. *Dombey.* ♃ (v. s. sp. in H. Mus. Par.).
Radix ignota; folia radicalia 2-3, petiolo basi imprimis villoso, in aliis 2 poll. in alteris pedem longo, limbo suborbiculato basi subcordato apice subtrifido, latè grossèque paucis dentibus inciso, atroviridi, utrinque subvilloso; scapus 6-10 poll. longus simplex villosus 1-florus rarò subramosus biflorus; involucrum nullum sed folia caulina 1-3 alterna, inferiora cuneata subpetiolata apice trifida, superiora linearia integra; flos terminalis; sepala 5 (ex sicco videntur purpurascentia) orbiculata, ferè ut in Trollio Europæo conniventia, obtusissima, extùs pubescentia, Trollii circiter magnitudine; stamina sepalis dimidio breviora.

Tribus tertia. — RANUNCULEÆ.

Car. Æstivatio calycis et corollæ imbricata. Petala 5-15 ad unguem squamulâ intùs aucta et indè bilabiata labiis

valdè inæqualibus. Antheræ ovales extrorsæ. Carpella monosperma, indehiscentia, exsucca, apice stylo persistente aut accreto mucronata. Semen intra pericarpium erectum, corculo minimo ideò in fructu infero. — Caules herbacei interdùm subnulli; folia radicalia aut alterna. Involucra nulla; flores solitarii ad apicem caulis simplicis aut ramorum in corimbum sæpiùs dispositorum. Petala colore varia sed nunquàm cærulea, in floribus plenis semper omnia basi unguiculata.

XII. MYOSURUS.

Adoniæ sp. Pluk. — Ranunculi sp. Ray. Tourn. — Myosurus *Dill. nov. gen. in fl. giess. p.* 106. *t.* 4. — Myosurus Lin. *gen. n.* 394. Gærtn. *fr.* 1. *p.* 354. *t.* 74. Juss. *gen.* 233. Lam. *Ill. t.* 221.

Fruct. Calyx 5-sepalus, sepalis basi solutis seu ultrà insertionem deorsum longè productis. Petala 5 ungue filiformi tubuloso. Stamina 5-20. Ovaria et dein cariopsides plurimæ, triquetræ, confertissimæ, receptaculo longissimo spicatìm dispositæ, stylo recto subacuminatæ.

Veg. Herba Europæa annua glabra minima; folia radicalia linearia integerrima. Scapi foliis circiter æquales 1-flori erecti; flos parvus; fructus longissimus caudam muris (undè nomen) æmulans.

Obs. Ambigit inter secundam tertiamque ordinis divisionem. Cariopsides erectæ; semina intra fructum pendula; embryo evidenter quidem inversus et radicula supera est: quoniam vero receptaculo non oppositus sed prope ipsum umbilicum collocatus est ipsa quoque radicula inferum reverà tenet locum ut in Ranunculo (Gærtn.). — Lepismata 2 minima ad basin ovarii cujusque vidit cl. Gilibert.

1. Myosurus minimus.

Holosteon. *Lonic. bot.* 2. *p.* 18. *f.* 1.
Cauda murina. *Dod. pempt.* 112. *f.* 1. *Dalech. lugd.* 1328. *f.* 3.
Holosteon Loniceri. *Dalech. lugd.* 1189. *f.* 1.
Myosuros cauda-muris. *Tab. ic.* 241. *f.* 1. *Lob. ic.* 440. *f.* 1. *adv.* 187.
Holosteo affinis cauda muris. *C. Bauh. pin.* 190.
Myosuros. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 2. *p.* 512. *ic. Hall. helv. n.* 1159.
Mousetail. *Petiv. engl. herb. t.* 39. *f.* 7.
Adonia pusilla vegetalis foliis spissis flore obsoleto spicâ caudam murinam æmulante. *Pluk. alm.* 12.

Ranunculus gramineo folio flore caudato seminibus in capitulum spicatum congestis. *Tourn! inst.* 293.

Myosurus minimus. *Lin! sp.* 407. *Gmel. itin.* 2. *p.* 198. *t.* 31. *fl. dan. t.* 406. *Poll. pal. n.* 324. *Curt. fl. lond. t.* 251. *Gunn. fl. norv. n.* 759. *Lam! ill. t.* 221. *Willd. sp.* 1. *p.* 1568. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 906.* *Schkuhr. handb. t.* 88. *Gmel. fl. bad.* 1. *p.* 757.* *Sturm. fl. germ. ic. Boiss. fl. eur.* 6. *t.* 237.

Myosuros cauda-muris. *Gilib. in Ust. del.* 2. *p.* 421.

Hab. in apricis pinguibus et agris hieme inundatis totius ferè Europæ, circa Petropolim, Monspelium, etc. Fl. vere. ⊙ (v. v. sp.).

Variat, 1°. scapis foliis brevioribus aut longioribus, 3-8 ex eâdem radice ortis; 2°. sepalorum petalorumque numero.

XIII. CERATOCEPHALUS.

Melampyri sp. C. Bauh. — Adoniæ sp. Pluk. — Ranunculi sp. Tourn. Lin. — Myosuri sp. Lin. *h. cliff.* — Ceratocephalus Moench. Pers. *non* Vaill.

Fruct. Calyx 5-sepalus subpersistens, sepalis basi non productis; Petala unguiculata; Stam. 5-15. Carpella ∞ secus rachin persistentem longè spicata, basi utrinque gibba, apice producta in cornu compressum semine sextuplò longius; semen tetragonum. Embryo erectus.

Veg. Herbæ annuæ pusillæ ad Myosurum habitu et fructuum dispositione accedentes; folia omnia radicalia irregulariter in lobos lineares ramoso-partita; scapus uniflorus; flos parvus luteus; tomentum molle sæpè herbam et fructus ipsos obtegens deciduum. Radicellæ secundariæ 5 verticillatæ coleorhizatæ (St. Hil.).

Obs. Genus medium inter Myosurum et Ranunculum, Ranunculo tamen nimis affine (Conf. St.-Hil. in ann. mus. 19. p. 463.), sed habitu, pericarpio utrinque gibbo, semine tetragono, calyce subpersistente et cornu fructûs longissimo distinctum. Plurimæ tamen Ranunculi species habent pericarpia stylo persistente plus minùsve cornuta, tales sunt R. cornutus, R. Orientalis, etc.

1. Ceratocephalus falcatus.

C. pericarpiorum cornubus falcatis subascendentibus.

Melampyrum perpusillum luteum. *Lob. adv. nov. p.* 111. *ic. Park. theat.* 1328.

Melampyrum luteum minimum. *C. Bauh. pin.* 234.

Ranunculus ceratocephalus seminibus falcatis in spicam adactis. *Moris præl.* 299. *hist.* 3. *p.* 440. *s.* 4. *t.* 28. *f.* 22. *Tourn! inst.* 289. *Ray. hist.* 583.

Adonia pusilla segetum foliis tenuibus trifidis, etc. *Pluk. alm.* 11.
Ranunculus apiifolius capitulo alopecuri. *Magn. bot. monsp.* 218.
Cratæogonum pumilum luteum absinthii folio hispanicum. *Barr. ic. p.* 57. *t.* 375 *et* 376. *f.* 2.
Ranunculus alopecuroïdes ajugæ foliis. *Bocc. sic.* 28. *t.* 14. *f.* 2. 3.
Myosurus foliis ramosis. *Lin. h. cliff.* 117.
Ranunculus foliis filiformi-ramosis, calycibus appendiculatis. *Lin. h. ups. p.* 157. *Sauv. monsp.* 205. *Ger. Gallopr.* 388.
Ranunculus falcatus. *Lin ! sp.* 781. *Jacq. fl. austr. t.* 48. *Poir! dict.* 6. *p.* 122. * *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 900. * *Bir! ren.* 47. *S.-Hil. in ann. Mus.* 19. *p.* 463. *
Ranunculus testiculatus. *Crantz. austr.* 2. *p.* 97.
Ceratocephala spicata. *Mœnch. meth.* 218.
C. falcatus. *Pers. ench.* 1. *p.* 341.
Hab. inter segetes totius regionis Mediterraneæ, in Hispaniâ, *Pourr.*; Galliâ australi, Italiâ, *Bocc.*; Hungariâ (Towns.), Austriâ (Cr.), in Argolicis et Arcadiensibus arvis (Sibt.), Damasci, *Labill.* ⊙ fl. vere (v. v. sp.).
Variat, 1°. herbâ ferè glabrâ aut in apricis calidioribus omninò tomento albo cooperta; 2°. scapis nunc folio brevioribus imò ferè nullis, nunc in iisdem sæpè speciminibus folio duplò triplòve longioribus.

2. Ceratocephalus orthoceras.

C. pericarpiorum cornubus rectis.

Ranunculus falcatus. *Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 29. *excl. syn.*
Hab. frequens in campis incultis Tauriæ, *Bieb.*; et Sibiriæ australis, *Demidow.* ⊙ (v. s. sp.).
Simillimus priori et forsan hujus mera varietas; differre videtur staturâ paulò minori, superficie totâ etiam pericarpiorum lanugine albâ constantiùs vestitâ, et præsertim pericarpiis in cornu subulatum rectum et brevius desinentibus.

XIV. RANUNCULUS.

Ranunculus C. Bauh. *pin.* 180. Hall. *helv.* 2. *p.* 68. Goertn. *fr.* 1. *p.* 353. *t.* 74. Pers. *ench.* 2. *p.* 1363. — Ranunculi sp. Tourn. *inst.* 285. Lin. *gen. n.* 699.

Fruct. Calyx 5-sepalus, sepalis basi non solutis deciduis. Petala 5 rariùs 10 intùs basi squamulâ foveolâve nectariferâ instructa. Stam. ovariaque ∞; Cariopsides ovatæ subcompressæ, in mucronem aut cornu semine vix longius desinentes, læves striatæ aut tuberculatæ, in capitulum globosum cylindraceumve dispositæ.

Veg. Herbæ annuæ aut sæpiùs perennes. Radices fibrosæ, fasciculatæ aut grumosæ; caules teretes, erecti procumbentes aut interdùm radicantes; folia integra dentata aut multifida,

pleraque radicalia, caulina ad originem ramorum pedunculorumque sita. Pedunculi terminales axillares aut oppositifolii; flores albi aut lutei, rarissimè purpurei, ferè omnes inodori.

Vir. Herbæ acres, extùs applicatæ rubefacientes vesicatoriæ, intùs exhibitæ subvenenatæ; antidotum est aqua et acetum. Acriores sunt inter Europæanos R. sceleratus, R. acris, R. arvensis, R. lingua, R. flammula, etc. mansuetiores R. aquatilis, R. pantothrix, etc. omnes sicci ferè inertes.

Hab. Species 140 huc usque cognitæ per totum ferè orbem et in stationibus diversissimis dispersæ sunt, nempè 44 in Europâ mediâ et boreali, 27 in regione Mediterraneâ aut Orientali, 9 in Sibiriâ, 3 in Japoniâ, 9 in Australasiâ, 2 in insulis Mauritianis, 32 in Americâ totâ è quibus 13 in Am. boreali, 4 in Mexico, 15 in Amer. meridionali, 12 tandem duobus orbibus communes! Quoad stationes 30-40 in montanis excelsioribus frigidioribus Europæ, Asiæ borealis et Americæ equinoxialis, 30-40 in palustribus inundatisve totius orbis, 20-30 in pratis pinguibus Europæ et Americæ borealis, 15-25 in apricis oleraceisque præsertìm regionis Mediterraneæ et Orientalis, 2 in salsuginosis.

Obs. Pericarpia sunt sæpiùs spicatìm secus rachin elongatam disposita in speciebus radice grumosâ donatis, in capitulum subglobosum aggregata in aliis. — Batrachia sunt forsan genericè distinguenda ob pericarpia transversè striata, petala basi foveam nectariferam nec squamulam veram gerentia et habitum. — Squamularum et Pericarpiorum formæ in plurimis exoticis nondùm sunt cognitæ, et his momentosis caracteribus deficientibus, coactus fui ad admittendam classificationem non satis naturalem et verosimiliter in posterum emendaturam.

Div. Ex fructibus, floribus, radicibus, foliisque, nempè:

I. Batrachium. Pericarpia transversè rugoso-striata. Petala alba ungue flavo foveâ nectariferâ notato. . . . Sp. 1-5.

II. Ranunculus. Pericarpia lævia aut echinata. Petala basi squamulâ aucta. . . . . Sp. 5-133.

§. 1. Floribus albis, foliis multifidis dentatisve. Sp. 5-15.

§. 2. Floribus albis, foliis integerrimis. . . Sp. 16-19.

§. 3. Floribus luteis, foliis integerrimis, radice fasciculatâ. . . . . Sp. 20-21.

§. 4. Floribus luteis, foliis integris dentatisve, radice fibrosâ. . . . . Sp. 22-37.

§. 5. Floribus luteis, foliis dentatis multifidisve, radice grumosâ. . . . . Sp. 38-62.

§. 6. Floribus luteis, foliis incisis multifidisve, radice fibrosâ, pericarpiis lævibus. . . . . Sp. 63-124.

§. 7. Floribus luteis, foliis dentatis incisis multifidisve, radice fibrosâ, pericarpiis tuberculosis echinatisve. . . . . Sp. 125-134.

†. Ranunculi non satis noti. . . . . Sp. 135-141.

††. Ranunculi vix noti aut dubii. . . . . Sp. 142-155.

Sect. I. BATRACHIUM.

Ranunculoïdes. VAILL. *bot.* 170.

CAR. Pericarpia ovata mutica rugulis transversis striata. Flores albi ungue flavo foveolâ ad basin nectariferâ exsquamulatâ. — Plantæ aquaticæ; folia glaberrima, emersa dentata sublobata, immersa capillaceo-multifida; radices fibrosæ; pedunculi uniflori oppositifolii.

1. Ranunculus hederaceus.

R. caule repente, foliis subreniformibus sub-3-5-lobis, lobulis latis integris obtusissimis, petalis oblongis calyce vix longioribus, staminibus 5-12, carpellis glabris.

R. hederaceus Dalechampii. *Dalech. lugd.* 1031. *f.* 2? *Moris. hist.* 2. *p.* 441. *s.* 4. *t.* 29. *f.* 29?

R. aquaticus luteus (*lege* albus). *C. Bauh. pin.* 180?

R. hederulæ folio aquaticus. *Park. Theat. ex Ray. hist.* 586.

R. hederaceus rivulorum se extendens atrâ maculâ notatus. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 782. *f.* 2?

R. aquaticus hederaceus albus. *Ray. hist.* 586.

Ivy-crow-foot. *Petiv. engl. t.* 38. *f.* 12.

R. hederaceus flore albo parvo. *Tourn! inst.* 286.

R. aquaticus hederaceus flore albo parvo. *Vaill! bot.* 169.

R. foliis integerrimis subtrilobis, etc. *Lin. h. cliff.* 231. *Guett. obs.* 1. *p.* 269.

R. hederaceus. *Lin! sp.* 781. *Poll. pal. n.* 538. *Curt. fl. lond. ic. Smith! fl. brit.* 595.* *Engl. bot. t.* 2003. *Rees cycl. n.* 84. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 374.* *Berg. fl. bass. pyr.* 2. *p.* 407. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 894.* *Drav. et Hayn. pl. eur. t.* 106.

R. hederæfolius. *Salisb. prod.* 373.

R. hederaceus, var. *a. Thor. chl. land.* 242. *DC! syn. p.* 417.

Hab. ad scaturigines et fontes in aquis vadosis locisque inundatis Europæ occidentalis, nempè Islandiæ (Hook.)., Angliæ, *Ray*; Galliæ septentr.

et occid., Hispaniæ (Asso), Lusitaniæ (Brot), Algeriæ (Desf.), et in Americâ boreali circa Charlestown, *Beauvois.* ♃ fl. æstate.

Synonyma omnia signo ? notata æquo jure ad R. tripartiti var. β pertinere videntur : icones Dalechampii et J. Bauhini R. hederaceum referunt ob caules repentes et var. β R. tripartiti ob folia trifida, flores majores, petala obtusissima. — Forsan R. hederaceus, *Poll. Gmel. Vill. All. Poir. Sut.* et uno verbo omnium autorum qui plantam longè ab oris Europæ occidentalibus collegerunt, etiam ad R. tripartiti var. β referendus.

2. Ranunculus tripartitus.

R. caule natante, foliis submersis capillaceo-multifidis, emersis tripartitis, lobis cuneatis apice dentatis, carpellis glabris.

α. *Micranthus*, petalis oblongis acutiusculis calycis longitudine.

R. hederaceus β. *Thor! chl. land.* 242. *DC! syn.* 417.
R. tripartitus. *DC! ic. Gall. rar.* 1. *p.* 15. *t.* 49. *Fl. fr. ed.* 3. *v.* 5. *p.* 637. *Lois. not.* 91. *Bast. fl. ang.* 204. *Merat. fl. par.* 217.

β. *Obtusiflorus*, petalis obovatis obtusis calyce longioribus.
Water crowfoot. *Petiv. engl. herb. t.* 39. *f.* 1.

Hab. in fossis scaturiginibus inundatisque Galliæ occidentalis. ♃ (v. v. sp.).
Species omninò media inter R. hederaceum et aquatilem. Var. α convenit cum R. hederaceo floribus fructibusque ex omni parte simillimis, cum R. aquatili herbâ, habitu et foliis præsertìm, omninò comformibus : var. β magis accedit ad R. aquatilem ob petala obovata calyce evidenter majora, sed R. hederaceum refert foliis immersis ferè nullis et præsertìm pericarpiis glabris nec hispido-setosis. An duæ varietates ut species propriæ habendæ? An utraque potiùs R. hederacei et R. aquatilis hybrida progenies ?

3. Ranunculus aquatilis.

R. caule natante, foliis submersis capillaceo-multifidis, emersis tripartitis, lobis cuneiformibus apice dentatis, petalis obovatis calyce majoribus, carpellis setis rigidis hispidis.

Βατραχιον τετραφυλλον. *Diosc. ed. sarr. c.* 206. *ex. Sibth. prod.* 1. *p.* 385.
R. aquatilis. *Lin! sp.* 781. *fl. suec. n.* 509. *fl. lapp. n.* 234. *Gmel. sib.* 4. *p.* 207. *n.* 55. *Gunn. fl. norv. n.* 646. *Rein. mem. suiss.* 1. *p.* 149.* *Smith! fl. brit.* 2. *p.* 596.* *Engl. bot. t.* 101. *Rees cycl. n.* 85. *DC! fl. fr. ed.* 3. *n.* 894.* *Bir! ran.* 32. *t.* 1. *f.* 18 *et* 27. *Wahlemb. fl. lapp. n.* 291.* *Desf! atl.* 1. *p.* 442.* *Gmel. bad. n.* 846.*

α. *Heterophyllus*, foliis emersis tripartitis non peltatis (1).

R. fluviatilis. *Tab. ic.* 54. *f.* 2.

---

(1) Plurima synonyma præsertim veterum huic et sequenti varietati sunt communia.

R. aquaticus folio rotundo et capillaceo. *C. Bauh. pin.* 180. *Tourn ! inst.* 291. *Weinm. phyt. ic. t.* 853. *f. a.* (1).
R. aquatilis. *J. Ger. hist.* 829. *f.* 2. *Ray. hist.* 586.
R. fluitans petiolis unifloris, etc. *Hall. helv. n.* 1163. *
R. capillaris. *Gat. fl. montaub.* 102.
R. heterophyllus. *Hoffm. fl. germ.* 197. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 374. *Berg. fl. bass. pyr.* 2. *p.* 404.
R. diversifolius. *Schranck. fl. bav.* 103.

β. Peltatus, foliis emersis orbiculatis trilobis peltatis.

R. aquatilis. *Dod. pempt.* 587. *f.* 2.
R. aquaticus hepaticæ facie. *Lob. ic.* 2. *p.* 35. *f.* 2. *Moris. hist.* 2. *p.* 442. *s.* 4. *t.* 29. *f.* 31.
R. aquatilis albus tenuifolius. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 781. *f.* 1.
R. aquatilis albus luteo et fœniculi folio Italicus. *Barr. ic. p.* 57. *t.* 565.
R. peltatus. *Mœnch. meth.* 214. *Schranck. fl. bav.* 103.
Hab. in fossis, aquilegiis, aquis stagnantibus planitierum montiumque demissorum totius ferè Europæ, Asiæ occidentalis, Africæ Mediterraneæ et etiam Americes borealis et orientalis. ♃ Fl. vere et æstate (v. v. sp.).
Species distincta non tantùm foliis in iisdem individuis biformibus, sed pericarpiis hispidis setas nempè gerentibus rigidulas primùm confertiores, demum in dorso imprimis remanentes; petala obovata semper calyce majora; stamina 12-24.
Foliorum superiorum quorumdam limbi interdùm in lacinias subcapillaceas dissecti, verosimiliter cum planta aquæ elevatione intempestivâ usque ad apicem inundatur. (Conf. *Biria. diss. ren.* t. 1. f. 27).

4. Ranunculus pantothrix.

R. caule natante, foliis omnibus capillaceo-multifidis, petalis obovatis calyce majoribus, carpellis glabris.

R. pantothrix. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 375. *
R. fluviatilis. *Wahlemb. veg. helv. n.* 597.

α. Capillaceus, foliis circumscriptione suborbiculatis, omnibus immersis in lacinias divergentes tenues dissectis.

Millefolium marathriphyllum tertium flore et semine R. aquatici hepaticæ facie. *Lob. ic.* 791. *f.* 1. *J. Ger. hist.* 827. *f.* 2.
R. aquaticus capillaceus. *C. Bauh. pin.* 180. *Tourn. inst.* 291. *Moris. hist.* 2. *p.* 442. *s.* 4. *t.* 29. *f.* 32.
R. aquatilis omninò tenuifolius. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 781. *f.* 2. *Ray. hist.* 586.
Fine trimed water crowfoot. *Petiv. engl. herb. t.* 39. *f.* 4.
R. aquaticus albus fœniculi folio. *Barr. ic. p.* 57. *t.* 566. *Weinm. phyt. t.* 853. *f. c.*
R. n. 1162. var. *α. Hall. helv.* 2. *p.* 69.
R. trichophyllus. *Chaix in Vill. dauph.* 1. *p.* 335.
R. divaricatus. *Mœnch. meth.* 214.

(1) Flos in icone falso pingitur luteus.

R. capillaceus. *Thuil! fl. par. ed.* 2. 1. *p.* 278. *Gmel. bad. n.* 847.
R. aquatilis var. A. *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 242. *Schkuhr. handb. t.* 152.
R. pectinatus. *Dub. meth. orl.* 454.

β. Cæspitosus foliis omnibus emersis circumscriptione suborbiculatis in lacinias divergentes rigidulas dissectis, petiolis basi latè vaginato-auriculatis.

Fine water crow foot. *Petiv. engl. herb. t.* 39. *f.* 3.
R. aquaticus albus circinnatis tenuissimè divisiis foliis. *Pluk. alm.* 311. *t.* 55. *f.* 2.
R. n. 1162. var. *β. Hall. helv.* 2 *p.* 69.
R. rigidus. *Pers. in Hoffm. fl. germ.* 4. *p.* 257.
R. cæspitosus. *Thuil. fl. par. ed.* 2. 1. *p.* 279.
R. aquatilis var. B. *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 443. *Schkur. handb.* 2. *n.* 1527. *t.* 152.
R. pumilus. *Poir! dict.* 6. *p.* 133. *
R. circinnatus. *Sibth. in Smith. fl. brit.* 2. *p.* 596. *Dub. fl. orl.* 454.

γ. Peucedanifolius, foliis omnibus immersis in lacinias longas parallelas dissectis.

Fœniculus aquaticus *Dalech. Lugd.* 1023. *f.* 3.
Millefolium aquaticum. foliis fœniculi ranunculi flore et capitulo. *C. Bauh. pin.* 141. *excl. Lob. syn.*
R. sive polyanthemos aquatili albo affine, millefolium marathriphyllum fluitans. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 782. *f.* 1. *Ray. hist.* 586.
R. aquaticus peucedanifolius fluitans, etc. *Pluk. alm.* 311.
Fennel water crowfoot. *Petiv. engl. herb. t.* 39 *f.* 4.
R. aquatilis albus fluitans peucedani foliis. *Tourn! inst.* 291.
R. n. 1161. *Hall. helv.* 2. *p.* 69.
R. fluitans. *Fl. dan. t.* 376. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 184.
R. peucedanifolius. *All! ped. n.* 1469. *Mœnch. meth.* 214. *Gmel. bad. n.* 848. *
R. peucedanoides. *Desf! fl. atl.* 1 *p.* 444. *
R. fluviatilis. *Willd. sp.* 2. *p.* 1333. *Big. fl. bost.* 139.
Hab. in aquis aquosisve totius ferè Europæ, Asiæ occidentalis, Africæ Mediterraneæ, Americes borealis et orientalis. ♃. fl. vere et æstate. (v. v. sp.)
Differt à prioribus foliis omnibus capillaceo-multifidis, nec superioribus in limbum orbiculatum dilatatis; à R. hederaceo et tripartito distinguitur petalis obovatis calyce majoribus staminibusque numerosioribus; à R. aquatili pericarpiis glabris nec hispidis. Var. *α.* nascitur immersa in aquis stagnantibus motu ferè omninò destitutis et foliorum laciniæ divergentes et æqualiter elongatæ discum suborbicularem conficiunt. — Var. *β.* reperitur in fossis primùm inundatis sed è quibus aqua ferè tota evanuit; notabilis est ob rigiditatem laciniarum. — Var. *γ.* crescit in rivis fluviisque minoribus; foliorum laciniæ aquarum motu elongantur et parallelæ fiunt.
Hæc species omnibus aliis mitior siccata pabuli loco bovibus vaccisve in Angliæ, Galliæ Germaniæque quibusdam pagis tutò offertur.

5. Ranunculus biternatus.

R. caule repente, foliis tripartitis, partitionibus trilobis,

lobis oblongis acutis integris subdentatisve, petalis oblongis calyci æqualibus.

R. biternatus, *Smith! in Rees. Cycl. n.* 48. *
Hab. in aquosis ad fretum Magellanicum. *Commerson.* ♃ ? (v. s. sp.)
Herba pusilla multicaulis tenera glaberrima; caules teretes repentes vix digiti longitudine simplices aut ramosi; folia longè petiolata tripartita ferè trisecta, segmentis trifidis, lobis integris aut utrinque ad apicem dente notatis; pedunculi petiolo ferè longiores teretes; flores albi minores quàm in R. aquatili; petala oblongo-ovalia obtusa ungue flavo angusto substipitata, calycis lævis longitudine; stamina pauca; fructus ignoti.

Sect. II. RANUNCULUS.

Pericarpia lævia aut echinata nec striata, stylo non aut vix accreto acuminata. Petala basi squamulâ aucta. — Flores albi aut lutei aut rarissimè purpurei, terminales aut laterales; pedunculi rarò foliis oppositi.

§. I. *Floribus albis, foliis lobato-multifidis, dentatisve, pericarpiis lævibus.*

6. Ranunculus rutæfolius.

R. foliis pinnatìm sectis, lobis trilobato-incisis multifidis, caule subunifloro, calyce glabro, petalis 8-10, ungue discolore.

R. præcox rutæ folio. *Clus. hist.* 1. *p.* 232. *ic. J. Ger. hist.* 965. *f.* 5. *Debry. floril. nov. t.* 69. *malè.*
R. Alpinus coriandri folio, Clusio rutæ folio. *Pona. bald.* 87. *ic.*
R. rutaceo folio flore suavè rubente. *C. Bauh. pin.* 181. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 414. *Moris. hist.* 2. *p.* 448. *s.* 4. *t.* 31. *f.* 54. *Tourn! inst.* 289.
R. præcox rutæ seu coriandri folio. *Park. par. Ray. hist.* 596.
R. Alpinus coriandri folio flore albo purpurascente. *Barr. ic. p.* 56. *t.* 456.
R. Alpinus fumariæ folio. *Tourn! inst.* 289.
R. rutæfolius. *Lin! sp.* 777. *Wulf. in. Jacq. coll.* 1. *p.* 186. *t.* 6 *et* 7. * *All. ped. n.* 1451 *t.* 67. *f.* 1. * *Vill! dauph.* 3. *p.* 740. * *Lam ! fl. fr.* 3. *p.* 187. *Willd. sp.* 2. *p.* 1319. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 893 * *Biria! diss. ren. p.* 34. *Smith! in Rees cycl. n.* 35. *Wahlemb. carp. n.* 555.
R. caule unifloro, foliis imbricatis pinnatis, pinnis lobatis obtusè palmatis. *Hall. helv. n.* 1165. *
Hab inter scopulos summarum Alpium prope nives deliquescentes ab Austriâ ad Galloprovinciam, in Carpatis (Wahl.) monte Baldo (Pona), Pyrenæis. ♃. fl. æstate.
Caulis digiti longitudine, 1-florus, rarissimè 2-3-florus; folia juniora lobis intùs (ut in Thalictris) replicatis; calyx ut tota planta glaber; petala 6-10 oblonga alba cum ungue aurantiaco.

7. Ranunculus isopyroïdes.

R. folio radicali pinnatisecto, segmentis petiolulatis bis trifidis, caulinis trisectis, calyce glabro, petalis 5 ovalibus.

Hab. in Sibiriâ prope Baïkal. *Pallas.* ♃. (v. s. sp. in h. Banks.)

Radices fibrosæ fasciculatæ, fibris cylindricis tenuibus simplicibus è trunco radicali horizontali ortis; caulis erectus palmaris; herba glaberrima; folium radicale longè petiolatum pinnatisectum, segmentis 5, 2 inferioribus longè-petiolatis tripartitis, partitionibus trifido-incisis, lobulis obtusiusculis, 2 mediis subsessilibus potiùs inciso-partitis quàm regulariter tripartitis, summo tripartito ferè trisecto, partitionibus trilobis incisis; folium caulinum unicum brevius petiolatum trisectum; summa seu floralia sessilia trisecta, segmentis segmento radicalis summo similibus; pedunculi 2-3 ex axillis foliorum superiorum orti aut terminales, 1-2 poll. longi, uniflori; calycis sepala ovata glabra albida; petala 5 ovalia obtusa calyce duplò longiora; ovaria 8-10 lævia.

8. Ranunculus glacialis.

R. foliis radicalibus petiolatis palmatìm tripartitis trisectisve, lobis trifidis, lobulis subobtusis crassiusculis, caule subunifloro, calyce hirsutissimo.

R. montanus purpureus calyce villoso Felicis Plateri. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 862. *f.* 3. *Chabr. sciagr.* 469. *f.* 2. *Moris. hist.* 2. *p.* 448. *s.* 4 *t.* 31. *f.* 55. *Tourn! inst.* 289. *Scheuchz. it. alp.* 1. *p.* 139. *t.* 20. *f.* 1. *opt.*

R. caule bifloro calyce hirsuto. *Lin! fl. lapp.* 233. *t.* 3. *f.* 1. *Fl. Dan. t.* 19.

R. glacialis. *Lin! sp.* 777. *Wulf. in Jacq. coll.* 1. *p.* 189. * *t.* 8. 9. *f.* 1. 2. *Schrank. sal. n.* 519. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1320. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 892. * *Biria! ren.* 34. *Smith! in Rees cycl. n.* 36. *Rein. et Hoh. it.* 193. *ex Hoppe. pl. exs. Wahlemb. carp. n.* 556. *helv. n.* 588.

R. foliis pulposis repetito-trilobis, calycibus villosis. *Hall. helv. n.* 1166. *

Hab. inter scopulos ad nives perpetuas in Alpibus summis ab Austriâ ad Galloprovinciam, in Pyrenæis, montibus Hungariæ (Toums), Lapponiæ, *Lin.*, Islandiæ (Hook). ♃. fl. æstate. (v. v. sp.)

Planta 3-8 pollices longa: scapus 1-3-florus; folia crassiuscula, radicalia petiolata, floralia pauca sessilia; calyces hirsutie fuscâ sericeâ onusti; petala suborbiculata apice obtusè emarginata calycis longitudine.

Variat, 1°. foliis sæpiùs glabris, interdum supremis villosis.

2°. Floribus nunc solitariis, nunc 2-4, omnibus pedunculatis.

3°. Petalis albis aut purpurâ suffusâ rubentibus.

4°. Calycibus hirsutissimis aut senescentibus hirsutie decedente subglabris.

5°. Flore pleno, quæ rara varietas non confundenda cum R. fumariæfolio.

Alpicolæ Delphinenses hanc *Carline* seu *Caralline* vocitant et in aquâ fervidâ infusam sicut vehementem sudorificum in catarrhis rhumatismisve adhibent (Vill.).

9. Ranunculus Seguieri.

R. foliis tripartitis, partitionibus acutis trifidis aut inte-

gris, caule subunifloro, calyce glabro, petalis 5 integris.

R. alter saxatilis asphodeli radice. *Col. ecphr. t.* 313?

R. minor rutæfolius flore simplici grumosâ radice Italicus. *Barr. ic. p.* 57. *t.* 1153. *f.* 2.

R. Alpinus apii folio flore albo magno. *Ponted. comp.* 117. *Seg. veron.* 1. *p.* 490. *t.* 12. *f.* 2. 3.

R. Columnæ. *All! ped. n.* 1453. *t.* 67. *f.* 3. 4. *Wulf. in Jacq coll.* 4. *p.* 345. *

R. Seguieri. *Vill! dauph.* 4. *p.* 737. *t.* 49. *Willd. sp.* 2. *p.* 1320. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 893. 5. *p.* 636. *Smith! in Rees. Cycl. n.* 87.

Hab. inter scopulos et fissuras rapium prope nives perpetuas in Alpibus Galloprovinciæ, Delphinatûs, Pedemontii, Carnioliæ. ♃. fl. æstate (v. v. sp.).

Affinis R. glaciali et R. alpestri. Folia bis seu ter tripartita, lobis acutis; radicalia petiolata; floralia parva sessilia integra aut trifida; caulis 1-florus sæpiùs sub flore villosus; calyx glaber seu apice pilis quibusdam instructus. Petala suborbiculata integra calyce longiora alba ungue concolore.

Variat, 1°. foliis sæpiùs glabris, interdum subtùs et margine hirsutie albâ molli demùm deciduâ instructis.

2°. Scapo 1 aut rariùs 2-4-floro.

10. Ranunculus Alpestris.

R. foliis orbiculatis trilobis, lobis apice lobulato-crenatis obtusiusculis, caule subunifloro, calyce glabro, petalis 5 obcordatis trilobatisve.

R. montanus. *Dod. pempt.* 429. *f.* 3. *malè.*

R. montani species I et II. *Clus. hist.* 1. *p.* 234. *f.* 1. 2? *malè. J. Ger. hist.* 965. *f.* 3. *et forsan f.* 4.

R. Alpinus humilis rotundifolius flore majore et minore. *C. Bauh. pin.* 181. *Moris. hist.* 2. *p.* 448. *s.* 4. *t.* 31. *f.* 57 *et* 58. *malè. Tourn! inst.* 290.

R. minimus Alpinus albus. *Chabr. sciagr.* 468. *f.* 5.

R. Alpinus humilis albus. *Seg. ver.* 1. *p.* 489. *t.* 12. *f.* 1.

R. alpestris. *Lin! sp.* 778. *Scop. carn. n.* 679. * *Crantz. austr. p.* 113. *n.* 7. *Jacq. austr. t.* 110. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 187. *Willd. sp.* 2. *p.* 1322. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 892. * 5. *p.* 636. *Smith! trans. Lin. soc.* 10. *p.* 343. *Rees. cycl. n.* 42. *Wahlemb. helv. n.* 589. *carp. n.* 557.

R. uniflorus foliis lævibus semitrilobis rotundè serratis caulinis ligulatis. *Hall. helv. n.* 1167. *

β. R. Mugellensis. *Ten. cat. h. neap. app.* 1. *p.* 53.

Hab. inter scopulos et in pascuis editioribus Carpatorum (Wahl.), Alpium, Pyrenæorum, Jurassi, Vogesorum. β in Neapolitani regni montibus. ♃ fl. æstate (v. v. sp.).

Folia lævia glabra, radicalia orbicularia rotundè dentata, caulina linearia aut in lobos lineares tres partita; scapus 1-florus 3-4 poll. longus; flos albus ungue concolore.

Variat, 1°. foliis nunc vix trifidis, nunc trifidis, nunc tripartitis.

2°. Flore minore (Clus. l. c. f. 1.) aut duplò ferè majore (id. f. 2).
3°. Petalis obcordatis aut quibusdam aut omnibus trilobatis.
4°. Flore simplici aut (ex Hall.) pleno Bellidem referente.
Var. β mihi ignota, differt juxta cl. autorem à R. alpestri, foliorum lobis crenatis nec tripartitis sed sæpè hanc ipsam variationem in specciminibus à R. alpestri non separandis observavi. An tamen species propria?

11. Ranunculus crenatus.

R. foliis cordato-subrotundis apice crenatis, caule unifloro, calyce glabro, petalis 5 obovatis apice crenatis.

R. crenatus. *Waldst. et Kit. pl. rar. hung.* 1. *p.* 9. *t.* 10.*
Hab. circum perpetuas nives in vallibus montium Hungariæ Marmoriensibus Petrosis dictis adeò copiosus ut solum madidum omne contegat (W. K.). ♃ fl. ineunte æst.
Habitus ferè R. alpestris. Scapus 1-florus digitalis; folia glabra; radicalia petiolata; basi integra, apice crenato-subincisa, incisuris obtusis, sinubus cartilagineis albis; petala alba basi poro mellifero nec squammulâ instructa (W. K.).

12. Ranunculus aconitifolius.

R. foliis palmatìm 3-7-partitis, partitionibus inciso-dentatis, supremis sessilibus in lobos lineari-lanceolatos fissis, caule ramoso multifloro, calycibus adpressis.

R. aconitifolius. *Lin! sp.* 776. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 188. *Scop. carn. n.* 680. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 890.* 5. *p.* 636. *Biria! ren.* 35. *Wahlemb. veg. helv.* 108. *carp.* 555.
R. caule ramoso multifloro, foliis venosis quinquelobis, lobis rhomboïdeis acutis acutè serratis. *Hall. helv. n.* 1164.*

α. *Humilis*, foliis radicalibus 3-5-partitis, bracteis lanceolatis serratis, caule gracili glabro.

Aconitum batrachoïdes. *Lob. adv.* 300. *f.* 2. *Ic. t.* 668. *f.* 2.
R. quartus. *Cam. epit.* 383. *ic.*
R. montanus albus. *Dalech. lugd.* 1031. *f.* 1.
R. Alpinus albus. *J. Ger. hist.* 951. *f.* 4.
R. montanus aconiti folio flore albo minore. *C. Bauh. pin.* 182. *Tourn. inst.* 290.
R. flore albo Alpinus major. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 860. *ic. Chabr. sciagr.* 468. *f.* 1.
Aconitum ranunculoïdes album flore simplice minore. *Moris. hist.* 3. *p.* 462. *s.* 12. *t.* 2. *f.* 5.
R. aconitifolius. *Lin! mant.* 79. *Crantz. austr.* 2. *p.* 86. *Poll. pal. n.* 532.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1315. *Gmel. bad. n.* 835.*
R. lobatus. *Guid. herb. valais. p.* 177.

β. *Crassicaulis*, foliis radicalibus tripartitis, bracteis lanceolatis serratis, caule crassiusculo apice adpressè villoso.

R. heterophyllus. *Lapeyr. abr.* 316. *non Smith.*

γ. *Intermedius*, elatior, foliis radicalibus tripartitis, bracteis linearibus integris.

δ. *Platanifolius*, elatior, foliis radicalibus 5-7-lobis, lobis acuminatis, bracteis linearibus integris.

R. quartus. *Math. comm.* 458. *f.* 3. *Dalech. lugd.* 1029. *f.* 1. *malè.*
R. montanus IV. *Clus. hist.* 1. *p.* 236. *f.* 1.
R. flore albo. *Dod. pempt.* 429. *f.* 2. *Chabr. sciagr.* 467. *f.* 6.
R. albus flore simplici. *Tab. ic. t.* 43. *f.* 2. *Lob. ic. t.* 668. *f.* 1. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 859. *f.* 2.
R. maximus seu leucanthemus. *Thal. herc.* 101.
R. aconiti folio. *J. Ger. herb.* 964. *f.* 8.
R. montanus aconiti folio flore albo majore. *C. Bauh. pin.* 182. *Tourn! inst.* 290.
Pseudo-helleborus ranunculoïdes albus. *Moris. hist.* 3. *p.* 461. *s.* 12. *t.* 2. *f.* 2.
R. montanus hirsutus albus altior. *Moris. hist.* 2. *p.* 447. *s.* 4. *t.* 31. *f.* 52?
R. platanifolius. *Lin! mant.* 79. *Fl. dan. t.* 111. *Gou! ill.* 35. *Gunn. norv. n.* 792. *Willd. sp.* 2. *p.* 1316. *Gmel. bad. n.* 835.*
R. palmatus. *Guid. herb. valais. p.* 177.
* Flore pleno.
R. IV flore pleno. *Math. comm.* 468. *f.* 4.
R. pleno albo flore. *Clus. hist. p.* 236. *f.* 2.
R. albus multiflorus. *Tab. ic. t.* 44. *f.* 1. *J. Ger. herb.* 957. *f.* 3.
R. niveus polyanthos. *Lob. ic. t.* 667. *f.* 2. *Dalech. lugd.* 1035. *f.* 1. *Theat. Flor. t.* 53.
Double white batchelors buttons. *J. Ger. herb. t.* 812. *f.* 1. *ex Curt.*
R. albus multiplex. *Debry. floril. nov. t.* 31.
R. albus flore pleno. *Besl. h. Eyst. vern. ord.* 1. *t.* 12. *f.* 1.
R. folio aconiti flore albo multiplici. *C. Bauh. pin.* 179. *Tourn. inst.* 290.
R. albus flore denso. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 860.
Pseudo-helleborus ranunculoïdes albus flore pleno. *Moris. hist.* 3. *p.* 461. *s.* 12. *t.* 2. *f.* 4.
R. albus Apenninus saniculæ foliis. *Barr. ic.* 57. *t.* 88.
R. montanus aconitifolius flore albo magno. *Weinm. phyt.* 857. *d.*
R. aconitifolius, var. ß. *Curt. bot. mag. t.* 204. *Hort-Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 354.

ε. *Dealbatus*, foliis radicalibus 7-lobis dentatis subtùs candicantibus, supremis trilobis.

R. dealbatus. *Lapeyr. abr. pyr.* 315.

Hab. in montibus Europæ mediæ nempè Belgii, Germaniæ, Galliæ, Helvetiæ, Italiæ septentrionalis, Hungariæ (Wahl.). Var. α in pratis udis montium excelsorum; ß secus rivulos et in udis Pyrenæorum; γ in sylvaticis Cebennarum; δ in dumetis et sylvaticis montium demissorum; ε in rupibus calcareis Pyrenæorum (Lapeyr.). ♃ Fl. æstate. (v. v. sp. α, ß, γ, δ).

Species valdè variabilis, nempè, 1°. staturâ in summis Alpibus digitali, in collibus demissioribus bipedali; 2°. superficie glabrâ in locis udis aut umbrosis, pubescente in apricis; 3°. foliis radicalibus nunc ultra medium, nunc usque ad basin fissis; 4°. laciniis 3-5 aut 7, lateralibus indivisis aut bifidis; 5°. lobis acuminatis aut obtusiusculis; 6°. floribus nunc paucis, nunc numerosis, simplicibus plenisve. 7°. petalis oblongo-cuneatis longioribus aut ovato-orbiculatis brevioribus (squamulâ baseos in omnibus lineari elongatâ). — Forsan α et ß speciem propriam bracteis serratis, γ, δ et ε alteram bracteis integris constituere debent?

13. Ranunculus ternatus.

R. foliis omnibus trisectis, segmentis ovatis trifidis dentatis, caule pilosiusculo multifloro, calycibus reflexis.

R. ternatus. *Thunb. jap.* 241.

Hab. in insulâ Nipon Japoniæ. *Thunb.* ♃. fl. maio. (v. s. sp. in h. Deless.).

Affinis R. aconitifolio et præsertim var. β; caulis erectus teres subflexuosus, pilos sparsos hinc indè gerens, pedalis, ramosus; folia omnia petiolata, trisecta, segmentis petiolatis trifidis dentatis ovatis intensè viridibus, supernè per totum discum, subtùs in nervis pubescentibus; flores parvi, pauci breviter pedicellati.

14. Ranunculus apiifolius.

R. foliis quinquelobis, lobis sinuato-serratis, supremis sublinearibus, caule glabro multifloro, calycibus patentibus, carpellis muticis.

R. apiifolius. *Pers. ench.* 2. *p.* 105. *non Desf.*

Hab. in paludosis et stagnantibus pascuis Bonariæ, *Commerson.* ♃ (v. s. sp. in h. Juss. et Deless.).

Affinis R. sceleratо sed flores ex albo incarnati (Comm.). Radicis collum crassum; caulis erectus ferè bipedalis teres ramosus glaber ut tota planta; folia radicalia et inferiora petiolata subcordata suborbiculata ultra medium 5-loba, lobis trifidis dentatis subobtusis; superiora lobis profundioribus distantibus acutis angustioribus apice inciso-dentatis; summa tripartita, lobis ferè linearibus acutis subintegris; rami superi ramosi paniculato-corymbosi; pedicelli 1-flori elongati; flores parvi; calyx patens demùm reflexus; petala ovato-orbiculata; carpella minima ovata subcompressa mutica, stylo non aristata, obtusa, in capitulum ovatum aggregata.

15. Ranunculus lacerus.

R. foliis cuneiformibus apice irregulariter acutè incisis, caule glabro ramoso multifloro, calycibus adpressis.

R. n. 1180, var. β. *Hall. helv.* 2. *p.* 78.

R. Pyrenæus, var. C. *Vill. dauph.* 4. *p.* 733.

R. lacerus. *Bell! act. taur.* 5. *p.* 233. *t.* 8.* *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 891.* *Biria! ren. p.* 35.

R. Vallesiacus. *Sut. fl. helv.* 1. *p.* 325.

R. laciniatus. *Guid. herb. valais. p.* 177.

Hab. rarissimus in pascuis fertilibus Alpium Vallesiæ (Hall.), Delphinatûs et Pedemontii. ♃. fl. ineunte æstate (v. v. c.).

Hybridus omninò videtur ex R. aconitifolio et R. Pyrenæo; pericarpia semper intùs cassa et abortiva in plantis cultis observavi; enatus est interdùm quasi spontè in hortis botanicis in quibus duæ suprà memoratæ species colebantur; color virescenti subgriseus ut in R. Pyrenæo qui mater videtur; caulis apice ramosus multiflorus glaber ut in R. aconitifolio verosimiliter patre. Folia matris apice dilatata incisa.

§. II. *Floribus albis, foliis integerrimis, carpellis lævibus.*

16. Ranunculus Pyrenæus.

R. foliis linearibus lanceolatisve integerrimis, scapo pedunculisve apice tomentosis.

R. Pyrenæus flore albo. *Clus. cur. post.* 48.
R. Pyrenæus foliis sublongis non laciniatis. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 864. *descr.*
R. Alpinus pumilus gramineo folio flore albo. *Tourn! inst.* 292.
R. gramineus hirsutus monanthos. *Moris. hist.* 2. *p.* 445. *s.* 4. *t.* 30. *f.* 40? *Tourn. inst.* 292?
R. foliis linearibus caule subnudo radice fasciculatâ comosâ. *Ger. gallopr.* 384.
R. Pyrenæus. *Lin! mant.* 248. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 186. *Vill! dauph.* 3. *p.* 732. *Willd. sp.* 2. *p.* 1309. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 889 * *Hoh. et Rein. itin.* 1. *p.* 187. * *Smith! in Rees. cycl. n.* 8. *non Gou.*
R. radicibus fasciculatis imo caule reticulato foliis gramineis. *Hall. helv. n.* 1180. * *excl. var.* β
R. amplexicaulis var. γ. *Gou. ill.* 34.

β. *Buplevrifolius*, caule unifloro, foliis lanceolatis.

R. Pyrenæus. *Jacq. misc.* 1. *p.* 154. *t.* 18. *f.* 1.
R. buplevrifolius. *Lapeyr. abr. pyr.* 314.
R. lanceolatus. *Guid. herb. val. p.* 177.

γ. *Plantagineus*, caule multifloro, foliis lato-lanceolatis.

R. gramineus hirsutus polyanthos. *Moris. hist.* 2. *p.* 445. *s.* 4. *t.* 30. *f.* 41? *Tourn. inst.* 292?
R. plantagineus. *All. ped. n.* 1445. *t.* 76. *f.* 1. *non Pers.*

Hab. in Alpium et Pyrenæorum pascuis, α quæ vulgatior in pascuis editioribus ad nives deliquescentes; β et γ in locis udis convallibus inferioribus. ♃. fl. æst. (v. v. sp.).

17. Ranunculus angustifolius.

R. foliis linearibus sublanceolatis glaucescentibus non amplexicaulibus, scapo pedunculisve glabris.

R. flammeus flore albo minore. *Park. theat.* 1214? *Tourn. inst.* 293?
R. amplexicaulis β. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 889.
R angustifolius, *DC! rapp. voy.* 1. *p.* 78. *mem. soc. agr. sein.* XI. *p.* 10. *fl. fr. v.* 5. *p.* 636. * *Bir! ren. p.* 35.
R. Pyrenæus α. *Lapeyr. abr. pyr.* 313. *excl. syn. J. Bauh.*
Hab. in turfosis montanis Pyrenæorum orientalium circa Mont-Louis. ♃. fl. æstate (v. v. sp.).
Omninò medius inter R. Pyrenæum et amplexicaulem; à priore differt pedunculis etiam sub flore glaberrimis floribusque paulò minoribus, à posteriore foliis non basi amplexicaulibus angustioribus omninò glabris et nervis parallelis notatis. Scapus rarò uniflorus, sæpiùs 2-4 florus; pedicelli alterni elongati.

18. Ranunculus amplexicaulis.

R. foliis ovali-lanceolatis acuminatis amplexicaulibus, scapo pedunculisve glabris.

R. folio plantaginis. *J. Ger. herb.* 963. *f.* 2.
R. montanus foliis plantaginis. *C. Bauh. pin.* 180. *Moris. hist.* 2. *p.* 444. *s.* 4. *t.* 30. *f.* 37. *Tourn. inst.* 292.
R. Pyrenæus albus simplex. *Park. ex Moris. hist.* 2. *p.* 444. *s.* 4. *t.* 30. *f.* 37.
R. Pyrenæus foliis sublongis non laciniatis albo flore. *Chabr. sciagr.* 466, *f.* 4.
R. Flammeus latiori plantaginis folio floribus albis marginibus pilosis. *Pluk. alm.* 313? *Tourn. inst.* 292?
R. albus folio plantaginis. *Theatr. fl. t.* 53.
R. dulcis foliis rapistri perfoliatis floribus albis. *Mentz. pug. t.* 8. *f.* 8.
R. amplexicaulis. *Lin! sp.* 774. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 185. *Willd. sp.* 2. *p.* 1311. *Curt. bot. mag. t.* 386. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 5. *p.* 636. *Biria! ren.* 35. *Smith! in Rees cycl. n.* 11.
R. amplexicaulis var. *α. Gou! ill.* 34. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 889. *
R. plantaginifolius. *Salisb. prod.* 372.
Hab. in locis excelsis udis scopulosis Alpium Galloprovinciæ, Apenninorum (Mentz.), Pyrenæorum, montium Legionensium *Lag.*, et Hiberniæ (Pluk.) ♃. fl. æstate (v. v. sp.).
Variat 1°. foliis glabris aut ad margines pilos paucos molles albidos deciduos gerentibus; 2°. staturâ à 4 ad 15 poll. altâ; 3°. caule uni aut 3-6-floro; 4°. petalis niveis aut imprimis prope nives perpetuas purpurascentibus; 5°. flore simplici aut pleno. In hoc ultimo statu petalorum squamula evadit in limbum petaloideum petalo ipso simillimum.

19. Ranunculus parnassifolius.

R. foliis radicalibus petiolatis subcordatis ovato-subrotundis, caulinis sessilibus ovato-lanceolatis, pedunculis hirsutis.

R. montanus graminis parnassi folio. *Tourn! inst.* 286.
R. parnassifolius. *Lin! sp.* 774. *Gou! ill. p.* 34. * *Wulf. in Jacq. coll.* 1. *p.* 191. *t.* 9. *f.* 3.* *Vill! dauph.* 3. *p.* 733. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 186. *Willd. sp.* 2. *p.* 1310. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 890 * *Ræm. fl. eur. fasc.* 5. *ic. Hoh. et Rein. it. p.* 190. *t.* 5. *Smith in Rees cycl. n.* 9.
R. radicibus fasciculatis imo caule reticulato foliis cordiformibus. *Hall. helv. n.* 1169. * *excl. syn.*
R. cordatus. *Guid. herb. Valais, p.* 177.

β. Parviflorus, foliis acutiusculis, floribus minoribus. *Schleich. et Thom. pl. exsic.*

Hab. in Alpium Pyrenæorumque scopulis nivi æternæ contiguis. ♃. fl. æstate. (v. v. sp.).
Radices longæ fasciculatæ. Folia subcoriacea Parnassiæ folia formâ æmulantia, petiolo basi magis dilatato; calyx purpureus. Variat, 1°. foliis nunc glabris, nunc hirsutie molli albâ deciduâ (subtùs imprimis) onustis;

2°. caule 1-2-floro ad 5-6-floro; 3°. petalis niveis interdùm subpurpurascentibus; 4°. flore R. amplexicaulis magnitudine æquali et interdum in var. β dimidio minore; hæc varietas quæ in Alpibus Vallesiacis summis habitat, dignoscitur etiam foliis magis acutis.

§. III. *Floribus luteis, foliis integerrimis, radice fasciculatâ.*

20. Ranunculus gramineus.

R. foliis lanceolatis linearibusve integerrimis, caule erecto glaberrimo ad collum fibrilloso, squamulâ petalorum tubulosâ, radice fasciculatâ.

R. gramineus. *Lin! sp. ed.* 1. *p.* 549. *ed.* 2. *p.* 773. *Mill. dict. n.* 5. *Gouan! fl. monsp.* 472. *Bull. herb. t.* 123. *Curt. bot. mag. t.* 164. *Willd. sp.* 2. *p.* 1309. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 904. * *Smith! fl. brit.* 588. * *in Rees. cycl. n.* 7. *Boiss. fl. eur.* 5. *t.* 380.

R. foliis lanceolato-linearibus caule erecto radice fasciculatâ. *Ger. gallopr.* 384.

R. amplexicaulis. *Gouan. hort. monsp.* 265. *excl. syn. Lin.*

R. graminifolius, *Salisb. prodr.* 372.

R. gramineus var. α. *Biria! ren.* 36.

α. *linearis*, foliis linearibus.

R. pumilus gramineis foliis et geniculatus. *Lob. adv.* 299. *ic.*

R. gramineus. *Tab. ic.* 51. *f.* 1.

R. pumilus gramineis foliis. *Lob. ic.* 671. *f.* 1. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 866. *f.* 3. *Chabr. sciag.* 471. *f.* 4.

R. montanus folio gramineo. *C. Bauh. pin.* 180. *Moris. hist.* 2. *p.* 444. *s.* 4. *t.* 30. *f.* 38. *Tourn! inst.* 292.

β. *Phœnicifolius*, foliis lanceolatis.

R. phœniceus myconi. *Dalech. Lugd.* 1036. *f.* 1.

R. gramineo folio bulbosus. *C. Bauh. pin.* 181. *Tourn! inst.* 292.

R. angustifolius bulbosus. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 866. *f.* 2. *Chabr. sciag.* 471. *f.* 3.

R. leptomacrophyllon bulbosus. *Col. phyt.* 1. *p.* 313.

R. gramineus montanus radice villosâ plurimas fibras ex inferiore parte emittente. *Moris. hist.* 2. *p.* 445. *s.* 4. *t.* 30. *f.* 39.

γ. Foliis lineari-lanceolatis, flore pleno.

R. folio graminis. *Dod. pempt.* 428. *f.* 2.

R. gramineus multiplex. *Lob. ic.* 671. *f.* 2.

R. gramineus Lobelii, *J. Ger. herb.* 954. *f.* 9.

R. montanus gramineo folio multiplex. *C. Bauh. pin.* 181. *Tourn. inst.* 292.

R. gramineus pleno flore. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 865. *et* 866. *f.* 1? *Chabr. sciag.* 470. *f.* 4?

R. gramineus montanus flore pleno. *Moris. hist.* 2. *p.* 445.

Hab. in pratis interdùm inundatis campisque subargillosis, in Gallià circa Fontem-Bellaqueum, Andegavum, Monspelium, Narbonam, etc. in Vallesiâ prope S. Leonardum (Murr.), in Pedemontio prope Segusium (Re.), in regno Valentino *Dufour*, Arragonico (Asso), Lusitaniâ (Brot.) ♃. fl. maio. (v. v. sp.)

Radix fibris cylindraceis fasciculatis; collum fibrillis erectis (nervi foliorum veterum persistentes) cinctum; planta glaberrima subglaucescens; folia rigidula phœnicis foliolis subsimilia. Variat. 1°. foliis linearibus, lanceolatis aut in solo pingui subovato-lanceolatis; 2°. scapo simplici 1-floro, aut ramoso-subdichotomo 3-5-floro; 3°. flore simplici et pleno, sed in hâc ultimâ varietate γ, ex veteribus Botanicis hîc admissâ et olim in hortis Belgicis cultâ, forsan sunt confusæ varietates multiplices R. graminei et R. linguæ.

21. Ranunculus buplevroïdes.

R. foliis radicalibus petiolatis ovato-lanceolatis 3-5-nerviis integerrimis, caule erecto infernè lanuginoso, squamulâ petalorum tubulatâ, radice fasciculatâ.

R. buplevroïdes. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 365. *

R. plantagineus. *Pers. ench.* 2. *p.* 102. *non All.*

R. gramineus var. *β. Biria ren.* 36.

Hab. in Lusitaniæ collibus prope monasterium Lorvani et alibi in Beirâ boreali. (Brot.) ♃. fl. vere.

Similis ex descriptione R. gramineo, sed differre videtur, 1°. caule infernè imprimis lanuginoso nec glaberrimo; 2°. foliis ovatis ad novem lineas latis nec lanceolato-linearibus 3-5-lin. latis.

§. IV. *Floribus luteis, foliis integris dentatisve, radice fibrosâ.*

22. Ranunculus Lingua.

R. foliis lanceolatis subserratis sessilibus semi-amplexicaulibus, caule erecto glabro.

Lingua. *Plin. hist. ed. Dalech.* 517.

Lingua Plinii et lingua major. *Dalech. lugd.* 1037. *f.* 1. *et forsan f.* 2?

R. lanceatus major. *Tab. ic.* 48. *f.* 2.

R. platyphyllus. *Thal. herc.* 100.

R. flammeus major. *J. Ger. hist.* 961. *f.* 1.

R. longifolius palustris major. *C. Bauh. pin.* 180. *Moris. hist.* 2. *p.* 442. *s.* 4, *t.* 29. *f.* 33. *Tourn! inst.* 292.

R. longo folio maximus, lingua Plinii. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 865. *ic. Chabr. sciag.* 470. *f.* 3.

Great spear-wort. *Petiv. engl. herb. t.* 39. *f.* 5.

R. palustris. *Weinm. phyt. t.* 854. *f. c.*

R. lingua. *Lin! sp.* 773. *fl. Dan. t.* 755. *Gmel. sib.* 4. *p.* 201. *Poll. pal. n.* 528. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1308. *Smith! fl. brit.* 588. * *Engl. bot. t.* 100. *Rees cycl. n.* 3. *Rœm. fl. eur. fasc.* 8. *ic. Sob. fl. petr.* 130. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 904.

R. erectus ramosus foliis ensiformibus subserratis. *Hall. helv. n.* 1181. *

R. longifolius. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 189.

Hab. in palustribus inter arundines, ad fontes et fossas, Europæ ferè totius, Sibiriæ *Gmel.* et Pensylvaniæ Virginiæque (Pursh). ♃. fl. vere et æstate. (v. v. sp.)

Affinis flammulæ, sed staturâ majori rigidiori, floribus majoribus et notis

indicatis primo intuitu distinguitur; differt à R. gramineo foliis non integerrimis, collo nudo, radiceque fibrosâ. Variat 1°. foliis subintegerrimis aut serrulatis; 2°. caule foliisque glabris aut pilis adpressis subtùs et margine subscabris; 3°. flore simplici et pleno. (Conf. n. 20. var. γ.)

23. Ranunculus Flammula.

R. foliis glabris linearibus lanceolatis subovatisve subintegris, inferioribus petiolatis, caule declinato pleno basi subradicante, pedunculis oppositifoliis, carpellis lævibus.

R. species XII foliis lævibus. *Cord. hist.* 121. *ic.*
Flammula ranunculos. *Dod. pempt.* 432. *f.* 1. *Paul. dan. t.* 109.
R. flammeus aquaticus angustifolius. *Dalech. lugd.* 1035. *f.* 2.
Hydropiper lanceolatum. *Dalech. lugd.* 1038. *f.* 1.
R. lanceatus minor. *Tab. ic.* 49. *f.* 1.
R. flammeus minor. *J. Ger. hist.* 961. *f.* 2. *Park. theat.* 1215. *f.* 2. *Weinm. phyt. t.* 854. *f. f.*
Flammeus Ranunculus aquatilis angustifolius taraconis effigie flammula vulgi. *Lob. ic.* 670. *f.* 1.
R. longifolius palustris minor. *C. Bauh. pin.* 180. *Moris. hist.* 2. *p.* 442. *s.* 4. *t.* 29. *f.* 34. *Tourn! inst.* 292.
R. longifolius aliis flammula. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 864. *f.* 3.
R. longifolius flammula dictus. *Chabr. sciag.* 470. *f.* 2.
Small spear-wort. *Petiv. engl. herb. t.* 39. *f.* 6.
R. flammula. *Lin! sp.* 772. *fl. dan. t.* 575. *Poll. pal. n.* 527. * *Bull. herb. t.* 12. *Willd. sp.* 2. *p.* 1307. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 190. *Curt. lond. t.* 37. *Smith! fl. brit.* 587. *Rees cycl. n.* 1. *engl. bot. t.* 117. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 905. * *Palmstr. sv. bot. t.* 117. *Plée herb. ic.*
R. caule declinato foliis elliptico-lanceolatis subserratis. *Hall. helv. n.* 1182. *

β. *Serrata*, foliis sublanceolatis serratis.

R. species XII foliis serratis. *Cord. hist.* 121.
Flammula ranunculus foliis serratis. *Dod. pempt.* 432. *f.* 2.
Flammula aquatica. *Dalech. lugd.* 1042. *f.* 1.
R. lanceatus serratus. *Tab. ic.* 49. *f.* 2.
R. aquatilis angustifolius serratus. *Lob. ic.* 670. *f.* 2.
R. flammeus serratus. *J. Ger. hist.* 962. *f.* 3.
R. palustris serratus. *C. Bauh. pin.* 180. *Moris. hist.* 2. *p.* 442. *s.* 4. *t.* 29. *f.* 35. *Tourn. inst.* 292. *Weinm. phyt. t.* 854. *f. e. d.*

γ. *Ovata*, foliis ferè omnibus ovatis petiolatis.

R. flammula *C. Poir. dict.* 6. *p.* 98. *
R. ovatus. *Pers. ench.* 2. *p.* 102.

δ. *Arenaria*, foliis radicalibus ovato-lanceolatis rigidulis, caulinis linearibus.

Hab. in Europæ totius, Asiæ occidentalis borealisque, Africæ borealis et Americæ septentrionalis locis udis; α vulgatissima; β paulò rarior; γ in udis pinguibus rarissima; δ in udis arenosis circa Baïonam. ♃. fl. vere et æstate. (v. v. sp.).

Differt à R. linguâ caule declinato nec erecto, foliis glabris nec subpuberulis, multò angustioribus; floribus dimidio minoribus; ab Ophioglossifolio caule farcto nec fistuloso, foliis inferioribus non cordatis, carpellisque lævibus nec tuberculosis; à R. reptante caulibus vix basi nec ad omnes nodos radicantibus; à R. gramineo pedunculis oppositifoliis et aliis notis; à R. nodifloro floribus pedunculatis, carpellisque lævibus.

Variat, 1°. caule plus minùsve declinato, plus minùsve basi radicante; 2°. foliis linearibus lanceolatis ovatisve, integris serratisve, plus minùsve in petiolum angustatis; 3°. floribus simplicibus aut semi-plenis (Vaill. bot. 168.); 4°. interdùm, observante cl. Bosc, folia radicalia autumno nascentia sunt petiolata cordata ut in R. ophioglossifolio.

24. Ranunculus reptans.

R. foliis linearibus integerrimis glabris, caule repente ad quemque nodum radiculas agente.

R. longifolius minimus reptans. *Burs. act. suec.* 1724. *p.* 505.

R. flammeus minimus spergulæ folio. *Buxb. cent.* 5. *app. n.* 41.

R. repens gramineis foliis è singulis geniculis radices agens. *Amm. ruth.* 80. *t.* 13. *f.* 1.

R. pumilus foliis linearibus. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 201.

Myosuros angustissimo folio è singulis geniculis radiculas agens. *Gmel. obs. in hist. nat.* CIII.

R. reptans. *Lin! sp.* 773. *fl. lapp.* 236. *t.* 3. *f.* 5. *fl. dan. t.* 108. *Gil. in Ust. del.* 2. *p.* 420. *Willd. sp.* 2. *p.* 1307. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 905. *Gmel. bad. n.* 830.* *Sob. fl. petr.* 130. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 351. *Smith. in Rees cycl. n.* 2. *Wahlemb. fl. lap. n.* 288.

R. caule reptante, foliis linearibus fasciculatis. *Hall. helv. n.* 1183.*

R. flammula var. *Smith! fl. brit.* 587. *Biria! ren.* 37.

β? *Filiformis*, foliis lineari-subulatis obtusis, caulibus repentibus geniculatis.

R. filiformis. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 320. *Pers. ench.* 2. *p.* 102. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 392.

Hab. α in glareosis udis secus ripas lacuum Helvetiæ, *Hall.*; Germaniæ (Willd.), Angliæ, *Sm.*; Daniæ, *fl. dan.* Sueciæ (Lin.); Norvegiæ (Gun.), in arenosis Nevæ circa Petropolim (Sob.), in omni Sibiriâ (Gm.), Ingriâ (Buxb.), in Chinâ prope Pekin, *h. Juss.*; β in Americâ boreali locis inundatis secus flumen S.-Laurent, sinum Hudsonianum, *Michx.*; et Labrador, *Pursh.* ♃ fl. maio-jul. (v. v. sp.).

Vix differtà R. flammulâ et hujus mera varietas à statione orta secundum autores videtur; differt tamen caule filiformi hinc indè reptante, nec ascendente basi tantùm subradicante, floribus dimidio minoribus, foliisque ferè filiformibus.

25. Ranunculus ophioglossifolius.

R. foliis inferioribus petiolatis cordatis obtusis, superioribus oblongis sessilibus, caule erecto fistuloso, pedunculis oppositifoliis, carpellis granulato-tuberculosis.

R. Lesbius palustris ophioglossi folio. *Tourn. cor.* 20. *ex ic. pict. hort. Par.*

R. flammeus latifolius flore minimo. *Buxb. cent.* 5. *app. n.* 42?
R. ophioglossifolius. *Vill! dauph.* 4. *p.* 732. *t.* 49.* *Poir. dict.* 6. *p.* 103. *excl. patriâ. DC! fl. fr. v.* 5. *p.* 639.*
R. ophioglossoïdes. *Willd. sp.* 2. *p.* 1320.* *Smith. in Rees. cycl. n.* 10.
R. cordifolius. *Bast! fl. Main et Loir.* 207.
R. Telonensis. *Robert in litt.*
R. flammula, var. f. *Biria! ren.* 37.
R. fistulosus. *Brign. fasc. rar. pl. forojul.* 25.*
R. uliginosus. *Tenor. in litt.*
Hab. in udis pratis et fossis Europæ australis, agri Andegavensis, *Bast.*; Monspeliensis, *Salzman*; Telonensis, *Vill.*; Forojuliensis (Brign.); Neapolitani, *Tenore*; Lesbii (Tourn.), Bosphori? (Buxb.). ⓘ fl. junio (v. v. sp.).
Radix fibrosa; caulis erectus fistulosus teres glaber; folia imfima petiolata ovata cordata, media petiolata oblonga, summa subsessilia basi attenuata, omnia integra aut rariùs subdentata; pedunculi inferiores oppositifolii, summi subtrichotomo-corymbosi, medio nempè unifloro, lateralibus dichotomis; flores dimidio minores quàm in R. flammulâ; calyx patens caducissimus; petala obovata; stamina 10-12, ovaria 20-25; carpella in capitulum sphæricum digesta, ovata, compressa, subacutiuscula, utrinque granulato-tuberculosa.

26. Ranunculus uliginosus.

R. foliis ovatis lanceolatisque serratis glabris, caule ascendente fistuloso?, pedunculis oppositifoliis, petalis calycis longitudini.

R. uliginosus. *Willd. enum.* 586.
Hab. in udis Teneriffæ, *Broussonet.* ⓘ (v. s. sp.).
Affinis R. flammulæ et ophioglossifolio, sed ab utrâque videtur distinctus; radices fibrosæ; herba glabra vix palmaris tenera; folia inferiora petiolata ovata, superiora lanceolata subserrata basi angustata; pedunculi certò oppositifolii (nec axillares ut vult cl. Willdenow), post florescentiam longiores; flores parvi ferè R. abortivi; fructus (immaturi visi) in capitulum sphæricum aggregati, granulato-tuberculati?

27. Ranunculus pusillus.

R. foliis omnibus longè petiolatis, inferioribus ovatis subdentatis, superioribus lineari-lanceolatis, caulibus plurimis erectis, pedicellis oppositifoliis, petalis calycis longitudine.

R. flammula. *Walt. fl. carol.* 158. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 321.
R. pusillus. *Poir! dict.* 6. *p.* 99.* *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 392. *Smith. in Rees cycl. n.* 6.
R. humilis. *Pers. ench.* 2. *p.* 102.
Hab. ad fontium margines et in locis aquosis depressis ericetorum Carolinæ. *Bosc.* ♃ (v. s. sp.).
Species R. flammulæ affinis, sed ex cl. Pursh certò distincta; radix fibrosa fasciculata; caules 4-6 erecti palmares; petioli foliorum radicalium

limbo ipso sextuplò ferè longiores; flores triplò minores quàm in R. flammulâ; petala pallidè lutea (Pursh); carpella ovata, compressa, granulato-subrugulosa, stylo persistente non aristata sed mutica, triplò ferè minora quàm in R. flammulâ.

28. Ranunculus Bonariensis.

R. foliis omnibus petiolatis cordato-ovatis subcrenatis, pediculis oppositifoliis, petalis calyce vix longioribus, carpellis lævibus.

R. Bonariensis. *Poir! dict.* 6. *p.* 102.*
R. heterophyllus. *Smith! in Rees cycl. n.* 12. *non Lapeyr.*
R. cochlearifolius. *Horn. cat. h. Hafn. ex herb. Desf.*
Hab. in Americæ meridionalis locis udis circa Buenos-Aires, *Commerson;* Santa-Fé, *Humb. et Bonpl.* ⊙? (v. s. sp. in herb. Mus. Par.; Juss. Desf. Humb. Smith.).
Affinis R. ophioglossifolio. Planta gracilis glabra; caules erecti debiles parcè ramosi; folia parva crenata ovata aut imfima basi cordata; petioli basi vaginantes; pedunculi divergentes, teretes, vix folii longitudine; flores parvi, exalbidi (Comm.); carpella in capitulum globosum aggregata, ovata, lævia. — Variat foliis obtusioribus et acutioribus.

29. Ranunculus polyphyllus.

R. foliis caulinis numerosissimis in verticillos aggregatis, emersis petiolatis ovatis subtrilobis, immersis subfiliformibus.

R. polyphyllus. *Willd. sp. p.* 1331.* *Waldst. et Kit. pl. rar. Hung.* 1. *p.* 44. *t.* 45.* *Biria. ren.* 49. *Hayn. term. bot. t.* 28. *f.* 3.
Hab. in Hungariæ turfosis humidis primo vere inundatis iterumque aquâ liberatis aut semper aquâ obsessis. ♃ fl. maio.
Radix fibrosa. Planta glaberrima ad R. flammulam consistentiâ accedens; folia verticillatim aggregata, immersa limbo ferè abortivo petioloque elongato subfiliformia; emersa petiolata ovata parva integra aut tridentata; caulis apice ramosus multiflorus; pedicelli inferiores folio florali oppositi; flores lutei primarii 5-sepali 5-petali ferè R. flammulæ; laterales paulò minores 3-sepali 3-petali; sepala subrotunda concava (W. K.).

30. Ranunculus nodiflorus.

R. foliis radicalibus petiolatis ovali-oblongis, floribus sessilibus oppositifoliis, carpellis granulato-tuberculosis stylo vix rostellatis.

R. Parisiensis pumilus plantaginellæ folio. *Pet. gaz.* 40. *t.* 25. *f.* 4. *Vaill! act. ac. par.* 1719. *p.* 52. *t.* 4. *f.* 4.
R. plantaginis folio flosculis cauliculis adhærentibus. *Vaill! bot. par.* 168.
R. nodiflorus. *Lin! sp.* 773. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 191. *Willd. sp.* 2. *p.* 1308.

DC! fl. fr. ed. 3. *v.* 4. *p.* 903.* *Waldst. et Kit. pl. rar. hung.* 2. *p.* 192. *t.* 176.* *Smith! in Rees cycl. n.* 4.

β ? R. siculus folio subrotundo vix serrato. *Petiv. gaz.* 39. *t.* 24. *f.* 9.

Hab. in locis depressis præsertìm à pluvialibus aquis stagnantibus interdùm repletis, in Gallià ad sylvam Fontis Bellaquei et in Andegavià (Bast.), in Hungariæ sylvâ Pomasziensi, agris Vesprimiensibus, uliginosis Biharensibus et Tibiscensibus (W. et K.). ⓘ fl. maio (v. v. sp.).

Species distinctissima ob florès sessiles, alios in axillis ramulorum et alteros folio florali oppositos, post florescentiam vix ac ne vix pedicellatos; radix fibrosa; herba glabra vix palmaris apice subdichotoma; folia superiora oblongo-linearia, omnia integra; petala inter se distantia unguiculata limbo ovato patente ad basin porum melliferum gerente; stam. 8-10; carpella in capitulum globosum aggregata, compressa, rugulosotuberculata, stylo brevissimo apiculata.

31. Ranunculus lateriflorus.

R. foliis radicalibus petiolatis ovali-oblongis, floribus sessilibus oppositifoliis axillaribusve, carpellis granulatotuberculatis stylo elongato rostellatis.

R. Alpestris palustris lignosus ocymi folio echinatus. *Cup. h. cath.* 185. *ex herb. Vaill. et Juss.*

Hab. in Oriente, *Labillardiere.* ⓘ (v. s. sp.).

Adeò similis R. nodifloro ut primâ fronte vix diversus; differt staturâ paulò majori, caule magis regulariter dichotomo, foliis longiùs petiolatis magisque oblongis, carpellis utrinque paulò evidentiùs tuberculosis, apice productis in acumen subulato-compressum subuncinatum acutum, carpello ipsi longitudine ferè æquale nec quadruplò brevius.

32. Ranunculus flagelliformis.

R. foliis longè petiolatis orbiculatis cordatis integris glabris, caule repente, pediculis oppositifoliis, carpellis muticis sublævibus.

R. flagelliformis. *Smith! in Rees cycl. n.* 13. *

R. hydrocotile. *Domb! ined. herb.*

Hab. in inundatis regni Chilensis prope Chinchin, *Dombey;* et in Novâ-Granadâ, *Mutis.* ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par. et Smith.).

Herba tenera lætè virens ex omni parte glabra; radix fibrosa; caulis teres, debilis, pedalis, è nodis sub foliorum origine radiculas agens; folia longè petiolata, orbiculata, integra, basi cordata, 4-5 lin. diam.; pedunculi petiolis breviores aut iis æquales, teretes, erecti, nudi, 1-flori; flores minimi; calyx patulus demùm subreflexus; petala obovata, vix calyce majora; carpella parva, ovata, mutica, lævia aut subpunctulata.

33. Ranunculus salsuginosus.

R. foliis radicalibus petiolatis ovalibus subcordatisve apice

3-5-dentatis, flagellis è collo ortis, scapis nudis 1-floris erectis, petalis oblongo cuneatis calyce longioribus.

R. foliis radicalibus ovalibus petiolatis tridentatis. *Gmel. sib.* 4. *p.* 202. *n.* 46.

R. salsuginosus. *Pall! itin. ed.* 3. *v.* 3. *p.* 173. *Willd. sp.* 2. *p.* 1311. *Biria. diss.* 36. *Smith. in Rees cycl. n.* 15.

R. Ruthenicus. *Jacq. hort. vind.* 3. *p.* 19. *t.* 31. *

R. plantaginifolius. *Murr. comm. Gœtt.* 1777. *p.* 39. *t.* 2.

Hab. in locis salsis udis imperii Ruthenici, nempè Sibiriæ Transbaïcalensis, Daouriæ, non procul à monte Odon-Tchelon, *Pall. Patrin.* ♃. (v. s. sp.)

Radix fasciculato-fibrosa; flagella è collo orta filiformia prostrata, demùm repentia hinc indè radicularum et foliorum fasciculos agentia; folia petiolata ovalia ovata aut subcordata glabra apice tridentata rariùs integra aut 5-dentata; scapus nudus 1-florus erectus foliis duplò longior; flores aurei magnitudine R. lanuginosi; petala 8 oblonga seu obovata; carpella ovato-oblonga, longitudinaliter striata, stylo brevi recto aristulata, in capitulum globosum aggregata.

34. Ranunculus cymbalariæ.

R. foliis radicalibus petiolatis glabris subcarnosis ovato-orbiculatis grossè crenatis, flagellis è collo ortis, scapis nudis 1-3-floris ascendentibus, petalis linearibus calycis longitudine.

R. repens flore in caule singulari foliis variè sectis. *Amm. ruth. p.* 81. *n.* 107. *t.* 13. *f.* 2.

R. foliis petiolatis ovatis integris aut variè incisis pedunculis radicatis nudis. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 205. *n.* 51.

ß. R. cymbalariæ. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 392. *Smith. in Rees cycl. n.* 14.

Hab. in palustribus salsis; *α* Sibiriæ Transbaïcalensibus abundè *Gmel.* ad Jeniseam et Obum flumen, et circa Barnaoul *Patrin. ß* in Noveboraco circa Onondago *Pursh.* ♃ fl. jun. jul. (v. s. sp.)

Planta parva, glabra, subcarnosa, depressa, repens, valdè structurâ et loco natali affinis R. salsuginoso, sed differt 1°. partibus omnibus dimidio minoribus; 2°. foliis magis orbiculatis per ambitum sæpiùs crenatis, interdùm tamen 3-dentatis; 3°. floribus pallidè luteis dimidio minoribus; 4°. petalis linearibus; 5°. scapis non omnibus simplicibus sed interdùm ramosis 2-4-floris. — Var. *ß* ex Purshii speciminibus sedulò cum var. *α* collata, nullo caractere meo sensu distincta; cl. Pursh ait hujus petala interdùm alba, et fructuum capitula oblonga.

35. Ranunculus tridentatus.

R. foliis radicalibus petiolatis glabris subcarnosis ovatis apice tridentatis, scapis 1-2-floris glabris petioli longitudine, petalis linearibus calyce longioribus.

R. tridentatus. *Humb. Bonpl. et Kunth! nov. gen. et sp. amer. ined.*

Hab. α *major* juxtà Carpio in Mexico. β *minor* in Latacungâ. *Humb. et Bonpl.* ♃ (v. s. sp. in h. H. B.).

Planta parva, glabra, carnosa, valdè similis hinc R. cymbalariæ illinc R. nubigeno, ab utroque verùm diversa foliis apice tantùm constanter tridentatis nec per ambitum totum crenatis; ovaria in capitulum ovatum aggregata; bracteæ lineares; flores lutei. Variat 1°. staturâ in var. α ferè bipollicari, in β semi-pollicari; 2°. foliorum limbo exactè ovato aut præsertìm in β basi cordato; 3°. dentibus foliorum obtusis acutisve; 4°. flagellis repentibus aut è collo nullis; 5°. scapis simplicibus 1-floris 1-bracteatis aut bifidis bifloris bibracteatis.

36. Ranunculus nubigenus.

R. foliis radicalibus petiolatis suborbiculatis 7-dentatis glabris subcarnosis, scapo subnudo subbifloro apice pubescente, bracteis linearibus subtridentatis.

R. nubigenus. *Humb! Bonpl. et Kunth. nov. gen. et sp. amer. ined.*

Hab. in monte Antisanâ Peruviæ. *Humb. et Bonpl.* ♃ (v. s. sp. in h. H. et B.)

Herba pygmæa; radix fibrosa; caulis uncialis demissus aut subascendens gracilis; flores minimi lutei; calyx adpressus.

37. Ranunculus breviscapus.

R. foliis radicalibus petiolatis orbiculato-cordatis 3-5-fidis, flagellis è collo ortis, scapis 1-floris petiolo dimidio brevioribus.

Hab. in Peruviâ. *Dombey.* ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Radix ignota, verosimiliter fibrosa; Folia radicalia plurima glabra aut pilosiuscula, petiolo 3 poll. longo subtereti, limbo orbiculato cordato 3-5-fido, lobis inciso-dentatis, dentibus acutis; flagella reptantia è collo orta; pedunculi radicales petiolis dimidio et ultrà breviores erecti 1-flori; flos parvus; calyx glaber adpressus; petala obtusa. — Herba (quæ paludosa videtur) animalibus infesta et à Dombeyo *Centella* dicta. — Strictiori jure ad §. 6 pertinet, sed hic relata ob flagella repentia et ideò cum prioribus affinitatem.

§. V. *Floribus luteis, foliis dentatis dissectisve, radicibus grumosis.*

38. Ranunculus bullatus.

R. foliis omnibus radicalibus petiolatis ovatis dentatis, scapis nudis unifloris.

R. latifolius bullatus asphodeli radice. *C. Bauh. pin.* 181. *n.* XII.

R. bullatus *Lin! sp.* 774. *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 435. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1311. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 903. * *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 365. * *Biv. pl. sic.* 68. *n.* 78. *Smith! in Rees cycl. n.* 16.

α. *Parviflorus*, flore parvo, scapo patenter piloso, foliis parùm bullatis.

R. grumosâ radice species 11. *Clus. hist.* 1. *p.* 238. *f.* 2.

R. Lusitanicus. *Dod. pempt.* 429. *f.* 1. *Tab. ic.* 50. *f.* 1 *et* 2. *Dalech. lugd.* 1033. *f.* 1. *Park. theat.* 332. *ic.*

R. Lusitanicus autumnalis Clusii. *Lob. obs.* 384. *Debry. floril. nov. t.* 31.

R. autumnalis Clusii. *J. Ger. hist.* 954. *f.* 10.

R. autumnalis folio lato rotundo serrato. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 867. *f.* 1. *Chabr. sciag.* 471. *f.* 1.

R. autumnalis alter latifolius minùs bullatus. *Cup. panph.* 1. 196.

R. latifolius autumnalis parvo flore. *Moris. hist.* 2. *p.* 447. *s.* 4. *t.* 31. *f.* 51.

R. Lusitanicus folio subrotundo parvo flore. *Tourn! inst.* 286.

β. *Grandiflorus*, flore magno, scapo adpressè piloso, foliis magis bullatis.

R. grumosâ radice species 1. *Clus. hist.* 1. *p.* 238. *f.* 1. *Debry. floril. nov. t.* 69.

R. Lusitanicus Clusii. *Lob. ic.* 673. *f.* 1. *J. Ger. herb.* 855. *f.* 11.

R. Lusitanicus bullatus. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 867. *f.* 2. *Chabr. sciag.* 171. *f.* 2.

R. latifolius bullatus autumnalis asphodeli radice magno flore. *Moris. hist.* 2. *p.* 447. *s.* 4. *t.* 31. *f.* 49. *Tourn! inst.* 286.

* pleno flore.

R. latifolius multiplex. *Corn. can.* 95. *ic. Tourn. inst.* 286. *ic. Pict. h. Par.* 37. *t.* 69.

R. autumnalis flore multiplici. *Park. theat.* 232.

R. latifolius bullatus autumnalis flore pleno et prolifero. *Moris. hist.* 2. *p.* 447. *s.* 4. *t.* 31. *f.* 50.

R. major flore luteo pleno foliis auriculæ ursi. *Weinm. phyt. t.* 857. *b. malè.*

Hab. in arvis incultis, olivetis, collibus cretaceis, regionis Mediterraneæ nempè in Lusitaniâ (Clus.), Andalusiâ *h. Juss.*, agro Mogadoriensi *Brouss.* Algeriensi *Desf.* Corsicâ *Robert.* Siciliâ (Biv.), Melitâ *h. Thouin*, Cretâ *Oliv.* ♃. fl. ab autumno ad initium veris. (v. s. sp.)

Radix grumosa; folia 3-6 radicalia ferè Bellidis subvillosa, bullatìm inter venas plus minùsve elevata; scapi foliis longiores nudi uniflori; flores lutei odorati; fructus nondùm descriptus.

Variat, 1°. petiolis nunc limbi longitudine, nunc limbo breviore; 2°. scapis solitariis plurimisve, adpressè patenterve piloso; 3°. floribus 9-12-petalis, simplicibus plenisve, nunc parvis ferè ut in R. flammulâ, nunc majoribus ferè ut in R. bulboso. Duæ varietates suprà indicatæ et à veteribus ferè omnibus meritò forsan pro species habitæ, ab autoptis sunt rursùs observandæ; has intereà præeuntibus plurimis in unicam conjunxi ob specimina nonnulla inter utramque quasi media in herbariis obvia.

39. Ranunculus chærophyllos.

R. foliis radicalibus petiolatis subvillosis trisectis segmentis semel aut bis tripartitis acutis, primordialibus ovatis dentatis trilobisve, caule erecto 1-2-floro, calyce patente subreflexo.

α. *Vulgaris*, foliis ferè omnibus trisectis multifidis.

R. leptophyllos asphodeli radice. *Col. ecphr.* 1. *p.* 312. *t.* 311.
R. chærophyllus asphodeli radice. *C. Bauh. pin.* 181. *Moris. hist.* 2. *p.* 446. *s.* 4. *t.* 30. *f.* 44. *Tourn! inst.* 289.
R. saxatilis apii folio minor radice tuberosâ reticulatâ obductâ. *Bocc. mus.* 2. *p.* 162. *Tourn. inst.* 286.
R. tenuifolius luteus grumosâ radice Soractensis seu Italicus. *Barr. ic. t.* 581.
R. chærophyllos. *Lin! sp.* 780. *Vill. dauph.* 3. *p.* 752. *Willd. sp.* 2. *p.* 1327. *Poir. dict.* 6. *p.* 111. * *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 900. * *Biria ren.* 42. *var.* b. *Smith! in Rees cycl. n.* 73.
R. calycibus retroflexis, etc. *Guett. obs.* 1. *p.* 275. *n.* 12.
R. illyricus. *Poir! dict.* 6. *p.* 121. *excl. syn.*

β. *Gregarius*, foliis aliis trifidis incisis, aliis trisectis multifidis.

R. gregarius. *Brot. fl. las.* 2. *p.* 369. *
R. Thomasii. *Ten. prod. fl. neap. supl.* 2. *p.* 68. *cat. app.* 1. *p.* 53.

γ. *Flabellatus*, foliis aliis ovalibus dentatis, aliis trisectis multifidis.

R. radice tuberosâ reticulatâ. *Bocc. mus. t.* 124.
R. grumosâ radice foliis nunc crenatis tantùm nunc tenuissimè divisis. *Tourn! herb.*
R. flabellatus. *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 438. *t.* 114. *Smith. fl. græc. t.* 520. *prod.* 1. *p.* 383.
Hab. in collibus aggeribus et agrestibus totius Europæ meridionalis, Africæ borealis et Archipelagi. ♃. fl. vere et æst. ineunte. (v. v. sp.)
Radix fibrillis erectis siccis ut in R. gramineo ad collum circumducta, grumosa, tuberculis paucis fibrillis plurimis intermixtis; corolla magnitudine R. bulbosi; carpella lævia compressa stylo acuminata, in capitulum ovato-oblongum densè conferta.
Species variat, 1°. foliis nunc omnibus multifidis, nunc tripartitis, nunc ovalibus apice dentatis trilobisve, aut omnibus antheseos tempore adstantibus, aut ovalibus primordialibus, cæteris successivè magis magisque dissectis; 2°. villis nunc in petiolis et caule adpressis, nunc patentibus, rarioribus confertisve; 3°. caule 1-4 floro, digitali aut palmari; 4°. calyce patente aut sub finem antheseos reflexo.

40. Ranunculus paludosus.

R. foliis pubescentibus, radicalibus trisectis lobis multifidis, superis linearibus integerrimis, caule erecto dichotomo, calyce adpresso.

R. paludosus. *Poir! voy.* 2. *p.* 184. *dict.* 6. *p.* 108. * *Desf! fl. atl.* 2. *p.* 439. *
R. chærophyllos, var. d. *Biria. ren.* 42.
Hab. in paludibus circa Lacalle et alibi in Barbariâ. *Poiret.* ♃ (v. s. sp. in h. Lam. Desf.).
Radix grumosa, tuberibus ovatis; petioli foliorum radicalium collum vaginantes et bulbum subæmulantes; caulis erectus pedalis exactè dichotomus; pedunculi teretes subpatuli; folia radicalia trisecta, segmentis bi-tri-partitis incisis, lobis oblongo-linearibus acutis; calyx villosus; corolla R. acris; carpella compressa submutica lævia in capitulum ellipticum aggregata.

41. Ranunculus adscendens.

R. foliis lanuginosis, radicalibus tripartitis, laciniis cuneatis trifidis inciso-dentatis, caulibus adscendentibus dichotomis, pedunculis sulcatis angulosis, calyce reflexo.

R. adscendens. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 370. *

Hab. ad ima collium in dumetis et umbrosis Lusitaniæ circa Conimbricam et alibi in Beirâ et Estramadurâ (Brot.). ♃ fl. maio.

Variat staturâ maximâ, caulibus ramosioribus, foliis magnis ad sinus sæpè maculatis (Brot.).

42. Ranunculus millefoliatus.

R. foliis decompositis multifidis, lobis linearibus glabris, caule subaphyllo erecto adpressè villoso 1-floro, calyce adpresso.

R. millefoliatus. *Vahl! symb.* 2. *p.* 63. *t.* 37. * *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 441. *t.* 116. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1328. *Poir! dict.* 6. *p.* 112. * *Smith. fl. græc. t.* 521. *prod.* 1. *p.* 384. *Rees. cycl. n.* 14.

Hab. in cultis regni Tunetani circa promontorium Carthaginis *Vahl*, ad montes Sbibæ *Desf.* et Peloponesi (Sibth), in Siciliâ *h. Desf.*, regno Napolitano *Moricand.* ♃. fl. vere et æst. (v. s. sp.)

Affinis R. chærophyllo, sed differt radicum tuberculis brevioribus crassioribusque, foliis omnibus semper decompositis, lobis linearibus glabris, flore majore, calyce adpresso nunquàm verò reflexo.

43. Ranunculus gracilis.

R. foliis glaberrimis, aliis orbiculatis trilobis apice dentatis, aliis trisectis lobis oblongis inciso-lobatis, caule subaphyllo erecto adpressè villoso unifloro, calyce reflexo subpiloso.

R. nov. sp. *Clark. trav.* 2. *p.* 723.

Hab. in Archipelagi insulâ Cois. *E. D. Clarke.* ♃. (v. s. sp. in h. Lamb.)

R. millefoliato affinis. Radix grumosa, tuberibus nempè ovatis obtusis brevibus, fibrillis paucis intermixtis; folia radicalia glaberrima longè petiolata caule dimidio tamen breviora; primordialia orbiculata, triloba tripartitave, lobis basi angustis apice dilatatis transversè ovatis grossè dentatis rotundatis; cætera trisecta, segmento medio petiolato lateralibus subsessilibus, omnibus lobatis, lobis oblongis apice subincisis obtusiusculis; caulis pedalis solitarius erectus subnudus teres, adpressè præsertim versùs apicem villosus. Folia caulina 2 subsessilia parva, inferius bis tripartitum, superius trifidum, lobis utriusque linearibus acutis; flos terminalis erectus luteus; sepala ovalia reflexa extùs subpilosa; petala obovata orbiculata magnitudine R. acris.

44. Ranunculus fumariæfolius.

R. foliis glaberrimis pinnatisectis multipartitis, lobis ob-

longis, scapis plurimis unifloris adpressè villosis, calyce patente glabro.

R. flavus multiplex folio Rutæ: *Ferr. cult. fl.* 340.
R. rutaceo folio flore suavè rubente pleno. *Herm. lugd-b.* 518.
R. rutæ folio multiplex flore ex luteo pallescente petalis reflexis. *Pluk. alm.* 311.
R. rutæ folio serotinus flore aureo pleno. *Tourn! inst.* 289.
R. rutæfolius. *Mill. dict. n.* 6. *non Lin.*
R. fumariæfolius. *Desf. in Ic. Pict. h. Par.* 37. *t.* 74.
Hab. . . . . olim in hortis cultus. ♃. (v. s. c. in h. Mus. Par.)
Species affinis hinc R. gracili et millefoliato, illinc R. Asiatico.
Radix grumosa, tuberibus ovatis in fibrillas desinentibus; folia radicalia numerosa glabra petiolata, pinnatìm secta, segmentis 4-5 multipartitis, lobis oblongis brevibus obtusiusculis; pedunculi subradicales plurimi adpressè villosi uniflori, nunc aphylli, nunc folio unico multifido circa medium instructi; calyx patens glaber, sepalis ovato-oblongis. Flores semper plenos et flavos vidi, magnitudine circiter R. acris multiplicis.

45. Ranunculus myriophyllus.

R. foliis decompositis multifidis villoso-canescentibus, laciniis linearibus, caule ramoso adpressè villoso, calyce patente villoso.

R. millefolius. *Russel! gew. alep. in Schrad. journ.* 1799. *p.* 424.
Hab. Aleppo *Pat. Russel,* inter Aleppum et Mossul *Labill. Olivier.* ♃. (v. s. sp. in h. Banks, Olivier, Labill.)
Hab. in Sibiriâ. *Sm.* ♃ (v. s. sp. in h. Sm.).

Radicis fibræ cylindricæ tenues fasciculatæ, collum sursùm fibrillosum; folia radicalia raris pilis puberula subglabra, petiolata, palmatìm pedatìmve partita, lobis linearibus obtusiusculis integris; caulina 2 sessilia; caulis erectus apice nudus simplex uniflorus, rariùs bifidus biflorus; flos paulò minor quàm R. acris. Calyx glaber sepalis ovatis inæqualibus obtusis. Carpella (ex Sm.) ovata stylis subrecurvis superata.

82. Ranunculus montanus.

R. foliis radicalibus glabris tripartitis orbiculatis, laciniis trifidis obtusis, caulinis sessilibus in lobos lineares integerrimos 3-5-partitis, caule 1-floro apice adpressè pubescente, calyce glabriusculo.

R. uniflorus, foliis glabris reniformibus semi-quinque lobis. *Hall. helv. n.* 1168. *

R. nivalis. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 686? *Crantz austr.* 2. *p.* 92. *t.* 4. *f.* 3? *Jacq. austr. t.* 325 *et* 326. *opt. Vill. dauph.* 4. *p.* 742. * *non Lin.*

R. montanus. *Willd! sp.* 2. *p.* 1321. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 895. * *Smith! in Rees cycl. n.* 40. *Wahlemb. helv. n.* 590. *carp. n.* 558. *Lapeyr. abr. pyr.* 317.

R. montanus var. f. *Bir! ren.* 39.

β. Tenuifolius, foliorum laciniis acutis.

R. tenuifolius montanus luteus. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 416 *et* 417. *f.* 1? *Chabr. sciag.* 465. *f.* 5? *Ray. hist.* 582? *Tourn! inst.* 291. (*ex herb. Tourn. cum syn. præced.*)

R. gracilis. *Schleich! pl. exsic.*

Hab. in pratis editioribus Carpatorum (Wahl.), Alpium Austriæ *Jacq.* Helvetiæ et Galliæ, Pyrenæorum; *β.* in Jurasso *Schl.*, Alpibus Appuanis *Bertol.* et in Galloprovinciâ. ♃ (v. v. sp.) fl. æstate.

Species in montibus excelsioribus non rara sed cum sequentibus sæpè confusa; fibrillæ radicales teretes tenues è collo ortæ; folia inferiora sæpiùs rotundata glabra, media superioraque parcè pubescentia; caulis erectus digitalis semi-palmarisve, sæpiùs bifolius, basi glaber, apice adpressè pubescens; calyx patulus subglaber vix pubescens nec ut in R. villarsii pilis patentibus villosus; foliorum floralium lobi lineares integerrimi nec ut in R. Gouani inciso-dentati; flos luteus R. acri paulò major; stigmata insignè revoluta.

83. Ranunculus Villarsii.

R. foliis pubescentibus, radicalibus suborbiculatis tripartitis laciniis trifidis dentatis acutis, caulinis sessilibus in lobos lineares integros 3-5-partitis, caule unifloro apice pubescente, calyce patentìm villoso.

R. Breyninus. *Crantz. austr.* 2. *p.* 91. *t.* 4. *f.* 2?

R. Lapponicus. *Vill. dauph.* 4. *p.* 743. *non Lin.*

R. Villarsii. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 896. *

R. montanus var. d. *Bir! ren.* 39.

R. Gouani. *Smith. in Rees cycl. n.* 41?

Hab. in pratis asperisque Alpium Sabaudiæ, Delphinatûs *Vill.* et Galloprovinciæ. ♃ fl. æstate. (v. v. sp.)

Species dubia, inter R. montanum R. acrem et R. Gouani quasi media. Differt a R. montano calyce villoso nec subglabro; foliorum radicalium lobis magis dentatis et acutis, radicis trunco crasso obliquo nigricante fibrillas radicales deorsum agente; tandem pubescentia foliorum inferiorum. Distinguitur à R. acri caule uni nec multifloro et radicis structurâ.

84. Ranunculus Gouani.

R. foliis radicalibus orbiculatis 5-lobatis, lobis inciso-dentatis, caulinis sessilibus palmato-partitis, lobis dentatis, caule pubescente, calyce subvilloso.

R. montanus folio aconiti magno flore. *Herb. Vaill! et Tourn! non C. Bauh.*
R. montanus latifolius hirsutus. *C. Bauh. pin.* 182 ? *herb. Vaill.*
R. Pyrenæus. *Gouan! ill.* 33. *t.* 17. *f.* 1. 2. * *non Lin.*
R. Gouani. *Willd. sp.* 2. *p.* 1322. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 896. * 5. *p.* 637. *Lapeyr. abr. pyr.* 318.
R. furcatus. *Berg. fl. bass. pyr.* 2. *p.* 409. *
R. montanus var. g. *Bir! ren.* 40.
Hab. in pratis asperisque Pyrenæorum *Gou.*, Alpium Delphinensium ? et in Hungariæ montibus Marmoriensibus (Willd.) ? ♃. fl. æst. (v. v. sp.)
Species à R. montano distinctissima ob habitum majorem, flores ampliores, folia floralia lobis inciso-dentatis donata approximata et sub flore involucrum sæpiùs mentientia; sed cæterùm variat 1°. staturâ in summis Pyrenæis digitali, in demissioribus udis ferè bipedali; 2°. caule unifloro aut multifloro, floribus nunc subumbellatis breviter pedicellatis, nunc longè pediculatis laxis; 3°. foliis floralibus nunc alternis distantibus, sæpiùs sub flore involucri in modo approximatis.

85. Ranunculus acris.

R. foliis pubescentibus subglabrisve palmato-partitis, lobis inciso-dentatis acutis, summis linearibus, caule erecto multifloro subpubescente, pedunculis teretibus, calyce subvilloso, carpellis mucrone subrecto terminatis.

Gefullter hanenfuss. *Brunf. herb.* 143. *ic. Lonic. simpl.* 163. *A. f.* 1. *et D. f.* 1. *malè.*
R. luteus. *Trag. stirp.* 94. *ic.*
Chrysanthemum. *Fuchs. hist.* 879. *ic.*
Aconitum III. *Matth. comm.* 764. *f.* 1. *Dalech. lugd.* 1739. *f.* 3. *Tab. ic.* 581. *f.* 2. *malè.*
R. octavus. *Cord. hist.* 120. *ic.*
R. hortensis 2. *Dod. pempt.* 426. *f.* 1. *Dalech. lugd.* 1032. *f.* 1.
R. sylvestris. *Tab. ic.* 42. *f.* 1.
R. pratensis surrectis cauliculis. *Lob. ic.* 665. *f.* 1.
R. surrectis cauliculis. *J. Ger. herb.* 951. *f.* 2.
R. pratensis erectus acris. *C. Bauh. pin.* 178 *et* 179. *Besl. Eyst. t.* 58. *f.* 1. *Ray. hist.* 583. *Tourn! inst.* 289. *Moris. hist.* 2. *p.* 439. *s.* 4. *t.* 28. *f.* 16. *Weinm. phyt. t.* 858. *f. b. Knorr. del. H.* 1.
R. rectus non repens flore simplici. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 416. *f.* 1. *Chabr. sciag.* 465. *f.* 4.
Upright meadow-crowfoot. *Petiv. engl. herb. t.* 38. *f.* 3.
R. acris. *Lin! sp.* 779. *Poll. pal. n.* 536. * *Curt. lond.* 1. *t.* 39. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 206. *n.* 53. *Smith! fl. brit.* 593. * *Engl. bot. t.* 652. *Rees cycl. n.* 59. *Willd. sp.* 2 *p.* 1326. *Mart. fl. rust. t.* 30. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4.

p. 899. * *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 367. * *Berg. fl. bass. pyr.* 2. *p.* 403. *Woodv. med. bot. supl. t.* 246.

R. foliis hirsutis semi-trilobatis lobis lateralibus bipartitis foliis caulinis semi-trilobis. *Hall. helv. n.* 1169. *

R. napellifolius var. *Crantz. austr.* 2. *p.* 90. *t.* 4. *f.* 1. *inf.*

* Flore pleno.

Gefullter hanenfuss. *Brunf. herb.* 144. *ic.*

R. prima species hortensis multiplicis. *Fuchs. hist.* 158. *ic.*

R. species 7 multiplex. *Cord. hist.* 120. *ic.*

R. multiflorus maximus. *Tab. ic.* 53. *f.* 2.

R. erectus hortensis flore pleno luteo. *Besl. h. Eyst. vern.* 1. *t.* 14. *f.* 3.

R. hortensis erectus flore pleno. *C. Bauh. pin* 179. *Tourn. inst.* 290. *Edw. brit. herb. t.* 78.

R. pratensis flore multiplici. *Park. par.* 218.

R. rectus non repens pleno flore. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 857.

R. luteus polyanthemos. *Theatr. fl. t.* 53.

R. acris flore pleno. *Curt. bot. mag. t.* 215.

ß. Sylvaticus, petiolis foliisque subtùs velutino-villosis.

R. sylvaticus. *Thuil! fl. par. ed.* 2. *v.* 1. *p.* 276.

R. lanuginosus *ß. Fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 899.

γ. Multifidus, foliorum lobis inciso-multifidis.

R. sylvestris 11. *Dod. pempt.* 427. *f.* 1 ?

R. polyanthemos. *Lob. ic.* 686. *f.* 1 ?

Hab. in pratis pascuis sylvestribusque totius Europæ etiam in Islandiâ (Hook), in Sibiriâ et Tauriâ *Pallas*, in Americâ boreali circa Bostoniam (Big.) et in Noveboraco et Canadâ. (Pursh.) ♃. fl. vere et æst. (v. v. sp.)

Differt à R. repente caule erecto foliorumque formâ; à R. montano et R. Villarsii caule multifloro; à R. polyanthemo pedunculis teretibus nec sulcatis; à R. Gouani foliorum superiorum formâ; à R. lanuginoso pilis caulis brevioribus adpressis paucioribus necnon foliis profundiùs tenuiùsque incisis. — Variat, 1°. foliis in medio nigro-maculatis immaculatisve; 2°. flore simplici aut pleno, quæ ultima varietas in hortis frequenter colitur; 3°. caule tereti aut ex Elsholtz casu fasciato; 4°. superficie subglabrâ, pubescente aut subvillosâ.

Var. *ß*, quæ forsan est species propria, vulgari est major; folia subtùs imprimis et in petiolo subtùs velutino-villosa; limbi foliorum orbiculati 5-partiti, lobis incisis dentatisque; folia summa inciso-dentata; flores numerosissimi subcorymbosi vulgari varietati paulò minores.

Var. *γ*. habitu ferè R. polyanthemo similis ob folia multipartita, lobis multifidis, sed ad R. acrem potiùs accedit fructibus acumine rectò superatis nec submuticis et caule glabro adpressève subpubescente nec patentim piloso.

86. Ranunculus Brutius.

R. foliis 3-5-partitis, partitionibus tripartitis, lobis lanceolatis bifidis utrinquè pubescentibus, caule erecto villoso multifloro, pedunculis teretibus, calyce adpresso petalis dimidio breviore.

R. Brutius. *Tenor. fl. neap. prod. suppl.* 1. *p.* 61. *Flor.* 1. *t.* 50. *et cat. h. neap.* 1. *p.* 52.

Hab. in monte Pollino regni Neapolitani (Ten.). 4.

Affinis R. acri: differt foliorum laciniis latioribus undique serratis glabriusculis nec villosis apice tantùm vix dentatis, corollis duplò majoribus aureo-lutescentibus; à R. polyanthemo foliis digitato-partitis glabriusculis, pedunculis teretibus nec striatis, diversus (Ten.).

87. Ranunculus Caucasicus.

R. foliis radicalibus longè petiolatis subpubescentibus tripartitis, lobis trifidis inciso-serratis, caulinis petiolatis trisectis, summorum lobis linearibus, caule erecto ad collum fibrilloso, pedicellis teretibus, calyce patente.

R. Caucasicus. *Bieb! fl. cauc.* 2. *p.* 27. *

Hab. in Caucaso subalpino, in collibus herbidis circa acidulam Narzana frequens *Bieb.* 4. fl. jun. aug. (v. s. sp. in h. Desf. Rich.).

Facies ferè R. acris; radix fibrillis nigricantibus è basi crassiuscula ortis; collum ramentis fibrillosis ferè ut in R. gramineo; herba erecta bipedalis glabra aut vix pubescens; folia radicalia petiolo longissimo tenui, limbo tripartito ferè trisecto, partitionibus trifidis tripartitisve, lobis apice inciso-serratis acutiusculis basi cuneiformibus; caulina breviùs petiolata sub ramis sita, evidentiùs trisecta, segmentis petiolatis angustioribus profundioribus acutioribus, dentibus apice incisis; summa tripartita lobis linearibus integris acutis; in omnibus foliis nervi ramosi subtùs valdè prominuli; flores R. acris sed paulò minores; pedicelli teretes graciles; carpella compressa lævia, stylo brevissimo subuncinata, in capitulum subrotundum aggregata.

88. Ranunculus rufulus.

R. foliis radicalibus 3-5-partitis, lobis multifidis, caulinis inferioribus petiolatis 3-partitis, summis linearibus, caule erecto pedunculisque teretibus farctis villosis, calyce patente.

R. rufulus. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 367. *

R. chærophyllos. var. e. *Bir. ren.* 42.

Hab. in Lusitaniâ ad ima collium cretacearum humida prope Conimbram (Brot.). 4.

Nimis affinis R. acri; radix fasciculata alba; caulis pedalis et ultrà; villi arctè adpressi subrufi; corolla 8 lin. diametro; fructus compressi glabri acuminati in capitulum subovale aggregati. (Brot.)

89. Ranunculus polyanthemos.

R. foliis 3-5-palmato-partitis inciso-multifidis lobis sublinearibus, caule erecto multifloro petiolisque patentim pilosis, pedunculis sulcatis, calyce hirsuto, fructibus submuticis.

R sylvestris 2. *Dod. pempt.* 427. *f.* 1?

R. polyanthemos. *Lob. ic.* 666. *f.* 1 ?
R. sylvestris. *Tab. ic.* 42 ?
R. polyanthemos. *Lin ! sp.* 779. *Poll. pal. n.* 535. * *Gmel. fl. bad. n.* 840. *DC ! fl. fr.* 5. *p.* 638. * *Smith ! in Rees cycl. n.* 58.
R. polyanthos. *Neck. gallob.* 240.
R. napellifolius var. *Crantz. austr.* 2. *p.* 90. *t.* 4. *f.* 1. *sup.*
R. multiflorus. *Gilib. in Ust. del.* 2. *p.* 418. *
Hab. in pratis dumetis et sylvis cæduis Belgii, *Lejeune*, Germaniæ (Tab.), Hungariæ *h. Lezai*, Lithuaniæ (Gil.), Russiæ (Sob.), Sueciæ (Lin.), Norvegiæ (Gun.) ♃. fl. vere et æst. (v. s. sp.).
Similis R. acri et præsertim hujus var. ß. ; sed differt, 1°. foliis multò magis dissectis, lobis angustioribus linearibus margine non dentatis ; 2°. caule petiolisque pilos numerosiores patentissimosque gerentibus ; 3°. pedunculis sulcatis nec teretibus ; 4°. calyce magis hispido ; 5°. ovariis circiter 20 nec ut in R. acri 50 ; 6°. carpellis submuticis nec stylo aristatis. — Synonyma veterum inter has duas species sunt valdè dubia.

90. Ranunculus nemorosus.

R. foliis radicalibus ultra medium 3-5-fidis, lobis cuneiformibus trifidis, lobulis apice dentatis, caule erecto petiolisque patentìm pilosis, pedunculis sulcatis, carpellis stylo uncinatis.

α. *Multiflorus*, caule multifloro, foliis superioribus in lobos lineares integros partitis.

R. montanus lanuginosus foliis ranunculi pratensis repentis. *C. Bauh. prod.* 96. *pin.* 182 ?
R. caule ramoso multifloro, foliis semi-septilobis, lobis tridentatis acutis. *Hall. helv. n.* 1171. *
R. polyanthemos. *Sut. fl. helv.* 1. *p.* 341. *Wahlemb. veg. helv. n.* 595.

ß. *Pauciflorus*, caule 1-3-floro, foliis superioribus sublobatis, inciso-dentatis, summis minimis.
R. aureus. *Schleich ! pl. exs.*

Hab. in sylvis Helvetiæ et Galliæ ; var. α in montanis ad radices Jurassi circa Neocomum *Chaillet*, Nevodunum *Gaudin*, et Cebennarum circa Meldam *Prost*, et in sylvâ Salbouz *Bouchet* ; var. ß in subalpinis Vallesiæ *Schleich*, Cebennarum, montium Nigrorum, Pyrenæorum. ♃. fl. maio-julio. (v. v. sp.)
Affinis R. acri, polyanthemo, lanuginoso et etiam montano et Villarsii. A R. polyanthemo (cui affinior ob pedunculos sulcatos et caules petiolosque patentìm pilosos) differt foliorum lobis minùs profundis, cuneiformibus apice dilatatis nec angustis sublinearibus, et carpellis stylo uncinatìm revoluto longiusculo nec brevissimo subrecto superatis ; quo ultimo caractere et pilis patentibus accedit ad R. lanuginosum, sed ab eo differt pilis mollioribus brevioribus patentibus nec reflexis, foliis magis lobatis, lobis angustioribus et pedunculis sulcatis ; ab omnibus aliis affinibus facilè distinguitur ob pedunculos sulcatos, pilosque patentes. — Var. α habet caulem 3-20-florum, parcè aut maximè ramosum, habitu ad R. acrem, polyanthemumve accedens. — Var. ß est 1-2-flora, vix ramosa, rarò palmam superans, R. montanum aut Villarsii habitu æmulans.

91. Ranunculus lanuginosus.

R. foliis trifidis holosericeis, lobis latis dentatis subincisis, caule erecto multifloro petiolisque reflexo-pilosis, pedunculis teretibus, carpellis stylo uncinatis.

Βατραχιον ετερον. *Diosc. ex Sibth. prod.* 1. *p.* 383.
R. sylvestris. *Trag. stirp.* 98. *f.* 1?
R. montanus v. *Clus. hist.* 237? *Ray. hist.* 584?
R. montanus hirsutus latifolius. *C. Bauh. prod.* 96. *ic. opt. Tourn. inst.* 291.
R. montanus latissimo folio hirsutus. *C. Bauh. pin.* 182. *Tourn. inst.* 290.
R. magnus valdè hirsutus flore luteo. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 417. *f.* 3. *Chabr. sciag.* 465. *f.* 6. *Ray. hist.* 582.
R. villosissimus Monspeliacus. *Herb. Tourn! et Vaill!*
R. nemorosus hirsutus foliis cariophyllatæ. *Læs. pruss.* 220. *t.* 71.
R. sylvestris fragariæ foliis. *Weinm. phyt. t.* 858. *f.* d
R. foliis radicalibus pinnatis. *Sauv. monsp.* 227.
R. lanuginosus. *Lin! sp.* 779. *fl. dan. t.* 397. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 691. *Gmel. fl. bad. n.* 842. * *Poir! dict.* 6. *p.* 109. * *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 899. *Bir! ren.* 40. *Smith! in Rees cycl. n.* 63. *Fl. græc. t.* 519. *Wahlemb. carp. n.* 562.
R. caule folioso ramoso erecto, foliis semi-trilobatis serratis hirsutissimis, vaginis sericeis. *Hall. helv. n.* 1172. *

β. *Geraniifolius*, foliis superioribus tripartitis, lobis oblongis acuminatis grossè serratis.

R. montanus subhirsutus geranii folio. *C. Bauh. pin.* 182. *Tourn! inst.* 291.

γ. *Constantinopolitanus*, calyce reflexo.

R. Constantinopolitanus latifolius villosissimus. *Tourn. ic. ined. in bibl. Juss.*

Hab. in sylvis montanis Europæ præsertìm subaustralis et mediæ in agro Monspeliensi *Magn.*, Delphinatu (Vill.), Helvetiâ *Hall.*, Pedemontio *All.*, Austriâ (Crantz), Germaniâ (Hoffm.), Daniâ (fl. dan.), Hungariæ Carpathis exterioribus (Wahl.), Græciâ et Peloponeso (Sibt.), Taurià (Pall. Bieb.) ♃. fl. jun.-aug. (v. v. sp.).

Species distinctissima ob folia multò aliis affinibus latiora, utrinquè pilis subadpressis holosericea, caulina inferiora etiam petiolata, caules et præsertìm petiolos pilosissimos pilis deorsùm tendentibus rigidulis. — Var. γ à specie vulgari differre videtur calyce reflexo, sed cum hujus iconem tantùm viderim et calycem in R. lanuginoso sæpè patentissimum observaverim, hanc pro specie propria admittere non ausi.

92. Ranunculus tuberosus. †

R. foliis radicalibus amplis trilobis, lobis distantibus, lateralibus bilobis, intermedio cuneiformi trilobo, lobulis incisis, caule subadscendente pubescente, pedunculis divaricatis teretibus, calyce adpresso.

R. tuberosus. *Lapeyr! abr. pyr.* 320.

Hab. in Pyrenæorum pratis. *Lapeyr.* ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par. ab ipso autore nomine insignita).

Planta grandis; radicis truncus crassus teres, digiti parvi magnitudine, nigricans, deorsum fibrillas agens; caulis suberectus subramosus pubescens pedalis; folia petiolis parcè pilosis donata, tripartita seu trisecta, lobis cuneiformibus apice incisis dentatis acutis, summa tripartita sessilia, lobis oblongis acutis, lateralibus integris, medio trifido tridentatove; calyx adpressus subglaber; flores R. acris; carpella compressa lævia stylo uncinato terminata. — Affinis R. lanuginoso. An satis à R. nemoroso distincta?

93. Ranunculus anemonefolius.

R. foliis radicalibus tripartitis pubescentibus basi cuneatis, lobis inciso-dentatis, caulino trisecto, lobis summisque foliis longè-linearibus integris, caule erecto 1-2-floro basi glabro apice pubescente, calyce reflexo.

R. Cappadocicus aconiti folio flore luteo maximo. *Tourn! herb.*

Hab. in Cappadociâ. *Tournefort* ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par.).

Radix fasciculata fibris cylindricis tenuibus; folia radicalia petiolis 2-3 pollices longis villosis, limbo tripartito basi cuneato pubescente, partitionibus apice incisis dentatis, imorum seu primordialium foliorum obtusis, cæterorum elongatis acutis. Caules 1-2, vix pedem longi, simplices aut bifidi, basi glabri, apice pubescentes, 1-2-flori; folium caulinum inferiùs petiolatum trisectum, lobis linearibus longissimis integris; folia floralia sub pedunculis aut secus eos sita, linearia, integra, longissima; calyx reflexus; petala obovata obtusissima, lutea, magnitudine R. graminei; styli brevissimi.

94. Ranunculus napellifolius.

R. foliis radicalibus tripartitis, partitionibus multifidis, lobulis linearibus, floralibus tripartitis lobis linearibus, caule erecto 1-2-floro ad collum fibrilloso adpressè villoso, calyce adpresso.

R. orientalis napellifolio flore luteo magno. *Tourn! cor.* 20.

Hab. in Cappadociâ *Tourn.* et in agro Constantinopolitano *Toscan.* ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par. et Desf.).

Radix fibris tenuibus cylindricis constans; collum ut in R. gramineo fibrillosum; herba 4-6 poll. alta, erecta, villis albidis subadpressis villosa, simplex; folia radicalia petiolata caule triplò breviora, circumscriptione suborbiculata, tripartita, partitionibus multifidis, lobulis linearibus acutis; caules 1-2, subnudi, 1-2-flori; folia floralia tripartita, lobis linearibus integerrimis. flos amplus erectus luteus. Calyx adpressus extùs hirsutus; petala calyce duplò longiora obtusissima; fructus ignotus.

95. Ranunculus dissectus.

R. foliis radicalibus subpinnatìm multipartitis, lobulis

linearibus acutis, caulinis in lobos lineares integerrimos partitis, caule erecto 1-2-floro pubescente, calycibus hirsutis patentibus.

R. nivalis. *Pall. ind. taur. ex Bieb.*

R. dissectus. *Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 25. *

Hab. in summis planitiebus montium Sibiriæ *Pall! in h. Lamb.*, ad montes Tschaturdag in scrobibus nive tardiùs deliquescente repletas versus cacumen (Bieb.). ♃ fl. maio-julio. (v. s. sp.)

Radix fasciculata nigricans, fibris tenuibus confertis subsimplicibus; collum subfibrillosum reliquiis nempè foliorum veterum subcinctum; folia radicalia petiolata, petiolo subpiloso 1-2 poll. longo, pinnatisecta, segmentis sessilibus subglabris approximatis sessilibus multifidis, lobulis linearibus acutis integris trilobisve, segmentis 2 inferioribus interdùm subpetiolatis et ideò folium ferè trisectum; caules 1-2, erecti, 6-8 poll. longi, teretes, pubescentes, nudi, 1-2-flori; pedunculi teretes apice canescenti-pubescentes; folia floralia tripartita lobis linearibus integris, interdùm bi-tripartitisve. Calycis sepala ovalia villosa patentia; petala obovato-cuneata lutea calyce duplò longiora magnitudine R. montani. Stam. innumera calycis longitudine. — Folia R. chærophylli; radix et flos R. montani. — Icon *R. montani tenuifolii lutei J. Bauh. hist.* 3. *p.* 416 non malè hujus speciei habitum exprimit, sed certò ad R. montani var. β pertinet ex loco natali.

96. Ranunculus villosus.

R. foliis villosis trisectis, segmentis ovatis inciso-dentatis, floralibus tripartitis, lobis oblongis subintegris, caule erecto dichotomo, pilis subdeflexis hispido, calyce hispido patente.

Hab. in Persiâ *h. Lamb.* ♃ (v. s. sp. in h. Lamb.)

Herba tota pilis patentibus ferè deflexis rigidulis longis hispida; caulis dichotomus; folia radicalia ignota; caulina utrinquè villosa, sub origine ramorum sita, breviter petiolata, trisecta, segmentis sessilibus approximatis ovatis grossè inciso-dentatis, dentibus vix acutis; superiorum lobis paulò magis oblongis; floralia subopposita tripartita, lobis oblongis acutis ferè integris; summa interdùm indivisa; pedunculi inferiores oppositifolii, medii è dichotomiâ orti, summi terminales, erecti demùm patentes, per anthesin adpressè villosi, dein hispidi, omnes 1-flori; calycis sepala ovali-oblonga extùs hispida caducissima nempè ante petala decidua; petala obovato-cuneata, lutea, calyce duplò longiora patentia, squamulâ cuneatâ basi aucta; stam. petalis dimidio breviora; ovaria in capitulum subrotundum aggregata, stylo uncinato superata.

97. Ranunculus Cappadocicus.

R. foliis pubescentibus, radicalibus cordatis trifidis, lobis dentatis acuminatis, caulino inferiore petiolato, superiore sessili integro, caule erecto subbifloro, calyce patente, radice præmorsâ.

R. orientalis dulcis Doronici radice. *Tourn! cor.* 20.

R. Cappadocicus. *Willd. sp.* 2. *p.* 1326. *Smith. in Rees cycl. n.* 62.
R. chærophyllos var. g. *Bir. ren.* 43.
Hab. in Cappadociâ. *Tourn.* ♃. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)
Medius ferè inter R. acrem et lanuginosum (Willd.); Radicis truncus obliquus crassiusculus præmorsus, radiculas simpliciusculas teretes agens; folia pubescentia, radicalia petiolata basi cordata suborbiculata trifida, lobis grossè dentatis, dentibus subacutis; caulina paucissima subsessilia; suprema tripartita, lobis ovato-lanceolatis acutis integerrimis; caulis simplex aut apice bifidus, erectus, vix pedalis; flos mihi ignotus; carpella ovata subcompressa obtusè subuncinata lævia, in capitulum parvum ovatum aggregata.

98. Ranunculus sericeus.

R. foliis villoso-sericeis, radicalibus petiolatis 3-5-partitis, caulinis trisectis, segmentis longè petiolatis 3-partitis, omnium lobis inciso-serratis, caule erecto villoso multifloro, calyce patente.

R. sericeus. *Poir! dict.* 6. *p.* 109. * *Bir! ren.* 40. *Smith! in Rees cycl. n.* 64. * *non Willd.*
Hab. in insulis Mauritianis *Commerson.* ♃. (v. s. sp.)
Habitus ferè R. acris aut polyanthemi; Radix fibrillis cylindricis nigris; folia caulina sæpiùs trisecta, segmentis breviter longiùsve tripartita, lobis trifidis cuneiformibus, lobulis apice inciso-serratis; floralia angustiora tripartita, lobis sublinearibus apice dentatis integrisve acutis; caulis erectus pedalis et ultrà apice ramosus, pedunculis 4-5 unifloris, centrali præcociori; flores magnitudine R. arvensis; petala oblonga subovalia calyce longiora; carpella compressa lævia stylo brevissimo acuminata, in capitulum ovatum aggregata. Herba tota villis sericeis in limbo foliorum adpressis, in caule petiolisque patentibus villosa.

99. Ranunculus rhœadifolius.

R. foliis subglabris pinnatìm trisectis, inferiorum petiolis longis, segmentis ovalibus trilobis grossè dentatis, superiorum lobulis linearibus, caule erecto subramoso subglabro, calyce reflexo.

Hab. in agro Mogadoriensi aut forsan in Canariis. *Broussonet.* ♃. (v. s. sp. in h. Desf.)
Herba demtis floribus Rhœadem seu Papaverem obtusifolium simulans; Radicis truncus subobliquus fibrillas tenues cylindraceas agens; caulis erectus palmaris pedalisve teres subramosus, glaber aut cum foliis hinc indè parcè pilosus. Folia primordialia orbiculata grossè dentata; radicalia et inferiora longè petiolata, pinnatìm trisecta, segmentis nempè lateralibus subsessilibus, medio petiolato, ovalibus obtusiusculis trilobis grossè dentatis; superiora etiam trisecta, lobis magis oblongis in lobulos lineares profundiùs incisis; omnium dentes apice sphacelati et in sicco albidi; pedicelli pauci axillares uniflori, foliis paulò breviores; flores parvi flavi; calyx reflexus; fructus ignotus.

100. Ranunculus repens.

R. foliis pinnatìm trisectis, segmentis cuneatis trilobatis inciso-dentatis, caule flagella prostrato-repentia è collo agente, florifero suberecto, calyce adpresso, carpellis acumine recto.

R. sylvestris. *Trag. stirp.* 98. *ic?*
R. tertius. *Matth. comm.* 458. *f.* 2. *malè. Dalech. lugd.* 1028. *f.* 2.
R. hortensis 1. *Dod. pempt.* 425. *ic. Dalech. lugd.* 1031. *f.* 3.
R. vinealis. *Tab. ic.* 54. *f.* 1.
R. dulcis batrachium salutiferum. *Tab. ic.* 51. *f.* 2.
R. polyanthemus. *Thal. herc.* 98.
R. pratensis et hortensis reptante cauliculo. *Lob. ic.* 664. *f.* 2.
R. pratensis etiamque hortensis. *J. Ger. herb.* 951. *f.* 1.
R. pratensis repens hirsutus. *C. Bauh. pin.* 179. *Moris. hist.* 2. *p.* 439. *s.* 4. *t.* 28. *f.* 12. *Tourn! inst.* 289. *Blackw. t.* 31.
R. pratensis repens. *Park. theat. Ray. hist.* 581.
R. repens flore luteo simplici. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 2. *p.* 419. *ic. mal. Chabr. sciag.* 466. *f.* 5.
Creeping crow-foot. *Petiv. engl. herb. t.* 38. *f.* 7.
R. repens. *Lin! sp.* 779. *fl. Dan. t.* 795. *Poll. pal. n.* 534. * *Curt. lond. ic. Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 206. *n.* 54. *t.* 84. *Mart. fl. rust. t.* 29. *Smith! fl. brit.* 592. * *Engl. bot. t.* 516. *Rees cycl. n.* 54. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 898. * *Poir! dict.* 6. *p.* 112. *Gmel. bad. n.* 839. * *Bir! ren.* 41.
R. caule reptante radicato, foliis semi-trilobatis, lobis petiolatis. *Hall. helv. n.* 1173. *
R. prostratus. *Poir! dict.* 6. *p.* 113. * *Smith in Rees cycl. n.* 55.
R. infestus. *Salisb. prod.* 373.
* Flore pleno.
R. polyanthos. *Cam. hort.* 136.
R. dulcis multiflorus. *Tab. ic.* 53. *f.* 1.
R. multiflorus maximus. *Tab. ic.* 53? *Tourn. inst.* 290.
R. dulcis multiplex. *J. Ger. herb.* 957. *f.* 2.
R. hortensis flore pleno. *Besl. Eyst. vern.* 1. *t.* 13. *f.* 2. *Knorr. del. H.* 2.
R. hortensis inclinans. *C. Bauh. pin.* 179. *Tourn. inst.* 290.
R. dulcis flore pleno. *C. Bauh. pin.* 179. *Tourn. inst.* 290.
R. repens flore luteo pleno. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 2. *p.* 420 *et app. p.* 857 (*falsò notata* 841) *ic. Chab. sciag.* 466. *f.* 6.
R. magnus hirsutus flore pleno. *Chab. sciag.* 467. *f.* 1?

β. Erectus, caulibus floridis erectis, flagellis repentibus nullis.

R. pratensis erectus dulcis. *C. Bauh. pin.* 179? *Tourn. inst.* 289? *Ray. hist.* 583?

γ. Glabratus, foliis cauleque glaberrimis.
R. lucidus. *Poir! dict.* 6. *p.* 113. *

Hab. in pratis, fossis, plateis oleraceisque Europæ totius, ab Islandiâ (Hook) ad Neapolim (Ten.), et Achaïam Peloponesumve (Sibt.), à Lusitaniâ (Brot.) ad Petropolim (Sob.), etiam in Sibiriâ *Gmel.*, Maderâ *h. Banks*, Pensylvaniâ et Virginiâ (Pursh), Bostoniâ (Big.). ♃. fl. vere et æst. (v. v. sp.)

Herba vulgatissima variat, 1°. caulibus nunc omnibus prostrato-repentibus, nunc mediis erectis, lateralibus flagelliformibus repentibus, nunc flagellis deficientibus omnibus suberectis; 2°. foliorum segmentis lateralibus sessilibus petiolulatisve, medio semper petiolato; 3°. superficie nunc in apricis villoso-cinerascente, nunc pubescente, nunc in aquosis glaberrimo lucente atro-viridi; 4°. foliis nigro (Thal.) aut albo (Tourn.) maculatis aut sæpiùs immaculatis; 5°. foliorum segmentis trifidis tripartitisve, lobis interdùm multifidis; 6°. flore simplici, aut pleno, quæ varietas in hortis frequenter colitur et etiam in agris pinguibus reperitur; 7°. flore è centro prolifero, etc.

101. Ranunculus geranioïdes.

R. villosus, foliis radicalibus trisectis, segmentis petiolulatis basi cuneatis trifidis inciso-dentatis, caule adscendente paucifloro, pedicellis 1-floris oppositifoliis, petalis oblongis, calyce subreflexo.

R. geranioïdes. *Humb. Bonpl. et Kunth ! nov. gen. sp. am. ined.*

Hab. in monte Quindiu Novæ-Granadæ. *Humb. et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. H. B.)

Radix nigricans fibris cylindricis è collo ortis; herba humilis ad R. Chilensem accedens, tota villosa, villis longis subadpressis aut ad apices petiolorum pedicellorumque patulis confertis : folia radicalia et caulina petiolata trisecta, petiolo basi in vaginam amplam glabram dilatato, segmentis subsessilibus ovatis basi cuneatis trifidis inciso-dentatis; caules graciles ascendentes; pedicelli 1-flori foliis oppositi pauci, primùm erecti, post anthesin divaricati elongati, infimo prope basim caulis orto et summis multò longiore et præcociore. Calyx villosus reflexus; petala oblonga subobovata; carpella compressa lævia stylo brevi recto aristulata.

102. Ranunculus Chilensis.

R. caulibus procumbentibus petiolisque hispidis, foliis subvillosis cordato-orbiculatis 3-5-fidis, lobis grossè dentatis, calycibus villosissimis.

Hab. in Chili. *Dombey.* ♃. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Radix è fibris nigricantibus cylindricis vix fibrillosis fasciculatis constans; caules plurimi procumbentes teretes steriles parcè pilosi elongati, floriferi breviores valdè hispidi; folia radicalia plurima, petiolis hispidis bipollicaribus, limbo utrinquè parciùs villoso orbiculato profundè cordato ultra medium 3-5-fido, lobis apice grossè dentatis; folia caulina petiolis pollicem longis basi in vaginam glabram membranaceam dilatatis; pedunculi oppositifolii pilosissimi uniflori; flores parvi; calyx villosissimus verosimiliter reflexus; cætera ignota. — Habitu accedit hinc ad R. parviflorum et muricatum, illinc potiùs ad R. geranioïdem : affinitas dubia ob carpella ignota.

103. Ranunculus lappaceus.

R. foliis villosis petiolatis pinnatisectis pinnatifidisve,

segmentis ovatis trifidis acutè inciso-lobatis, caule erecto multifloro, calyce patente, carpellis stylo uncinato superatis.

R. lappaceus. *Smith! in Rees. cycl. n.* 61. *

β. *Obtusatus*, foliis brevioribus obtusioribus tripartitis, caulinis subnullis, caule bifloro.

γ. *Pubescens*, caule petiolisque adpressè pubentibus, calyce hispido.

Hab. in Novâ-Hollandiâ prope Port-Jackson. *h. Mus. Par. et Sm.* ♃. (v. s. sp.)

Radix fasciculata fibris cylindricis simplicibus nigricantibus; caulis erectus pedalis sesquipedalisve apice in ramos 2-4 unifloros divisus, pilosus, pilis basi numerosis patulis, apice paucioribus adpressis; folia radicalia petiolis 2-3 poll. longis hispidis, pinnatifida aut pinnatisecta, lobis nempè confluentibus aut discretis, medio petiolulato, lateralibus sessilibus, omnibus trifidis incisis acutis adpressè villoso-pubescentibus; superiora tripartita, lobis oblongo-linearibus, aliis trifidis tridentatisve, summis integris; flores terminales lutei magnitudine R. repentis; calyx patens in α pubescens, in γ subhirsutus, sepalis ovalibus; petala obovata calyce duplò longiora, obtusissima; carpella 25-30 sublævia, compressiuscula, stylo uncinato persistente terminata, in capitulum globosum ob stylos recurvos lappæ capitulis simile aggregata.

Species affinis R. pinnato, sed carpella non tuberculosa, cæterùm sat varians ut è varietatibus indicatis constat.

104. Ranunculus pilosus.

R. caule ascendente dichotomo, petiolis patentìm pilosis, foliis adpressè subvillosis pinnatisectis, segmentis trifidis grossè dentatis, summorum linearibus oblongis, calyce reflexo subglabro, carpellis stylo recto.

R. pilosus. *Humb. Bonpl. et Kunth! nov. gen. et sp. am. ined.*

Hab. in Americâ meridionali circa Santa-Fez. *Humb. et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. H. et B. et Deless.)

Radix fasciculata, fibris cylindricis crassis longis simplicibus; folia radicalia et caulina inferiora petiolis patulè rigidèque pilosis, pinnatisecta, segmentis nunc 3 medio petiolulato trilobato, nunc 5 ultimo subconfluente subtrilobo, segmentis lobisve ovatis grossè dentatis; superioribus oblongis, summis linearibus subintegris, omnibus adpressè villosis; caulis exactè adscendens nempè basi patulus apice erectus, patentìm pilosus, basi parcè foliosus, dichotomus, 2-4-florus, pedunculis longis 1-floris adpressè pubescentibus; calyx reflexus adpressè pubens aut ferè glaber; petala oblongo-cuneata obtusa calyce longiora; carpella lævia compressa, stylo recto terminata, in capitulum globosum disposita.

105. Ranunculus petiolaris.

R. foliis radicalibus longissimè petiolatis tripartitis adpressè sericeo-pubescentibus, partitionibus trifidis inciso-denta-

tis, floralibus tripartitis, lobis linearibus, caule dichotomo erecto calyce reflexo.

R. petiolaris. *Humb. Bonpl. et Kunth ! nov. gen. et sp. Amer. ined.*
Hab. in Mexico prope Santa-Rosa. *Humb et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. H. B.)
Foliorum radicalium petioli 5-10 poll. longi adpressè pubescentes; partitiones basi cohærentes, ovali-lanceolatæ, apicis trifidæ, inciso-dentatæ acuminatæ; folia caulina partita in lobos angustiores trifidos magis acuminatos, lobulis integris; flores paulò minores quàm in R. bulboso; petala obovato-oblonga obtusissima; carpella ovata glabra, stylo brevissimo recto subaristata, in capitulum globosum aggregata.

106. Ranunculus dichotomus.

R. foliis glabriusculis, radicalibus longissimè petiolatis bipinnatìm sectis, caule erecto dichotomo, calyce reflexo.

R. dichotomus. *Moç. et Sessé. pl. mex. ic. ined.*
Hab. in Mexico. (Moç. et Sess.) ♃.
Radices fibrosæ; folia radicalia caule florali longiora, longè petiolata, segmentis pinnatìm dispositis incisis angustis acutis; caulina inferiora breviùs petiolata; superiora sessilia pinnatisecta in lobos longos integros lineares; caulis bifidus dichotomusve; pedunculi longi uniflori nudi; flores lutei R. bulbosi; fructus apice in acumen rectum desinentes. (*Descr. ex ic.*)

107. Ranunculus Persicus.

R. foliis glabris, radicalibus petiolatis pinnatisectis, segmentis trilobis, lobis ovatis basi cuneatis apice regulariter dentatis, caulinis trisectis, summis tripartitis, subpubentibus, caule erecto dichotomo adpressè pubescente, calyce patente extùs villoso.

Hab. in Persiâ *h. Pallas.* ♃. (v. s. sp. in h. Lamb.)
Radices fibrosæ fasciculatæ tenues; collum fibrillis seu vestigiis foliorum cinctum; caules erecti pedales ramosi dichotomi adpressè tenuiterque pubescentes; folia radicalia glabra, petiolo vix 3 poll. longo basi plano instructa, pinnatisecta, segmentis 2 alternis nunc petiolulatis nunc sessilibus trilobis, lobis ovatis basi cuneatis apice acutè regulariterque denticulatis, interdùm subincisis; folia caulina petiolo brevissimo latissimo, trisecta, segmentis ex apice petioli ortis oblongis utrinquè acuminatis apice inciso-dentatis, summa tripartita, lobis linearibus integris adpressè subpubescentibus; pedunculi 1-flori; flores lutei magnitudine R. repentis et paulò majores; calycis sepala ovalia obtusa patentia extùs villosa; petala obovata subcuneata calyce duplò longiora; fructus ignotus.

108. Ranunculus plebeius.

R. caule erectiusculo dichotomo basi petiolisque patentìm pilosissimo apice subglabro, foliis trisectis villosis, seg-

mentis petiolulatis ovatis inciso-dentatis, summis linearibus integris, calyce subreflexo.

R. plebeius. *R. Brown! prod. nov. holl. v. 2. ined.*
Hab. in Novâ-Hollandiâ ad Hunters-river, Hawkesbury, etc. *R. Brown.* ♃. (v. s. sp. comm. à cl. R. Brown.)
Radix fibrillis tenuibus fasciculatis constans; caulis suberectus pedalis sesquipedalisve, apice dichotomo-ramosus, basi cum petiolis petiolulisque valdè hispidus, pilis patentibus rigidulis longis, apice subglaber aut pilis raris adpressis pubescens; folia radicalia et caulina petiolata trisecta, segmentis petiolulatis ovato-cuneatis inciso-lobatis utrinquè villosis; floralia summa linearia integra parva pauca; pedunculi uniflori; flores lutei vix magnitudine R. arvensis; calyx hirsutus primùm patens, dein reflexus; petala obovata calyce longiora; carpella compressa lævia, stylo subuncinato terminata, in capitulum subrotundum aggregata.

109. Ranunculus hirtus.

R. caule erecto dichotomo, petiolis pedunculisque pilosissimis, foliis caulinis petiolatis, inferioribus trisectis, segmentis petiolulatis ovatis dentatis, mediis trilobatis, summis ovali-oblongis, calycibus retroflexis.

R. hirtus. *Banks et Sol! mss.*
Hab. in graminosis Novæ-Zelandiæ prope Tigadus, Tolaga, Opuragi, Totaranui. *Banks.* ♃. (v. s. sp. comm. à cl. Jos. Banks.)
Affinis R. plebeio. Caules 2-3 erecti, ad apicem usque pilis patentibus rigidulis hispidi, dichotomi; folia radicalia et caulina longè petiolata, petiolis hispidis, trisecta, segmentis petiolulatis ovatis grossè dentatis pilosis; caulina media segmentis confluentibus triloba; summa sessilia ovata dentata aut oblonga integra; flores minimi longè pedunculati; calyces retroflexi; carpella compressa lævia stylo brevissimo recto apiculata, in capitulum ovatum aggregata.

110. Ranunculus hispidus.

R. caule erecto ramoso petiolisque patentìm pilosissimis, foliis trisectis tripartitisve, segmentis ovalibus acutis inciso-dentatis, pedicellis adpressè pubescentibus, calyce adpresso.

R. hispidus. *Michx! fl. bor. am. 1. p. 321. Pursh. fl. bor. am. 2. p. 395. Smith in Rees cycl. n. 69.*
Hab. in umbrosis sylvis Carolinæ inferioris *Michx*, Virginiæ (Pursh). ♃. fl. jun.-aug. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)
Radicis collum subtuberosum fibrillas graciles agens; folia radicalia petiolo longo plus minùsve hispido circiter 2 poll. longo, trisecta aut tripartita, lobis nunc distinctis nunc cohærentibus, nunc sessilibus nunc petiolulatis, intermedio longiùs petiolulato, lateralibus bi, terminalibus trifidis, lobis acutè inciso-dentatis ovalibus utrinquè acutis; scapi 1-2 basi

præsertìm patulè villosissimi, apice subramosi, 3-4-flori; pedicellorum pili adpressi; folia floralia oblonga integra aut tripartita lobis oblongis serratis; calyx adpressus; petala obovata lutea obtusa magnitudine R. acris; carpella compressa lævia stylo brevissimo.

111. Ranunculus recurvatus.

R. caule erecto petiolisque patentìm pilosissimis, foliis tripartitis adpressè villosis, partitionibus ovalibus subincisis dentatis, calyce reflexo, carpellis stylo uncinato.

R. recurvatus. *Poir! dict.* 6. *p.* 123. * *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 394. *Smith! in Rees cycl. n.* 67. *
R. lanuginosus. *Walt. fl. car.* 159? *ex cl. Bosc.*
R. Pensylvanicus var. *Bir! ren.* 41.

ß. Nelsonii, foliorum lobis approximatis, pedicellis adpressè pilosis folii longitudine.

Hab. in sylvis Americæ septentrionalis, in Carolinâ *Bosc*, circa New-Yorck *Poir.*, à Noveboraco ad Carolinam *Pursh*, in Labrador *h. Banks.* — *ß.* in insulâ Unalaschkâ unâ ex Aleutienis. *D. Nelson.* ♃. (v. s. sp.)
Affinis R. Pensylvanico, sed evidenter differt 1°. foliis tripartitis nec trisectis, lobis nempè basi confluentibus nec ad petiolum usque fissis; 2°. carpellis in capitulum subglobosum nec ovatum aggregatis, stylo recurvato uncinato nec recto terminatis. Radix ferè bulbosa nempè collo petiolorum vaginis vestito deorsùm fibrilloso; caulis pedalis sesquipedalisve; foliorum limbi basi cordati tripartiti, partitionibus ovatis subacutis serratis, lateralibus interdùm subbifidis; pedicelli sæpiùs folio longiores foliolis linearibus minimis ad basin instructi; flores parvi lutei; petala linearia ex Pursh. — Var *ß*, quam in herb. cl. Jos. Banks vidi, differt foliorum lobis magis approximatis apice incisis, lobulis paucioribus majoribus, pedicellis magis adpressè pilosis folio æqualibus. An species propria?

112. Ranunculus Pensylvanicus.

R. caule erecto petiolisque rigidè patentìmque pilosis, foliis trisectis adpressiùs villosis, segmentis subpetiolatis acutè trilobis inciso-serratis, calyce reflexo, carpellis stylo recto.

R. Pensylvanicus. *Lin! supl.* 272. *Willd. sp.* 2. *p.* 1323. *Poir! dict.* 6. *p.* 120. * *Bir! ren.* 41. (*excl. syn. Poir.*) *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 392. *Smith! in Rees cycl. n.* 46.
R. Canadensis. *Jacq. misc.* 2. *p.* 343. * *Ic. rar.* 1. *t.* 105.
R. trifolius. *Mœnch. suppl.* 70.
Hab. in pratis depressis Pensylvaniæ (Lin.), et Canadæ (Jacq.) rarior (Pursh). ♃. fl. jul. aug. (v. v. c.)
Caulis erectus 1-2 pedalis ramosus; pili caulis ramorum petiolorumque rigidi patentissimi, foliorum pedicellorum pauciores subadpressi; segmenta basi cuneata oblonga acutè incisa serrata; flores parvi lutei; petala elliptica calycis longitudine patentia; calyx retroflexus; car-

pella compressa lævia, stylo recto superata, in capitulum ovatum oblongumve conferta.

113. Ranunculus fascicularis.

R. caule erecto ramoso, foliis adpressè pubescentibus trisectis segmento medio tripartito subpinnatisectis, lateralibus remotè trilobis, calyce patente subtùs villoso petalis breviore.

R. fascicularis. *Muhlemb. in Big. fl. bost.* 137.

Hab. in Americæ borealis siccis collinisque circa Bostoniam (Big.). ♃. fl. aprili.-maio.

Radices numerosæ fasciculatæ subcarnosæ; folia pubescentia sed primo adspectu lævia, radicalia longè petiolata ternata; foliola triloba, terminali ferè trisecto undè folium pinnatisectum ferè evadit; pedunculi paulò angulares; calyx patens subtùs villosus; petala calyce longiora basi pellucida; squamula obovata (Big.).

114. Ranunculus Belvisii.

R. caule erecto ramoso petiolisque rigidè parcèque pilosis, foliis glabris trisectis, segmentis trilobis, lobis oblongis apice acutè incisis, calyce glabro patente petalis breviore.

Hab. in Americâ boreali. *Pal. de Beauvois.* ♃. (v. s. sp.)

Caulis erectus sesquipedalis ramosus pilis raris rigidis patentibus hinc indè instructus; petioli similiter pilosi; folia radicalia longè petiolata; primordialia? nonnulla oblonga ferè linearia et ad petiolum foliaceum ferè reducta; caulinum unicum sub pedunculo inferiori petiolatum trisectum, petiolo nervoque subtùs ad basin pilosiusculis, segmentis æqualiter petiolulatis ultra medium trifidis, lobis oblongis acuminatis apice acutè parcèque incisis; folia floralia sessilia trisecta, lobis linearibus integerrimis; flores lutei paulò minores quàm in R. acri; calyx glaber patens petalis obovatis dimidio brevior; carpella compressa lævia stylo brevi recto aristata.

115. Ranunculus Marylandicus.

R. caule erecto subramoso, petiolisque basi molliter hirsutis, apice adpressè pubescentibus, foliis glabriusculis trisectis, segmentis trilobatis, lobis oblongis acutis incisodentatis, calyce glabro patente petalis breviore.

R. Marylandicus. *Poir! dict.* 6. *p.* 126. * *Bir. ren.* 48. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 394. *Smith in Rees cycl. n.* 66.

Hab. in Marylandiâ, *Bosc*, in sylvis opacis à Pensylvaniâ ad Virginiam (Pursh). ♃. fl. maio-jul. (v. s. sp.)

Radices fibrosæ fasciculatæ; caulis erectus apice subramosus 2-3-florus, basi tomento brevi patente conferto hirsutus, apice adpressè pubescens;

folia radicalia longè petiolata, petiolorum pube caulinæ conformi, trisecta, segmentis ultra medium trifidis, lobis oblongis acuminatis acutè inciso-dentatis, petiolulatis, medio longire; caulina breviter petiolata trifida basi cuneata; summa linearia longa integerrima; calyx glaber reflexus; petala obovata obtusissima R. acri paulò majora pallidè flava; carpella compressa, stylo recto acuminata, in capitulum subrotundum aggregata.

116. Ranunculus Carolinianus.

R. caule erecto subramoso, petiolisque adpressè pubescentibus, foliis glabriusculis trisectis trilobisve, lobis ovatis subincisis dentatis, calyce glabriusculo reflexo petalis paulò breviore.

R. septentrionalis. *Poir. dict.* 6. *p.* 123? *Bir. ren.* 48? *Pursh. fl. bor.* 2. *p.* 394? *Smith in Rees cycl. n.* 68?
R. lanuginosus var. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 394. (ex h. Lamb.)
R. hispidus var. *Michx! fl. am. bor.* 1. *p.* 321. (ex h. Michx.)
Hab. in Carolinâ inferiore *Bosc.* ♃. (v. s. sp.)
Valdè affinis R. Marylandico, sed distinctus pube pauciore omninò adpressâ: foliis radicalibus promiscuè trisectis trilobatisve: segmentis lobisve ovatis obtusioribus, nunc indivisis, nunc trifidis, semper obtusiùs dentatis: floribus paulò minoribus: petalis potiùs oblongis quàm obovatis. — R. septentrionalis Poir. est forsan prioris mera varietas ex cl. Lamarck herbario.

117. Ranunculus tomentosus.

R. caule patentìm villosissimo ascendente 1-2 floro, foliis petiolatis tomentosis trisectis, summo sessili ovato integro, calyce villosissimo subreflexo.

R. tomentosus. *Poir! dict.* 6. *p.* 127. * *Bir. ren.* 48. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 394. *Smith in Rees cycl. n.* 65.
R. lanuginosus var. *Pursh ex h. Lamb.*
Hab. in Carolinâ editiore. *Bosc.* ♃. (v. s. sp. in h. Bosc.)
Affinis R. pubescenti et Marylandico. Radices fibrosæ fasciculatæ; planta pusilla; caules breves apice adscendentes, pilis mollibus patulis confertissimis densè onusti; petioli iisdem pilis villosissimi; folia trisecta; segmenta triloba, lobis ovatis dentatis adpressè villosis; pedicelli duo uniflori pilis mollibus patulis; folia floralia ovali-oblonga subacuta; calyces subreflexi villosi; petala flava obovata obtusa calyce paulò longiora; fructus ignotus.

118. Ranunculus præmorsus.

R. caule erecto subbifloro petiolisque adpressè villosis, foliis trisectis, segmentis obtusè inciso-dentatis, lateralibus bifidis, medio trifido petiolulato, calyce reflexo, petalis 10-15 cuneatis.

R. præmorsus. *Humb. Bonpl. et Kunth! nov. gen. et sp. am. ined.*

Hab. in monte Antisanâ Americæ meridionalis. *Humb. et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. H. B.)

Affinis ex habitu R. Marylandico sed petalis 10-15 distinctissimus. Herba vix semi-pedalis erecta tota instructa villis longis adpressis, confertis in petiolis caule et foliorum paginâ inferâ, rarioribus in calyce et fol. paginâ superiore; folia radicalia petiolata caule duplò triplovè breviora, trisecta, segmentis lateralibus sessilibus bifidis, medio petiolato trifido, omnium lobis obtusè inciso-dentatis; caulis simplex bifidusve; pedicelli longi 1-flori; folium caulinum 1 subpetiolatum tripartitum, lobis acutè incisis; floralia 1-2 linearia integra; calyx reflexus pubescens; petala 10-15 cuneata apice truncata ferè subemarginata calyce longiora venosa flava; carpella ovata subcompressa, stylo brevi recto aristulata, in capitulum globosum aggregata.

119. Ranunculus geoides.

R. caule erecto 1-3-floro petiolisque patentìm villosissimis, foliis adpressè villosis trifidis tripartitisve, lobis ovatis dentatis, calyce reflexo, petalis 10 oblongo-linearibus.

R. geoides. *Humb. Bonpl. et Kunth! l. c. ined.*

Hab. in Mexici montosis. *Humb. et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. H. B.)

Herba Geum montanum habitu æmulans, tota obtecta villis longis subsericeis mollibus, in petiolis confertissimis cauleque patulis, in foliorum calycisque superficie adpressis; folia radicalia caule triplò breviora petiolata triloba, lobis nempè ad medium, ultrà medium et ad costam usque divisis, latis ovatis basi cuneatis grossè-dentatis, medio vix ac ne vix subtrilobato; caulis erectus 1-3-florus nunc simplex aphyllus, nunc à basi subdichotomus, pedicellis longissimis 1-floris; folium caulinum partitum in lobos lineares integros; bracteæ lineares integræ; calyx reflexus; petala 10 oblongo-linearia obtusa, basi vix angustiora, calyce duplò longiora.

120. Ranunculus sibbaldioides.

R. caule subnullo 1-floro, foliis pilosis pinnatisectis, segmentis ovatis dentatis terminali trilobo, floralibus pinnatifidis, calyce patente petalis oblongis breviore.

R. sibbaldioides. *Humb. Bonpl. et Kunth! l. c. ined.*

Hab. in montibus excelsis (Quindiu seu Antisanâ) Americæ meridionalis. *Humb. et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. H. B.)

Herba humillima Sibbaldiæ procumbentis æmula; folia radicalia congesta, atro-virentia, subtùs in petiolo et segmentis pilis longis rigidiusculis onusta, pinnatisecta, petiolo lato basi vaginante, segmentis 3-5, infimis oppositis ovatis obtusè inciso-dentatis, summo subtrifido inciso-dentato basi subconfluente; caulis brevissimus ferè nullus uniflorus inter folia occultatus; folia caulina seu floralia 2-3-oblonga pinnatifida seu grossè dentata acutiuscula; calycis sepala oblonga patula subtùs pilosa; petala oblonga obtusa basi angustiora calyce longiora; carpella ovata subcompressa lævia stylo brevi recto aristulata.

121. Ranunculus peduncularis.

R. foliis subglabris radicalibus petiolatis trisectis, segmentis trilobatis apice acutis incisis, caulinis 1-2 linearibus trifidisve, caule erecto 1-folio 1-2-floro, calyce demùm reflexo, petalis 8-10 oblongis.

R. Magellanicus. *Comm.! et Vahl! ined. in h. Juss.*
R. peduncularis. *Smith! in Rees cycl. n.* 49. *
Hab. ad sylvarum margines freti Magellanici loco dicto *Freshwater bay* seu *baye Duclos. Commerson.* ♃. fl. decemb. (v. s. sp. in h. Mus. Par. et Juss.)
Var. α caulis erectus pedalis; folia sparsa subtùs pallidiora, superiora sessilia à flore intervallo pollicari distantia, 5-secta, segmentis basi cuneatis integerrimis apice trilobis acutè inciso-dentatis; flos planus aureus 5-sepalus; petala 1-2 staminum longitudine.
Var. β parva digito vix longior; folium inferius petiolatum 5-sectum, segmentis oblongis inciso-serratis acutis; superiora sessilia, ultimo flori approximato, contiguo in ic. Buxb., semipollicari intervallo distante in ic. Smithii inter duas varietates ferè mediâ. Petala tubulosa cylindracea ore obliquo stamina vix superantia.

4. Trollius Americanus.

T. sepalis 5-10 patentibus, petalis 10-15 staminibus brevioribus.

T. Americanus. *Muhlenb. et Gaissenh. ined. Donn. cat. h. cant.*
Gaissenia verna. *Raf. Schm. in Journ. bot.* 1808 *v* 2. *p.* 168.

T. laxus. *Salisb. tr. lin. soc.* 8. *p.* 303. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 391.

α. T. pentapetalus. *herb. Banks!*

β. T. decapetalus. *herb. Bosc!*

Hab. in Pensylvaniæ (Muhl.) et Novebarici montium humidis umbrosis. *Pursh.* ♃. fl. maio-jul. (v. s. sp. in h. Banks. Lamb. Bosc.)

Valdè similis T. laxo et T. Asiatico, sed ab utroque distinctus petalis numerosioribus staminum longitudinem non adæquantibus. Flos luteus, paulò minor quàm in aliis speciebus, patens, sepalis incurvo-horizontalibus retusis crispulis (Pursh.), sæpiùs 5 in α seu planta spontanea, 6-10 in β seu speciminibus cultis cæterùm simillimis; petala 10-15 oblonga obtusissima basi attenuata intensè aurantiaca staminibus breviora.

XVIII. ERANTHIS.

Hellebori sp. TOURN. LIN. JUSS. — Helleboroïdes. ADANS. *fam.* 2. *p.* 458. — Helleborus. MOENCH. *meth.* 312. — Eranthis. SALISB. *tr. soc.* LIN. 1807. *v.* 8. *p.* 303. — Kœllea. BIR. *diss. ren.* 1811. *p.* 21. — Robertia. MERAT. *fl. par.* 1812. *p.* 211.

FR. Involucrum in segmenta plurima fissum sub flore; flos sessilis 5-8-sepalus, sepalis coloratis petaloïdeis oblongis deciduis. Petala 6-8 tubulata ore inæqualiter bilabiata brevissima. Stam. 20-30. Ovaria 5-6. Capsulæ pedicellatæ; semina globosa simplici serie disposita.

VEG. Radicis truncus (Rhizoma) tuberosus subterraneus; folia radicalia longè petiolata subpeltata multisecta glaberrima, post anthesin nascentia, juniora reclinativa subconvolutiva (Rich.) scapus simplex uniflorus teres; flos luteus in involucro sessilis.

OBS. Genus naturalissimum ab Helleboro discrepans habitu, calyce caducissimo, flore involucrato, capsulis pedicellatis, seminibus globosis nec ellipticis, simplici nec duplici serie dispositis.

1. Eranthis hyemalis.

E. sepalis 6-8 oblongis.

Aconitum unifolium luteum bulbosum. *Math. comm.* 764. *ic. C. Bauh. pin.* 182. *Hill. anat. t.* 11.

Bulbosus unifolius aut bifolius batrachioides helleboracea herbula. *Lob. adv.* 300. *ic.*

Aconitum luteum minus. *Dod. pempt.* 440. *ic. purg.* 312. *Dalech. lugd.* 1741. *ic.*

Aconitum aliud Dalechampii. *Dalech. lugd.* 1741. *ic. mal.*

Bulbus parvus unifolius aut bifolius batrachioides. *Dalech. lugd.* 1505. *ic. mal.*
Aconitum hyemale Belgarum. *Lob. ic.* 676. *Stap. ed. Theoph.* 1141. *ic.*
Aconitum hyemale. *Cam. epit.* 828. *ic. sine fol.*
Aconitum hyemale ponticum. *Besl. eyst. hyem. ord.* 1. *t.* 5. *f.* 2.
Ranunculus cum flore in medio folio radice tuberosâ. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 414.
Helleborus ranunculoides præcox tuberosus flore luteo. *Moris. hist.* 3. *p.* 459. *s.* 12. *t.* 2. *f.* 4.*
Helleborus ranunculoides flore globoso. *Weinm. phyt. t.* 569.
Helleborus flore folio insidente. *Lin. hort. cliff.* 227. *h. ups.* 158. *Blackw. t.* 576. *Kniph. cent.* 1. *n.* 40. *Hall. helv. n.* 1191.*
Helleborus hyemalis. *Lin! sp.* 783. *Mill. dict. n.* 5.* *Crantz. austr.* 2. *p.* 122. *Jacq. austr. t.* 202. *Lam! dict.* 3. *p.* 98.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1335. *Bull. herb. t.* 35. *Hoffm. germ.* 198. *Curt. bot. mag. t.* 3. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 929.*
Helleborus monanthos. *Mœnch. meth.* 313.
Eranthis hyemalis. *Salisb. tr. lin. soc.* 8. *p.* 303.
Kœllea hyemalis. *Bir! diss. ren. p.* 21.
Robertia hyemalis. *Mer. fl. par. p.* 211.
Hab. in umbrosis humidiusculis ad radices montium, in collibus nemoribusque Galliæ, Helvetiæ, Italiæ (*Lin.*), Austriæ (Cr.) ♃. fl. primo vere aut hyeme decedente. (v. v. sp.).

2. Eranthis Sibirica.

E. sepalis 5 ovalibus.

Hab. in Sibiriâ orientali ad fontes udas *Laxman.* ♃. (v. s. sp. in h. Lamb.).
Habitus omninò E. hyemalis; folia radicalia petiolata, limbo 5-partito suborbiculato, lobis basi cuneatis apice inciso-dentatis, dentibus 3-5; scapus 4-6 poll. longus; involucri lobi oblongi sæpiùs integri, rariùs lobulo 1-2 hinc indè aucti; flos in involucro junior ferè sessilis, dein pedicello per maturitatem elongato ferè pollicari instructus; sepala 5, ovalia, in sicco alba (an etiam recentia?), magnitudine Anemones nemorosæ, petala 6-7 bilabiata staminibus breviora; stam. ∞ sepalorum dimidiam longitudinem paulò superantia; pistilla 5 erecta; Capsulæ pedicellatæ ovato-oblongæ stylo recto acuminatæ; semina globosa subcompressa.

XIX. HELLEBORUS.

Hellebori sp. C. Bauh. *pin.* Tourn. *inst. t.* 44. Lin. *gen. n.* 702. Lam. *ill. t.* 499. — Helleborus. Adans. *fam.* 458. Salisb. *tr. soc. lin.* 8. *p.* 304. Bir. *diss. ren.* 21. Dun. *diss. ined.* — Helleboraster. Moench. *meth.* 236.

Fr. Calyx persistens 5-sepalus, sepalis subrotundis obtusis magnis sæpè viridibus; petala 8-10 brevissima tubulata infernè angustiora nectarifera; stam. 30-60. Ovaria 3-10.

Stigmata terminalia orbiculata (Schk.) ; capsulæ coriaceæ ; semina duplici serie disposita elliptica umbilicata.

Veg. Herbæ perennes duræ coriaceæ glabræ aut vix sub foliis pubescentes ; folia radicalia petiolata palmatìm pedatìmve secta, segmentis oblongis dentatis ; caulina sæpè nulla , formâ variâ ; caules nunc ramosi multiflori foliosi, nunc subramosi bracteas sub ramis gerentes pauciflori, nunc aphylli uniflori.

Vir. Radices intensè purgantes cholagogæ , in maniâ, epilepsiâ , hydropysiâ et hepaticis morbis olìm et nunc celeberrimæ.

Hab. Species omnes hyeme aut vere florentes , aspera dumetaque submontana Europæ mediæ et Orientis habitant, præsertìm à Pyrenæis ad Caucasum.

§. I. *Scapo aphyllo* 1-2-*floro.*

1. Helleborus niger.

H. foliis radicalibus pedatisectis glaberrimis, scapo aphyllo 1-2-floro bracteato.

Helleborum nigrum. *Math. comm.* 843. *ic. pess. Dalech. lugd.* 1634. *ic. pess. Cam. epit.* 940. *ic.*
Helleborus niger legitimus. *Clus. hist.* 1. *p.* 274. *ic. Besl. h. eyst. hyem. t.* 1. *fol.* 1. *opt.*
Veratrum nigrum 1. *Dod. pempt.* 385. *ic. Clus.*
Helleborus niger II Dodonæi. *Dalech. lugd.* 1636.
H. niger. *Lob. ic.* 681. *ic. Clus.*
Veratrum nigrum styriacum. *Tab. ic.* 723.
Hellebori nigri alterum genus. *Cæs. pl.*
H. niger verus. *J. Ger. herb.* 976. *ic. Ray. hist.* 697. *Weinm. phyt t.* 569. *f.* c.
H. niger flore roseo. *C. Bauh. pin.* 186. *Hill. anat. t.* 1.
Helleborus niger flore albo interdùm suavè rubente. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 635.*
H. niger flore albo ac interdùm etiam valdè rubente. *Chab. sciag.* 526.
H. niger caule non ramoso flore roseo. *Moris. hist. s.* 12. *t.* 4. *f.* 4.
H. niger foliis angustioribus. *Tourn. inst.* 272.
H. niger flore albo vel roseo. *Schmid. ic. p.* 26. *t.* 6. *Knorr. del. N.* 6.
H. scapo florifero subnudo petiolo communi bipartito. *Lin. hort. cliff.* 227.
H. scapo unifloro subnudo foliis pedatis. *Lin. h. ups.* 157. *mat. med.* 273. *Blackw. herb. t.* 506. 507. *Kniph. cent.* 1. *n.* 41. *Ludw. ect. n.* 139.
H. niger. *Lin.! sp.* 783. *Mill. dict. n.* 2. *Crantz. austr.* 2. *p.* 133. *Jacq. austr. t.* 201. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 696. *Lam! dict.* 3. *p.* 97.* *Curt.*

bot. mag. t. 8. *Bull. herb. t.* 33. *Willd. sp.* 2. *p.* 1336. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 908.* *Savi mat. med. p.* 43. *f.* 55. *Woodv. med. bot.* 1. *p.* 50. *t.* 18.* *Spreng. geh. d. nat. p.* 296. *t.* 15. *f.* 36. 37. *t.* 25. *f.* 11. 19-22.

H. niger var. α. *Lam. fl. fr.* 3. *p.* 314.

H. grandiflorus. *Salisb. prod.* 374. *Tr. lin. soc.* 8. *p.* 304.

β. H. niger flore roseo minor Belgicus. *Moris. hist.* 3. *p.* 459.

H. niger amplioribus foliis. *Tourn. inst.* 272.

γ. H. niger autumnalis flore maximo. *Tourn. inst.* 272.

δ. H. foliis phyllitidis instar divisis. *Hyac. Ambros. ic. ex Moris. hist.* 3. *p.* 459.

Hab. in montosis sylvaticis subalpinis Galloprovinciæ (Ger.), agri Brigantiaci (Vill.), Augustani (Lob.), Pedemontii (All.), Carnioliæ (Scop.), Austriæ, Salisburgi et Bavariæ *Hoppe*, Styriæ (Tab.), Apenninorum (Savi), Laconiæ et montis Athi (Sibt). ♃. △. (v. s. sp. et v. c.) fl. hyeme undè vulgò gallicè dicitur *Rose de Noël.*

Scapus nunc cum foliis nunc ante folia nascens, simplex aut bifidus, bracteas ovatas versus apicem alternas 2-3 gerens; flos amplus calyce petaloideo colorato sæpiùs roseo, interdùm albo, aut intensiùs roseo sub rubro; — Var. β. distinguitur flore minore et foliorum segmentis latioribus. — Radix crassa nigra amara subacris purgans; non est tamen Helleborus niger Hippocratis qui ad H. orientalem pertinet.

§. II. *Caule pauciflоro subdichotomo folia floralia subsessilia fissa aut incisa gerente.*

2. Helleborus Orientalis.

H. foliis radicalibus subtùs pubescentibus pedatisectis, floralibus subsessilibus palmatipartitis, pedunculis subbifidis, calycinis sepalis ovalibus coloratis.

Ἐλλέβορος μέλας. *Hipp. ed. Foes. p.* 387. *Theoph. hist.* 9. 11. *Dioscor. ed. sarr.* 4. 151.

H. niger seu melampodium. *Plin. hist. l.* 25. *c.* 5. *p.* 524.

H. niger orientalis amplissimo folio caule præalto flore purpurascente. *Tourn! cor.* 20. *voy. lev.* 2. *p.* 474.* *Pict. hort. Par. ic.*

H. orientalis. *Gars. exot. t.* 19. *f. B. ex Lam! dict.* 3. *p.* 92.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1337. *Desf! choix pl. cor. p.* 58. *t.* 45. *opt.* *

H. officinalis. *Salisb. tr. soc. lin.* 8. *p.* 305. *Sibth! prod. fl. græc.* 386. *Fl. græc. t.* 583. *ic.*

Hab. in montanis et asperis Orientis nempè ex veteribus in Eubææ, Bœotiâ, Helicone, Æta et Anticyro, ex recentioribus in monte Olympo, Bithyno *Tourn. C. Rostan;* in Atho, Delphi, in montibus circà Thessalonicam, et prope Bizantium copiosè. *Sibt.* ♃. (v. s. sp.).

Species media ferè inter H. nigrum et H. viridem; à priore differt caule subfolioso ramoso multifloro, à posteriore calycibus coloratis, ab utroque foliis subtùs pubescentibus.

Radix nigra trunco crasso, fibris cylindraceis; folia radicalia petiolata subtùs pubescentia pedatisecta, segmentis vix subpetiolulatis oblongis

acutè serrulatis. Caulis foliis longior apice corymbosus 3-5-florus; fol. floralia subsessilia palmatìm in lobos 3-5 oblongos acutos serrulatos partita; calyces purpurascentes, sepalis ovalibus obtusissimis; petala staminaque caducissima. Capsulæ 5. Flores in speciminibus mihi obviis duplò ferè majores quàm in icone Aubrietii à cl. Desfontaines edita.

Stirps olim celeberrima in maniâ, epilepsiâ, hydropysiâ ab Hippocrato commendata, adhucdum in Oriente officinalis, à Turcis dicitur *Zoptéme*, à Græcis Σκαφη.

3. Helleborus purpurascens.

H. foliis radicalibus subtùs subpubescentibus palmatisectis, segmentis basi cuneatis apice 3-5-lobis, caule bifloro, foliis floralibus subsessilibus, calycis sepalis subrotundis coloratis.

H. purpurascens. *Waldst et Kit. pl. rar. hung.* 2. *p.* 105. *t.* 101.*

β? *Bocconi*, caule foliis longiore.

H. niger foliis dissectis. *Bocc. mus.* 2. *p.* 26. *t.* 11. *f. R. R.*

Hab. in Hungariæ sylvis Matræ et montium Vertesiensium ad Szanto, Vertegradum, etc. ♃. fl. mart-april. (v. s. c.).

Affinis H. viridi, sed differt floribus paucioribus purpurascentibus; foliis subtùs in nervis pubescentibus, sed in plantâ cultâ ferè glabris; segmentis potiùs palmatìm quàm verè pedatìm dispositis; petalis tandem labiis involutis clausis.

Var. β. quam in Apenninis Etruriæ circa Laverniam et Camaldularum eremum olim reperit Boccone, huic foliorum formâ valdè affinis, sed differt caule foliis longiore nec ut in plantâ Hungaricâ breviore. An species propria.

4. Helleborus odorus.

H. foliis radicalibus subtùs pubescentibus palmatisectis, segmentis oblongis indivisis basi integerrimis apice serratis, caule bifido, calycinis sepalis ovato-oblongis acutiusculis virescentibus.

H. odorus. *Waldst. et Kit. ex Willd. enum.* 592.

Hab. in Hungariâ. ♃. (v. s. c.).

Affinis H. purpurascenti et viridi; à priore differt floribus virescentibus, sepalis ovali-oblongis basi attenuatis apice acutiusculis nec subrotundis, foliis floralibus seu caulinis petiolo longiore donatis et majoribus; à posteriore floribus paulò majoribus, foliisque subtùs in nervis tenuiter pubescentibus; ab utroque foliorum segmentis basi integerrimis apice tantùm serratis.

5. Helleborus viridis.

H. foliis radicalibus glaberrimis pedatisectis, caulinis subsessilibus palmatipartitis, pedunculis sæpè bifidis, sepalis calycinis subrotundo-ovatis viridibus.

Helleborus niger. *Brunf. herb.* 1. *p.* 30. *ic.*

Helleborus niger adulterinus domesticus. *Trag.* 405. *ic.*
Helleborus niger adulterinus hortensis. *Fuchs. hist.* 274. *ic.*
Helleborum nigrum alterum. *Math. comm.* 844. *ic.*
H. niger nostras. *Cord. hist.* 102. *ic.*
Veratrum nigrum II. *Dod. pempt.* 385. *ic. Clus. hist.* 274. *ic. Tab. ic.* 723.
Helleborum nigrum alterum. *Cam. epit.* 941. *ic.*
Helleborastrum. *Lob. ic.* 680. *J. Ger. herb.* 976. *ic.*
Helleborus niger III Mathioli. *Dalech. lugd.* 1635. *ic.* et Dodonæi *p.* 1637. *ic.*
H. niger hortensis flore viridi. *C. Bauh. pin.* 185. *Besl. eyst. hyem. t.* 2. *Knorr. del. N.* 5. *Garid. aix.* 226. *t.* 47. *et forsan. t.* 48. *excl. syn. Tourn! inst.* 272.
H. niger vulgaris flore viridi vel herbaceo radice diuturnâ. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 636. *ic. Chab. sciag.* 527.
H. caule æquali folioso, foliis radicalibus caulem tandem superantibus. *Lin. hort. cliff.* 227. *h. ups.* 158.
H. viridis. *Lin! sp.* 784. *Mill. dict. n.* 2. *Grimm. in nov. act. ac. nat. cur.* 3. *app. p.* 326. *Jacq. austr. t.* 106. *Matt. sil. n.* 421. *Dœrr. nass.* 123. *Blackw. herb. t.* 509. 510. *Lam! dict.* 3. *p.* 96. * *Roth. fl. germ.* 1, 234, II. 600. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 697. *Crantz. austr.* 122. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 908. * *Savi mat. med. t.* 12. *Smith! fl. brit.* 598. * *Engl. bot. t.* 200. *Schkuhr. handb. n.* 1536. *t.* 154. *Spreng. geh. d. nat. t.* 15. *f.* 39-40.
H. foliis multipartitis serratis caule paucifloro. *Hall. helv. n.* 1192 *

β. Foliis sanguineo-maculatis.
H. Niger sanguineo folio. *Bocc. mus.* 2. *p.* 26. *t.* 11.

γ. Foliorum segmentis basi integerrimis.

Hab. in sylvis et dumetis præsertim montanis Angliæ, Galliæ, Italiæ, Germaniæ. ♃. fl. april-maio in planitiebus, jun-jul. in montibus excelsioribus. (v. v. sp.).

Radix nigra; herba glaberrima; caulis ad summum sesquipedalis dichotomus; folia subnitida, radicalia pedatisecta demùm caule longiora, segmentis oblongo-lanceolatis acutè serratis, exterioribus sæpè bi trifidisve; caulina subsessilia 3-5-partita; flores virides subcernui.

Variat, 1°. foliis viridibus aut in var. β in Apennino lecta sanguineo maculatis; 2°. foliorum segmentis nunc à basi ferè ad apicem usque serratis, sæpiùs indivisis, nunc in var. γ. basi integerrimis apice serratis sæpè trifidis lobis serratis: hæc ultima varietas, à cl. de St.-Fargeau observata, præsertim in sylvis Galliæ septentrionalis reperitur.

6. Helleborus atro-rubens.

H. foliis radicalibus glaberrimis pedatisectis subtùs pallidioribus nitidis, caulinis subsessilibus palmatipartitis, caule subangulato bifidè ramoso, calycinis sepalis subrotundis coloratis.

Veratrum nigrum IV peregrinum. *Clus. hist.* 274?
H. niger hortensis alter. *C. Bauh. pin.* 185?
H. atro rubens. *Waldst. et Kit. pl. rar. hung.* 3. *p.* 301. *t.* 271.*

Hab. in sylvaticis et fruticetis Croaticæ, copiosissimus ad Koreniczam. (W. et Kit.). ♃. fl. primo vere aut hyeme decedente.

Differt ab H. purpurascente foliis pedatisectis glaberrimis nec palmatisectis subtùs in nervis pubescentibus; ab H. viridi floribus præsertìm ad margines purpureo coloratis, foliorumque segmentis omnibus indivisis; ab H. dumetorum foliis caule serioribus, caule subangulato, floribus coloratis præcocioribus.

7. Helleborus dumetorum.

H. foliis radicalibus glaberrimis pedatisectis, caulinis subsessilibus palmatisectis, caule tereti bifidè ramoso, sepalis calycinis subrotundis viridibus.

H. dumetorum. *Waldst. et Kit. ex Willd. enum.* 592.

Hab. in Hungariâ. ♃.

Folia cum caule nascentia; caulis bifidus, ramis foliosis 1-3 floris.

§. III. *Caule folioso multifloro, pedunculis bracteatis.*

8. Helleborus fœtidus.

H. caule multifloro folioso, foliis pedatisectis glaberrimis, segmentis oblongo-linearibus.

Pedicularia fætida III. *Trag. stirp. ex Spreng. hist. r. h. præf.* 1. *p.* XII.

Helleborus niger sylvestris adulterinus. *Fuchs. hist.* 275. *ic. Dalech. lugd.* 1637.

H. niger alter vel Helleborina major. *Cord. hist.* 92.

Veratrum nigrum III. *Dod. pempt.* 386. *ic. Clus. hist.* 274. *ic.*

Helleboraster maximus flore et semine prægnans. *Lob. obs.* 387. *ic.* 679. *Dalech. lugd.* 1638. *ic.*

Helleborastrum. *Tab ic. t.* 922. *pessim.*

Sesamoides magnum Cordi et Consiligo Ruellii. *Lob. ic.* 680.

H. niger fœtidus. *C. Bauh. pin.* 185.

H. fœmina. *Sterb. fung.* 372. *t.* 36. *f. c.*

Helleboraster maximus. *J. Ger. herb.* 976. *Besl. h. Eyst. hyem. t.* 3. *f.* 1.

H. niger sylvestris adulterinus etiam hyeme virens. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 880. *ic. Chab. sciag.* 528.

Helleboraster. *Blackw. herb. t.* 57.

H. niger fœtidus sive Consiligo. *Weinm. phyt. t.* 569 *f. a.*

H. niger ramosus angustifolius semper virens elatior. *Moris. hist.* 3. *p.* 459. *s.* 12. *t.* 4. *f.* 6.

H. caule infernè angustato multifolio multifloro, foliis caule brevioribus. *Lin. h. cliff.* 227. *Sauv. monsp.* 180. *Dalib. par.* 169.

H. fœtidus. *Lin! sp.* 784. (*excl. var.* β.) *Roth. germ.* 1. 234. II. 600. *Willd. sp.* 2. *p.* 1337. *Mill. dict. n.* 1. *Poll. pal. n.* 540. * *Vill. dauph.* 4. *p.* 717. * *Lam! dict.* 3. *p.* 96. * *Bull. herb. t.* 71. *Savi mat. med.* 43. *t.* 13. *Cienfug. hisp.* 3. *p.* 314. *b. t.* 7. *ic.* 517. *ex Asso. fl. arr.* 71. *Woodv. med. bot.* 1. *p.* 53. *t.* 19. *Smith! fl. brit.* 598. * *Engl. bot. t.* 613. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 97. * *Boiss. fl. eur.* 2. *t.* 383. *Gmel. bad. n.* 852.

H. ramosus multiflorus, foliis multipartitis serratis, stipulis ovato-lanceolatis coloratis. *Hall. helv. n.* 1193. *

Hab. in pascuis glareosis præsertim calcareis dumetis et secus vias planitierum Europæ occidentalis, nempè Lusitaniæ (Br.), Hispaniæ (Ass.), Italiæ, Helvetiæ, Galliæ, Germaniæ, Angliæ (Sm.). ♃ △ fl. autumno, hyeme. (v. v. sp.).

Bracteæ sunt folia floralia ad petiolum dilatato-membranaceum reductæ, ovatæ, margine integerrimæ, apice summo inciso-dentatæ, pallidè flavido-virentes, cum calyce concolores.

Herba fætida sempervirens; radix purgans, contra infantium vermes in Angliâ proposita; radix seu caulis à veterinariis setacei instar adhibita.

9. Helleborus lividus.

H. caule multifloro folioso, foliis trisectis glaberrimis subtùs glaucis, segmentis ovato-lanceolatis.

H. niger trifoliatus. *Ald. h. farn.* 93. *t.* 92.* *Moris. hist.* 3. *p.* 460. *s.* 12. *t.* 4. *f.* 7. *Tourn. inst.* 272.

Helleboraster Indicus trifolius. *Barr. ic.* 1143.

H. fætidus var. *β. Lin. sp.* 784.

H. lividus.. *Ait. Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 272. *Curt. bot. mag. t.* 72. *Willd. sp.* 1338. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 907. * *Salisb. tr. soc. lin.* 8. *p.* 304.

H. triphyllus. *Lam! dict.* 3. *p.* 97.*

β. Integrilobus, segmentis foliorum integerrimis.

H. trifolius. *Mill. dict. n.* 4. *non Lin.*

Hab. in Corsicâ. *Labillardière.* ♃ △ (v. s. sp. et v. c.) fl. hyeme et primo vere.

Caulis erectus ramosus; folia coriacea, glaberrima, sempervirentia, omnia petiolata, palmatisecta in lobos 3 ovato-lanceolatos nunc sæpiùs serraturis acutis exsertis subdistantibus serratos, nunc in var. *β.* integerrimos; Bracteæ (seu petioli membranacei limbo evanido orbati) secùs pediculos sparsæ ovatæ, subtiliter serratæ in var. *α*, ferè omninò integræ in var. *β.* Flores lividè subpurpurascentes, paulò majores et magis patentes quàm H. fætidi.

XX. COPTIS.

Hellebori sp. Lin. Juss. — Coptis. Salisb. *tr. lin. soc.* 8. *p.* 305. — Chrysa. Raf. Schm. *in journ. bot.* 1808. 2. *p.* 170.

Fr. Calyx 5-6-sepalus, sepalis coloratis petaloïdeis deciduis. Petala parva cucullata. Stam. 20-25. Capsulæ 6-10 longè stipitatæ substellatæ membranaceæ ovato-oblongæ stylo acuminatæ 4-6-spermæ.

Veg. Herbæ glabræ parvulæ rigidulæ perennes; fibrillæ radicales tenues è trunco gracili ortæ; folia omnia radicalia, longè petiolata, trisecta, segmentis dentatis trisecto-multifidisve, dentibus lobulisve apice mucronatis. Scapi apice uni-

flori, erecti, bracteolâ unicâ parvâ instructi; flores albi Trientalis ferè facie.

Obs. Genus caracteribus et habitu distinctissimum, in regionibus utriusque continentis borealibus habitans.

1. Coptis trifolia.

C. foliis trisectis, segmentis obovatis obtusis dentatis vix subtrilobatis, scapo unifloro.

Helleborus trifolius. *Lin! amæn.* 2. *p.* 355. *t.* 4. *f.* 18.* *sp.* 784. *Kalm. it.* 3. *p.* 379. *Lepech. itin.* 1. *p.* 190. *Pall. itin.* 3. *p.* 34. *Willd. sp.* 2. *p.* 1338. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 325.* *Tratt. arch. et obs.* 2. *n.* 93. *ic. Linnæi. Big. fl. bost.* 134.

Anemone Groenlandica. *Œd. fl. dan. t.* 566. *Gunn. norv. n.* 1066. *Tratt. arch. et obs.* 2. *n.* 94. *ic. æd.*

Helleborus trilobus. *Lam! dict.* 3. *p.* 98.*

Helleborus pumilus. *Salisb. prod.* 374.

Coptis trifolia. *Salisb. tr. soc. lin.* 8. *p.* 305. *Pursh! fl. bor. am.* 2. *p.* 390.

Chrysa borealis. *Raf. Schm. in journ. bot.* 2. *p.* 170.

Hab. in humidis palustribus sylvaticis submontanis regionum Borealium, nempè in Islandiâ (Ed.), Norwegiâ (Gun.), Groenlandiâ, *Horn.* Sibiriâ et Kamchatka *Lin.* nec non in Labrador *Pursh.*, à Canadâ ad Virginiam *Michx.*, in New.-Jersey *Delile*, circa Bostoniam (Big.) ♃. fl. aprili-maio. (v. s. sp.).

Radix flavicans gracilis purè amara astringentiâ omni destituta, est apud Bostonenses populare remedium in aphthosis affectionibus oris (Big.).

Folia semper trisecta, etiam in speciminibus Kamchaticis, nunquàm verò tripartita, ut in icone Linnæanâ, vidi; flos semper albus nunquàm verò flavus ut vult cl. Trattinick; bractea magnitudine paulò varia, interdùm nulla.

2. Coptis asplenifolia.

C. foliis biternatìm sectis, segmentis subpinnatifidis, scapo bifloro.

C. asplenifolia. *Salisb! tr. Lin. soc.* 8. *p.* 306. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 391.

Hab. ad littora occidentalia Americæ borealis. *Menzies.* ♃. (v. s. sp. in h. Banks.).

Radix fibrillosa nigricans; folia radicalia ferè Asplenii, longè petiolata, trisecta, segmentis petiolulatis trisectis, lobis lateralibus sessilibus ovatis inciso-serratis, medio petiolulato trifido serrato, omnibus acutissimè serratis. Scapus nudus foliis longior bifidus biflorus; calycis sepala alba lineari-subulata longa patula subreflexa; stamina pauca; capsulæ 6-8 membranaceæ, oblongæ, longè pedicellatæ, styli basi persistente mucronatæ.

XXI. ISOPYRUM.

Ranunculi sp. C. Bauh. — Thalictri sp. Tourn. — Isopyrum. Lin. *gen.* 701. Gærtn. *fr.* 1. *p.* 312. *t.* 65. *f.* 5. Salisb. *tr. soc. lin.* 8. *p.* 306. *non* Diosc ? (1). — Olfa. Adans. *fam.* 2. *p.* 458. — Hellebori sp. Lam.

Fr. Calyx 5-sepalus, sepalis petaloïdeis deciduis. Petala 5 æqualia tubulata bilabiata, labio exteriore bifido. Stam. 15-20. Ovaria 2-20. Styli intùs longitudinaliter stigmatosi (Schk.). Capsulæ totidem sessiles 1-loculares oblongæ compressæ membranaceæ ∞-spermæ. Semina minuta punctulata.

Veg. Herbæ graciles glabræ teneræ ; caules teneri erectiusculi ; folia trisecta, segmentis petiolatis trilobatis incisisve membranaceis ; flores pedunculati albi parvuli.

Obs. Genus affine Helleboro et Coptidi ; ab Helleboris differt sepalis deciduis, capsulis membranaceis compressis et habitu toto gracili et tenero. A Coptide distinguitur capsulis sessilibus nec pedicellatis, et consistentiâ tenerâ molli nec rigidâ omnium partium.

Hab. In sylvis montanis Europæ et Sibiriæ.

1. Isopyrum thalictroïdes.

I. capsulis 1-3, sepalis obtusis, radice repente fasciculatâ aut grumosâ.

Ranunculus præcox II thalictri folio. *Clus. hist.* 1. *p.* 233. *f.* 1.
Aquilegia minor thalictri folio. *Dalech. lugd.* 821. *f.* 2. *malè.*
Ranunculus nemorosus thalictri folio. *C. Bauh. pin.* 178. *Cam. hort.* 137. *Ray. hist.* 584. *Moris. hist.* 2. *p.* 437. *s.* 4. *t.* 28. *f.* 12. *ic. Clus.*
Aquilegia foliis thalictri flosculis minutis seu albis. *Mentz. pug. t.* 8.
Aquilegia montana flore parvo thalictri folio. *Ray. hist.* 707. *Moris. hist.* 3. *p.* 458. (*excl. C. Bauh. syn.*) *s.* 12. *t.* 1. *f.* 5. *ic. Mentz.*
Thalictrum batrachioides flore albo Italicum. *Bocc. mus.* 24. *t.* 79. *f.* 1. *malè. Barr. ic.* 480.
Thalictrum montanum præcox. *Tourn. inst.* 271.
I. stipulis ovatis petalis obtusis. *Lin. syst. nat.* 380.
I. thalictroides. *Lin. sp.* 783. *Scop. carn. ed.* 2. *n.* 695. * *Mill. dict. n.* 2.

(1) Isopyrum Dioscoridis relatum fuit à Columnâ ad Aquilegiam vulgarem, Sprengelio ad Isopyrum fumarioïdem (in Græciâ nondùm repertum), à Theisio ad Nigellam sativam, sed multò verosimiliter à Sibthorpio ad Fumariam capreolatam Phaseolo sat similem et, ut vult Dioscorides, in summo folio capreolis donatam.

*

Jacq. fl. austr. t. 105. *Mattuschk. sil. n.* 419. *Crantz. austr.* 2. *p.* 125. *Vill! dauph.* 4. *p.* 715. * *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 929. *

I. aquilegioïdes. *Lin. sp.* 783. *excl. C. Bauh. syn.*

Isopyrum. *Hall. helv. n.* 1190. *excl. syn. C. Bauh. et patriâ.*

Helleborus thalictroides. *Lam. dict.* 3. *p.* 98. *

I. thalictrifolium. *Salisb. act. soc. lin.* 8. *p.* 306.

Hab. in sylvaticis submontanis Pyrenæorum, Arverniæ, Andegaviæ *Bast.* agri Turonensis (Bast.), Lugdunensis *Gilib.*, Delphinatûs *Vill.*, Apenninorum (Mentz.), Carnioliæ (Scop.), Austriæ (Jacq.), Silesiæ (Matt.), Hungariæ (Clus.), montis Hæmi (Sibt.). ♃. fl. primo vere. (v. v. sp.)

Radix repens, fibrillis nunc cylindricis tenuibus, nunc in speciminibus cæterùm simillimis verè grumosis nempè fasciculatis oblongis in fibrillas tenues desinentibus ; folia radicalia nulla aut pauca in plantâ floridâ longè petiolata, trisecta, segmentis petiolulatis trisectis, lobis ovatis obtusis tridentatis; caulina sparsa breviùs pedicellata imò subsessilia, petiolulis nempè è caule ortis et folia 3 congesta petiolata simulantibus ; stipulæ nempè petiolorum vaginæ membranaceæ, rotundatæ, amplæ, et petiolo ipso deficiente superstites; pedicelli axillares sparsi ; sepala ovalia obtusa ; capsulæ 2-3, rariùs solitariæ, ovatæ, subcompressæ 4-ó-spermæ, stylo elongato aristatæ.

2. Isopyrum fumarioïdes.

I. capsulis 10-20, sepalis acutis, radice exili subsimplici perpendiculari.

Helleborus fumariæ foliis. *Amm. ruth.* 74. *t.* 12.

I. stipulis subulatis petalis acutis. *Lin. h. ups.* 157.

I. fumarioïdes. *Lin ! sp.* 783. *Mill. dict. n.* 1. *Gmel. sib.* 4. *p.* 191. *Will. obs. n.* 44. *Kniph. cent.* 12. *n.* 65. *Schkuhr. handb.* 2. *n.* 1531. *t.* 153.

Helleborus fumarioïdes. *Lam ! dict.* 3. *p.* 99. *

I. fumariæfolium. *Salisb. act. soc. lin.* 8. *p.* 306.

I. aquilegioïdes. *Spreng. pug.* 1. *p.* 40. *n.* 72. *excl. syn.*

Hab. in nemoribus Sibiriæ. *Lin.*, Daouriæ ruderatis nitrosis. *Patrin.* ⊙. fl. jun. (v. s. sp. et v. c.)

Radix exilis perpendicularis simplex, apice vix ac ne vix subfibrillosa ; folia radicalia plurima longè petiolata trisecta, segmentis petiolatis trisectis subpinnatisectis, lobis oblongis obtusis, segmento medio longiùs petiolulato ; stipulæ membranaceæ parvæ acutæ; caulis erectus foliis longior, infra ramificationes omninò nudus, folia 2-3 congesta subverticillata sub origine ramorum et ramulorum gerens ; pedunculi pedicellique circiter ternatim umbellati inæquales nudi 1-flori ; flores albi parvi ; sepala ovato-lanceolata acuta ; capsulæ 10-20 oblongæ compressæ stylo breviter aristatæ; semina 10-20 minutissima.

†. *Isopyra non satis nota.*

3. Isopyrum adoxoïdes.

Aquilegiæ corniculis moschatellinæ facie planta pusilla ex insulâ Cheusan. *Pluk. amalth. p.* 19. *t.* 360. *f.* 3.

Hab. in insulâ Cheusan. (Pluk.)

Caulis gracilis foliosus ; folia sparsa petiolata trisecta, segmentis petiolatis basi obtusis trifidis, lobulis obtusis apice dentatis. Pedicelli 1-flori foliis longiores. Capsulæ 3-4 oblongæ acutæ polyspermæ. (*Descr. ex ic. Pluk.*)

XXII. GARIDELLA.

Garidella. Tourn. *inst.* 655. *t.* 43. Lin. *gen.* 541. Juss. *gen. p.* 233. Gærtn. *fr.* 2. *p.* 174. *t.* 118.

Fr. Calyx 5-sepalus deciduus vix petaloïdeus ; petala 5 bilabiata bifida ; stam. 10-40 ; ovaria 3 connexa ; styli brevissimi ; capsulæ 3 polyspermæ connatæ in unicam trilocularem vix tricornutam.

Veg. Herbæ annuæ graciles erectæ ; folia rara multifida, laciniis linearibus ; flores parvi albidi ad apices pedunculorum solitarii.

Obs. Genus Nigellæ nimis affine ; differt tantùm ovariis 3 nec 5-10, et præcipuè stylis brevissimis nec elongatis.

1. Garidella Nigellastrum.

G. petalis sessilibus patentibus, staminibus 10-12.

Nigellastrum raris et fœniculaceis foliis. *Magn. hort. monsp.* 143. *cum. ic.*
G. foliis tenuissimè divisis. *Tourn! inst.* 655. *t.* 430. (*excl. C. B. syn.*) *Garid. aix. p.* 202. *t.* 39.
G. nigellastrum. *Lin. sp.* 753. *Mill. dict. n.* 1. *Ger. gallopr.* 390. *Lam! dict.* 2. *p.* 609. *Ill. t.* 379. *f.* 1. *Gærtn. fr.* 2. *p.* 174. *t.* 118. *Willd. sp.* 2. *p.* 731. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 911. * *Sims in bot. mag. t.* 1266. *Boiss. fl. eur.* 6. *t.* 320.
G. anethifolia. *Salisb. prod.* 374.
Hab. in apricis inter vineas et oliveta Galloprovinciæ circa Aquas-Sextias (Gar.), Telonem, Nicæam, et in Terrâ Sanctâ (Clark.) ☉ fl. junio (v. v. sp.)
Caulis sesquipedalis parcè ramosus ; folia tenuissimè divisa ferè Delphinii Consolidæ ; calyx subpurpurascens ; petala sessilia bilabiata, bifida, patentia. Stam. 10-12.

2. Garidella unguicularis.

G. petalis erecto-conniventibus longè unguiculatis, staminibus 40.

OEnanthe Indica semine cordato. *Barr. ic. n.* 546. *t.* 1240. *excl. syn.*
G. unguicularis. *Lam! ill. t.* 379. *f.* 2. *Poir! supl.* 2. *p.* 709. *
Hab. circa Aleppum. *Michaux, Labillardière* ☉ (v. s. sp.).
Caulis angulatus ramosus ; folia petiolata pinnatim laciniata, laciniis acutis unisulcis patentibus ; flores terminales solitarii longissimè pedunculati erecti ex herbaceo fusci, diam. 6 lin. ; bractea solitaria tricuspidata acuta erecta in pedunculo et pedicellis ; calycis sepala subæqualia ovata acuta concava ; petala 5 longè unguiculata erecta, unguibus teretibus calyce

longioribus, limbis reniformibus bilobis undulatis intùs pilosis inter se approximatis et quasi fornicem constituentibus; fovea nectarifera intra unguis apicem gibbum; stam. circiter 40 conniventia, interna minora; ovaria 2-3 connexa ovata erecta scabra.

XXIII. NIGELLA.

Melanthium. Diosc. J. Bauh. *non* Lin. — Nigella. C. Bauh. *pin.* 145. Tourn. *inst.* 258. *t.* 134. Lin. *gen. n.* 685. Juss. *gen.* 233. Gærtn. *fr.* 2. *p.* 174. *t.* 118. — Nigella et Nigellastrum. Moench. *meth.* 313 *et* 311.

Fr. Calyx 5-sepalus coloratus petaloïdeus patens deciduus; petala parva, 5-10 bilabiata, ungue foveolato nectarifero. Stam. ∞. Ovaria 5-10 plus minùsve basibus concreta, in stylos simplices longos desinentia. Capsulæ totidem plus minùsve concretæ, stylis elongatis rostratæ, intùs dehiscentes polyspermæ; embryo linearis.

Veg. Herbæ annuæ subglabræ; radix exilis perpendicularis apice fibrosa; caulis erectus; folia pinnatìm secta capillaceo-multifida; flores ad apices caulis et ramorum solitarii; capsulæ sæpè punctis callosis seu glandulis onustæ; semina nigricantia (undè nomen) odore et sapore acri aromatico præsertìm in sect. II, donata, et ideò pro condimento populari adhibita.

Hab. In arvis oleraceisque Europæ mediæ et meridionalis et præsertìm Orientis.

Div. Ex flore et seminibus, nempè:

I. Nigellastrum. Calycis sepala flavida; stamina unicâ serie disposita; semina plana. . . . . Sp. 1-3.

II. Nigella. Calycis sepala patentia cærulescentia. Stamina multiplici serie in 8-10 phalanges disposita; semina ovato-angulata. . . . . Sp. 4-11.

Sect. I. NIGELLASTRUM.

Nigellastrum. Moench. *l. c.*

Calycis sepala flavida; stam. ∞ unicâ serie disposita; capsulæ basibus præsertìm connexæ compressæ; semina plana orbicularia.

1. Nigella corniculata.

N. capsulis 3-5 glabris basi imâ connexis divergentibus apice reflexis, stylis extùs arcuatis.

Hab. . . . . ⓘ. (v. s. in h. Desf. olim in hort. Paris. culta).

Radix gracilis perpendicularis; caulis erectus ramosus palmaris teres gracilis glaber, basi tantùm pilis patulis raris subhispidus; folia pinnatìm secta, segmentis decompositis, lobis linearibus acutis; inferiora pilis raris ciliata, superiora glabra; pediculi teretes elongati nudi uniflori; calycis sepala patentissima ochroleuca ovalia basi attenuata acuminata pilis longis ciliata et dorso (præsertìm juniora) hispidula; pistillum ad apicem subhispidum; capsulæ 3-5 basi coalitæ compressæ glabræ, supernè liberæ divergentes, apice reflexæ, stylis longis extùs arcuatis uncinatæ; semina plana.

2. Nigella ciliaris.

N. capsulis 8-10 hispidulis imâ basi connexis stellatìm patentibus, stylis rectis.

Hab. in Oriente prope Barut. *Labillardière.* ⓘ (v. s. sp. in h. Deless. et Juss.)

Caulis folia flores et fructus ipsi pilis raris longis sparsis patulis hispidi vel ciliolati; rami graciles profundè sulcati apice 1-flori; folia pinnatìm secta, segmentis decompositis, lobis linearibus acutis; sepala ovata basi attenuata apice acuminata magnitudine N. arvensis; antheræ apice mucronatæ; capsulæ 8-10, sæpiùs 9, imâ basi tantùm coalitæ, stellatìm ferè ut in Illicio patentes, compressissimæ, oblongæ, obtusæ, latere superiore calloso, inferiore in stylum longum rectum persistentem producto; semina plana.

3. Nigella Orientalis.

N. capsulis 5-10 glabris ad medium ferè connexis erectis vix divergentibus, stylis rectis.

N. Chalepensis lutea corniculis longioribus. *Moris. hist.* 3. *p.* 516. *s.* 12. *t.* 18. *f.* 10.

N. Orientalis flore flavescente semine alato plano. *Tourn. cor.* 19.

N. Cretica folio fœniculi seu Melanthium calyce et flore minori luteo. *Weinm. phyt. t.* 758. *f.* a.

N. pistillis senis corollâ longioribus. *Lin. hort. cliff.* 215. * *Mill. ic. t.* 187. *f.* 1.

N. Orientalis. *Lin. sp.* 753. *Mill. dict. n.* 7. *Houtt. pfl. syst.* 7. *p.* 275. *Gærtn. fr.* 2. *p.* 174. *t.* 118. *f.* 1. *Willd. sp.* 2. *p.* 1249. *Poir.! dict.* 4. *p.* 489. *Sims in bot. mag. t.* 1264.

Nigellastrum flavum. *Mœnch. meth.* 312.

Hab. in agris inter segetes circa Aleppum. *Morison, Huntington;* in Caucasi Orientalis et Iberiæ mediæ campis. (Bieb.) ⓘ fl. æst. (v. s. sp. et v. c.)

Caulis strictus apice subramosus glaber angulatus; folia capillaceo-decomposita; pedunculi sulcati erecti 1-flori; flores lutei præ stylorum exsertorum longitudine parvi; calycis sepala ovata patentissima dein reflexa; antheræ mucronatæ; petala 8-10 bifida subsessilia, labio superiori ovato obtuso brevissimo, inferiori oblongo integro emarginato lateribus reflexo, foveâ basi nectariferâ; capsulæ 5-12 sæpiùs 8-10 ad medium inter se connatæ compressæ glabræ introrsùm in parte liberâ dehiscentes. Semina plana margine membranaceo cincta.

Sect. II. NIGELLA.

Nigella. MOENCH. *l. c.*

Calycis sepala alba aut cærulea; stam. ∞ multiplici serie in 8-10 phalanges (ut in Aquilegiâ) distributa; capsulæ ultrà medium inter se connatæ, vix compressæ; semina ovata aut angulata.

4. Nigella Hispanica.

N. antheris apiculatis, stylis 8-10 erectis, capsulis lævibus dorso uninervibus in fructum obconicum ultra medium connexis, caule erecto glabro, ramis erectis.

N. Hispanica flore amplo. *J. Ger. herb.* 1085. *f.* 6. *Debry. floril. nov. t.* 52. *Moris. hist.* 2. *p.* 516. *s.* 12. *t.* 18. *f.* 9.
Melanthium Bœticum. *Debry. fl. nov. in præf. p.* 2.
Melanthium Hispanicum majus. *Besl. Eyst. æst. ord.* 2. *t.* 10. *f.* 1.
N. latifolia flore majore simplici cæruleo. *C. Bauh. prod.* 75. *n.* 1. *pin.* 145. *n.* 2. *Tourn! inst.* 258.
N. Hispanica flore simplici. *Park. theatr.* 1375. *ic.*
N. angustifolia flore simplici majore ceruleo. *Weinm. phyt. t.* 757. *f. e.* et flore albo. *t.* 758. *f. b.*
N. pistillis denis corollam æquantibus. *Lin. h. ups.* 154. *Sauv. monsp.* 253.
N. Hispanica. *Lin. sp.* 753. *Mill. dict. n.* 6. *Houtt. pfl. syst.* 7. *p.* 275. *Poir! dict.* 4. *p.* 488. * *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 430. *t.* 112. * *Sims bot. mag. t.* 1265.
N. amæna. *Salisb. prod.* 374.
N. polygyna. *Mœnch. meth. suppl.* 111.
Hab. in arvis Hispaniæ (Ger.); Bœticæ (Debry); Cataloniæ *Dufour;* Barbariæ *Desf.* nec Monspelii. ⓘ fl. jun. (v. s. sp. et v. c.)
Planta glaberrima; caulis erectus firmus angulatus 1-2 pedalis; folia capillaceo-multifida, inferiora petiolata, superiora sessilia, lobis linearibus confertis subacutis, paulò latioribus quàm N. arvensis; pedunculi striato-sulcati erecti sub flore paululùm incrassati; flores nudi magnitudine N. Damascenæ; sepala patentia demùm subreflexa venoso-reticulata; antheræ apiculatæ; capsula obconica ferè obovata constans è capsulis 6-10 ultra medium coalitis, stylis totidem suberectis spiraliter tortis coronatis, extùs lævibus glabris, in parte liberâ intùs dehiscentibus membranaceis; semina triquetra. — Variat floribus cæruleis, albis et interdùm in sicco subochroleucis. — N. Hispanica est in herb. Linnæi subnomine N. arvensis, sed Linnæi descriptio et synonymia errorem demonstrant.

5. Nigella fœniculacea.

N. antheris apiculatis, stylis 5-6 erectis, capsulis lævibus dorso trinerviis in fructum obconicum ultra medium connexis, caule erecto glabro, ramis subdivaricatis.

N. Cretica folio fœniculi. *C. Bauh. pin.* 146. *n.* 8? *Moris. hist.* 3. *p.* 516. *s.* 12. *t.* 18. *f.* 6?

Hab. inter segetes Tauriæ. *Beaupré* ⓘ. (v. s. sp.).

Planta glaberrima gracilis; caulis tenuis subangulatus; rami vix divergentes, sub floribus striato-sulcati; folia capillaceo-multifida, lobis angustissimis linearibus acutis; flores ex albo cærulei, nudi, magnitudine N. arvensis; sepala patentia stipitata ovata acumine mucronata; petala transversè lineata hispida; stamina imâ basi polyadelpha; antheræ apiculatæ; capsulæ 5-6 læves dorso trinerviæ in stylum rectum productæ, ultra medium in fructum turbinatum basi angustatum connatæ, supernè in parte liberâ intùs dehiscentes et membranaceæ; semina triquetra.

6. Nigella divaricata.

N. antheris apiculatis, stylis 5 erectiusculis, capsulis lævibus in fructum obconicum ultrà medium connexis, caule glabro, ramis divaricatissimis.

N. alba simplici flore. *P. Alp. exot.* 261. *ic.* 2.

N. divaricata. *Beaupré! ined.*

N. lævis. *Delile! ined.*

Hab. in Taurià. *Beaupré*, in Ægypto. *Delile.* ⓘ. (v. s. sp.).

N. arvensi valdè affinis et forsan hujus mera varietas; differre tamen videtur caule vix erecto à basi sæpiùs divaricatìm ramoso: ramis floralibus sæpiùs elongatis nudis: foliis multifidis equidem, sed subcarnosis lævibus glaucescentibus: stylis tandem nunquàm extùs circinnatìm revolutis, sed rectis aut subdivergentibus.

7. Nigella arvensis.

N. antheris apiculatis, stylis 5-7 extùs circinnatìm revolutis, capsulis lævibus in fructum obconicum basi angustatum ultrà medium connexis, caule glabro, ramis subdivergentibus.

Melanthium sylvestre. *Fuchs. stirp.* 505. *ic. Dod. pempt.* 303. *f.* 2. *J. Ger. herb.* 1084. *f.* 2.

Nigella cornuta. *Cord. hist. cap.* 22. *p.* 127. *ic.*

Melanthium sylvestre alterum. *Math. comm.* 580. *f.* 3. *Cam. epit.* 553. *ic. Dalech. lugd.* 813. *f.* 3.

Melanthium agreste alterum. *Tab. ic.* 72. *f.* 2.

Melanthium sylvestre alterum capitulis reflexis Aquilegiæ. *Lob. ic.* 742. *f.* 1.

N. arvensis cornuta. *C. Bauh. pin.* 145. *Moris. hist.* 3. *p.* 515. *s.* 12. *t.* 18. *f.* 1. *Tourn! inst.* 258. *n.* 1. 2. 3. *Garid. Aix. p.* 328. *t.* 73. *Weinm. phyt. t.* 757. *f. b.*

Melanthium sylvestre sive arvense. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 209. (*excl. ic.*). *Chabr. sciag.* 379. *n.* 3. (*excl. ic.*).

N. Cretica folio fœniculi. *P. Alp. exot.* 261, *ic?*

N. flore foliis nudo pistillis corollam æquantibus. *Lin. h. cliff.* 215. *Dalib. par.* 160. *Bœhm. lips.* 174.

N. arvensis. *Lin. sp.* 753. *Scop. carn.* 2. *n.* 657. *Poll. pal. n.* 514. * *Bull. herb. t.* 126. *Willd. sp.* 2. *p.* 1248. *Roth. fl. germ.* 1. 232. 11. 574. *Poir? dict.* 4. *p.* 488. * *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 429. * *Lam! ill. t.* 888. *f.* 1. *DC?*

fl. fr. ed. 3. *v.* 4. *p.* 910. 5. *p.* 640. *Smith! prod. fl. græc.* 1. *p.* 374. *Sibt. fl. græc. t.* 512. *Gmel. fl. bad. n.* 810. * *Boiss. fl. eur.* 3. *t.* 372. *Hayn. term. bot. t.* 38. *f.* 3. *Schkuhr. hand.* 2. *p.* 92. *t.* 146. *Spreng. geh. d. nat. p.* 280. *t.* 6. *f.* 1-12. 16-18. 22. *t.* 24. *f.* 5. 6-9. *t.* 25. *f.* 8.

N. flore nudo siliquarum cornubus longissimis. *Hall. helv. n.* 1194. *

N. doliata. *Pall! ind. taur. ex Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 16. *ex herb. Pall. nunc Lamb.*

Hab. in arvis inter segetes Europæ mediæ et meridionalis, Barbariæ *Desf.* insulæ Cypri (Sibt.) Tauriæ *Pall.* ⓘ. fl. æst. (v. v. sp.).

Variat, 1°. sepalis albis cærulescentibusve, simplici aut multiplici serie dispositis; 2°. stylis capsulisque 3-7, sæpiùs 5; 3°. ramis plus minusvè divaricatis; 4°. seminibus nigris et brunneis. — Petala optimè delineata in icone Bulliardianâ, non semper omninò glabra, interdùm pilos sparsos nonnullos gerentia.

8. Nigella aristata.

N. antheris apiculatis, capsulis in fructum turbinatum connexis, caule glabro, floribus involucro folioso cinctis.

N. aristata. *Sibth. fl. græc. t.* 510. * *ex Smith. prod.* 1. *p.* 373.

Hab. prope Athenas (Sibth.). ⓘ.

Caulis glaber ramosus; caracteres N. arvensis, sed flos involucratus; habitus ferè N. Damascenæ, sed differt præcipuè antheris aristato-apiculatis; involucrum parvum; sepala stipitata abruptè dilatata in limbum cordiformem apice acuminatum; petala hispida bilabiata, labio alio simplici, altero bifido, lobis subulatis apice callosis; capsula N. arvensis, sed ut videtur muricata; semina nigra angulata (descr. ex ic. Sibth.).

9. Nigella sativa.

N. antheris muticis, capsulis muricatis in fructum ovatum ad apicem usquè connexis, caule erecto pilosiusculo, floribus nudis.

Μελανθιον. *Hipp. ster.* 675. *Diosc. ed. Sarr.* 3. *c.* 93. *ex Spreng. hist. r. h.* 1. *p.* 43. *et Sibth. fl. græc. prod.* 1. *p.* 373.

Melanthium seu Gith. *Plin. hist. l.* 20. *c.* 17.

N. hortensis. *Trag. stirp.* 117.

Melanthium hortense 1. *Fuchs. stirp.* 503. *ic.*

Melanthium sativum. *Math. comm.* 580. *f.* 1. *Cam. epit.* 551. *ic. Tab. ic.* 71. *f.* 1. *Dalech. lugd.* 812. *f.* 1.

Melanthium. *Dod. pempt.* 303. *ic. Ger. herb.* 1084. *f.* 1. *Paull. dan. t.* 137.

Melanthium sive Nigella Romana odora. *Lob. ic.* 740. *f.* 2.

N. flore minore simplici candido. *C. Bauh. pin.* 145. *Moris. hist.* 3. *p.* 269. *s.* 12. *t.* 18. *f.* 4. *Tourn! inst.* 258.

Melanthium calyce et flore minore semine nigro. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 208. *ic. Chab. sciag.* 379. *f.* 1.

Nielle romaine. *Pomet. hist. drog. p.* 43. *ic.*

N. pistillis quinis, capsulis muricatis subrotundis, foliis subpilosis. *Linn. h. ups.* 154. *mat. med.* 271.

N. sativa. *Lin! sp.* 753. (*excl. Mill. syn.*) *Mill. dict. n.* 3. *Ludw. ect. t.* 80. *Kniph. bot.* 7. *Willd. sp.* 2. *p.* 1248. *Poir! dict.* 4. *p.* 487. *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 429. * *Sibth. fl. græc. t.* 511. *DC! fl. fr.* 5. *p.* 640. *

β. Cretica, stylis flore longioribus.
Melanthium simplici flore Creticum. *Clus. hist.* 2. *p.* 108.
N. cretica. *Math. comm.* 581. *f.* IV. *C. Bauh. prod.* 75. *n.* 2. *ic. pin.* 146. *n.* 7. *Moris. hist.* 3. *p.* 515. *s.* 12. *t.* 18. *f.* 2. *Mill. dict. n.* 4.
N. segetalis. *Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 16.

γ. Citrina, seminibus luteis, floribus plenis.
Melanthium pleno flore. *Clus. hist.* 2. *p.* 207. *ic.*
N. citrina flore albo multiplici. *Dalech. lugd.* 812. *f.* 2.
Melanthium citrinum multiflorum. *Tab. ic.* 72. *f.* 2.
N. citrina vulgò vocata flore albo multiplici. *Lob. ic.* 741. *f.* 1.
Melanthium Damascenum flore pleno. *J. Ger. herb.* 1084. *f.* 4. *non Besl.*
Melanthium flore pleno. *Debry. flor. nov. t.* 97.
N. peregrina flore multiplici. *Besl. eyst. æst. ord.* 2. *t.* 16. *f.* 1.
N. flore minore pleno et albo. *C. Bauh. pin.* 146. *n.* 6. *Moris. hist.* 3. *p.* 516. *s.* 12. *t.* 18. *f.* 5.
Melanthium capite minore flore multiplicato. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 209. *excl. ic. Chab. sciag.* 379. *f.* 2. *excl. ic.*

δ. Indica, caule foliis subglabris.
N. Indica *Roxb! mss. ex Fleming in journ. bot.* 1814. 4. *p.* 203. *journ. pharm.* 1814. *p.* 253.

Hab. in arvis Monspelii *Pousin*, Barbariæ (Desf.), Cretæ (Math.), Ægypti *Delile*, Tauriæ *Pallas*, Indiæ *Roxb.* ⓘ. fl. æst. (v. v. sp.)
Caulis erectus 1-2 pedalis multiflorus pube tenuissimâ præsertìm ad basim onustus; petioli subpubescentes; flores circiter magnitudine N. arvensis, supra ultimum folium pedunculati nec involucrati, sordidè albi; antheræ ovatæ obtusæ; capsulæ muricatæ, 5 usque ad apicem connatæ in unicam ovatam stylis 5 erectis superatam, apice inter stylos dehiscentem; semina angulata. — Variat, 1°. sepalis albis virescentibus aut subcærulescentibus; 2°. sepalis unicâ aut multiplici serie dispositis; 3°. stylis sæpiùs 5, nunc abortu 3-4; 4°. præsertìm caule foliisque ferè omnino glabris ut in var. *δ*; 5°. stylis calycem superantibus ut in var. *β*. 6°. seminibus sæpiùs nigris, sed luteo-citrinis in var. *γ*. — An huc latent quædam species confusæ? — Stirps ab antiquissimis ævis culta et ideò originis dubiæ! semina aromatica subacria, olìm in medicinâ, nunc potiùs pro condimento usitata.

10. Nigella Damascena.

N. antheris muticis, capsulis 5 lævibus bilocularibus in unicam ovato-globosam ad apicem usquè connexis, floribus involucro folioso cinctis, sepalis patentibus.

N. Damascena. *Trag. stirp.* 117. *ic. Cord. hist.* 128. *ic.*
N. hortensis altera. *Fuchs. hist.* 504. *ic. Blackw. herb. t.* 558.
Melanthium sylvestre. *Math. comm.* 580. *f.* 2. *Cam. epit.* 552. *ic. Lob. ic.* 741. *f.* 2.
Melanthium Damascenum. *Dod. pempt.* 304. *ic. J. Ger. herb.* 1084. *f.* 3.

Isopyrum Mathioli. *Dalech. lugd.* 1020. *f.* 3. *malè.*
Melanthium sylvestre prius Mathioli. *Dalech. lugd.* 813. *f.* 1. 2.
Melanthium agreste. *Tab. ic.* 72. *f.* 1.
Melanthium sativum flore simplici. *Besl. h. eyst. æst. ord.* 2. *t.* 10. *f.* 2.
N. angustifolia flore majore simplici cæruleo et albo. *C. Bauh. pin.* 145. *Tourn! inst.* 258.
Melanthium capite et flore majore simplici. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 207. *ic.*
Melanthium, Gith, Nigella. *Chab. sciag.* 378. *f.* 6.
N. Romana sativa floribus foliosis. *Moris. hist.* 2. *p.* 516. *s.* 12. *t.* 18. *f.* 7. 8.
N. Romana flore albo. *Weinm. phyt. t.* 757. *f. c.* et flore cæruleo *t.* 757. *f. d.*
N. floribus involucro folioso cinctis. *Lin. h. cliff.* 215. *ups.* 153.
N. Damascena. *Lin ! sp.* 753. *Houtt. pfl. syst.* 7. *p.* 271. *Kniph. bot.* 10. *n.* 66. *Curt. bot. mag. t.* 22. *Roth. fl. germ.* 1. 231. 11. 593. *Willd. sp.* 2. *p.* 1248. *Lam! ill. t.* 488. *f.* 2. *Poir! dict.* 4. *p.* 487.* *Desf! atl.* 1. *p.* 428.* *Gærtn. fr.* 2. *p.* 174. *t.* 118. *f.* 1. *Smith. prod.* 373. *Sibth. fl. græc. t.* 509. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 910. *Gmel. bad. n.* 808. *Savi mat. med. p.* 28. *t.* 16. *Schkuhr. handb. n.* 1435. *t.* 146.
N. petalis subtricuspidatis foliis subpilosis. *Mill. ic. t.* 187. *f.* 2. *excl. syn. Lin.*
N. cærulea. *Lam! fl. fr.* 3. *p.* 312.
N. multifida. *Gat. fl. montaub.* 100.
N. involucrata. *Mœnch. meth.* 314.
N. elegans. *Salisb. prod.* 374.
* Flore pleno.
Melanthium Damascenum pleno flore. *Clus. hist.* 2. *p.* 208. *f.* 1. *Besl. eyst. æst. ord.* 2. *t.* 10. *f.* 3.
N. flore albo multiplici. *Ger. herb.* 1085. *f.* 5.
Melanthium flore multiplici. *Debry. fl. nov. t.* 52.
N. angustifolia flore majore pleno. *C. Bauh. pin.* 145. *Tourn. inst.* 258.
Melanthium capite et flore majore pleno. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 208. *ic. floris p.* 209. *f.* 1. *cum nomine falso.*
Melanthium, etc. *Chab. sciag. p.* 379. *f.* 2. *excl. descr.*
Hab. inter segetes in agris totius regionis Mediterraneæ à Lusitaniâ (Brot.) ad Tauriam usquè (Pall.). ☉ fl. æst. (v. v. sp.)
Species primâ fronte distinctissima ob involucrum capillaceo-multifidum polyphyllum, immediatè sub flore situm, eumque superans et ferè includens, nec minùs spectabilis ob fructûs insolitam concamerationem. Capsula (è 5 partialibus de more generis conflata) ovato-subglobosa, stylis 5 erectis coronata, 10-locularis, loculis nempè 5 interioribus seminiferis, 5 exterioribus vacuis et ex separatione epicarpii quasi tumefacti ab endocarpio discreti ortis. — Variat sepalis albis cæruleisve, simplici multiplicive serie dispositis; frequens in hortis.

11. Nigella coarctata. †

N. antheris muticis, floribus involucratis, sepalis erecto-conniventibus.

N. flore simplici pallescente. *Herm. ex Tourn. inst.* 258.
N. Damascena var. β coarctata. *Willd. sp.* 2. *p.* 1248.
N. Damascena humilis. *Gart. mag.* 1804. *p.* 60.

N. pygmæa. *Pers. ench.* 2. *p.* 85.
N. coarctata. *Gmel. bad.* 2. *p.* 502. *in adn.*
Hab. . . . . ⓘ (v. s. c. in h. Bonpl.).
An satis à N. Damascenâ distincta ? per plures annos ex seminibus culta mutationi non succubuit (Gmel.). Herba semipalmam longa erecta simplex uniflora ; folia N. Damascenæ ; flos intra involucrum sessilis parvus albidus ; sepala erecto-conniventia ovato-lanceolata.

XXIV. AQUILEGIA.

Aquilegia. C. Bauh. *pin.* 144. Tourn. *inst.* 428. *t.* 242. Lin. *gen.* 275. Juss. *gen.* 234.

Fr. Calyx 5-sepalus deciduus colorato-petaloïdeus ; Petala 5 supernè hiantia bilabiata, labio exteriore magno plano, interiore minimo, deorsùm producta in calcaria totidem cava apice callosa inter sepala exserta ; stam. ∞ in phalanges 5-10 disposita, interiora abortiva antheris nullis filamentis dilatatis membranaceis oblongis. Ovaria 5. Capsulæ totidem erectæ ∞-spermæ stylis acuminatæ.

Veg. Herbæ perennes erectæ ; radices fibrosæ ; folia radicalia aut inferiora longè petiolata, petiolo trifido biternatìm secta, segmentis trifidis dentatis sæpiùs obtusis ; superiora in lobos lineares partita aut secta ; flores terminales, cærulei, albi, rosei aut purpurei, rarissimè sordidè flavescentes.

Vir. Herbæ vix acres, amariusculæ, tonico-subastringentes ; semina acria, ad exanthemata pellenda proposita.

Hab. In pratis dumetis montanis hemisphæræ borealis, 1 in Americâ, cæteræ in orbe nostro, 4 in Europâ et 7 in Sibiriâ.

Obs. Squamæ ex antherarum interiorum abortu et filamentorum ampliatione ortæ, sæpè bractearum instar ovaria post florem cingunt ! Depictæ sunt in Barr. ic. t. 617. 619. 620. 621. 623. 626. 630. Analogæ sunt squamis petaloïdeis quas in Eupomatiâ (*gen. rem. p.* 65. *t.* 2.) observavit cl. R. Brown. — Aquilegiarum flores quadruplici modo pleni evadunt. 1°. *Corniculati* dicuntur cùm petala accessoria ex antherarum mutatione orta sunt omnia calcarata, calcaribus deorsùm productis ; 2°. *Inversi* cùm calcaria sunt sursùm directa, stipite nempè petalorum tortili ; 3°. *Stellati* cùm petala accessoria, ex antherarum abolitione et filamentorum ampliatione orta, sunt omnia plana ecalcarata ; 4°. *Degeneres* cùm genitalia petalaque omnia abortiunt et sepala multiplicata virescunt.

1. Aquilegia vulgaris.

A. calcaribus incurvis, capsulis villosis, caule folioso multifloro, foliisque glabriusculis, stylis stamina non superantibus.

Acoleia. *Hildeg. ed. Schott. ex Sprengel. hist. r. h.* 1. *p.* 227.
Aquilegia. *Trag. Stirp.* 137. *ic. Herb. imag. viv.* 1. *t.* 9. *f.* 1. *Fuchs. hist.* 102. *ic.*
Aquilina. *Math. comm.* 467. *f.* 1. *Lob. adv.* 339. *Cam. epit.* 404. *ic.*
Aquileia. *Dod. pempt.* 181. *cor.* 83. *ic. Cam. hort.* 19. *Dalech. lugd.* 820. *f.* 2.
Aquileia sylvestris flore simplici. *Thal. herc.* 16. *Moris. hist.* 3. *p.* 457. *s.* 12. *t.* 1. *f.* 1.
Aquilina cærulea et alba. *Tab. ic.* 40. *f.* 1. *et* 41. *f.* 1.
Aquileia cærulea et rubra. *Lob. ic.* 761. *f.* 1. *et* 2. *J. Ger. herb.* 1093. *f.* 1. *et* 2.
Isopyrum Dioscoridis. *Col. phytob.* 1. *p.* 1. *t.* 1.
Aquilina flore albo simplici. *Debry. floril. nov. t.* 99.
A. flore simplici. *Besl. eyst. æst.* 2. *t.* 9. *f.* 3. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 484. *f.* 1-3. *Chab. sciag.* 485. *f.* 1-3.
A. sylvestris et hortensis. *C. Bauh. pin.* 144. *n.* 1. *et* 2.
A. simplex corniculata. *Barr. ic.* 628.
A. vulgaris, etc. *Weinm. phyt. t.* 160. a. b. c. *t.* 161. a. *t.* 162. a. b.
A. sylvestris et hortensis simplex. *Tourn! inst.* 428. *n.* 1. 5. 6. 7. 8.
A. sylvestris. *Garid. aix.* 38. *t.* 8. *Neck. gallob.* 254.
A. nectariis incurvis. *Lin. h. ups.* 152. *fl. suec.* 2. *p.* 478.
A. vulgaris. *Lin! sp.* 752. *Scop. carn. n.* 656. * *Smith! fl. brit.* 578. *Engl. bot. t.* 297. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 911. * *Jaum. pl. fr. fasc.* 5. *Gmel. fl. bad. n.* 807. * *Palmstr. sv. bot. t.* 118. *Spreng. geh. d. nat. p.* 279. *t.* 15. *f.* 30. *Wahlemb. carp. n.* 535.
A. alpina. *Huds. angl.* 235. *ex Sm.*
A. n. 1195. *Hall. helv.* 2. *p.* 89. *
A. vulgaris var. α. et β. *Lam! dict.* 1. *p.* 149. *Lapeyr. abr.* 306.
A. vulgaris var. α, β, γ, δ, ε, ζ. *Willd. sp.* 2. *p.* 1245.

* *Corniculata*, flore pleno, petalis calcaratis, calcaribus deorsùm productis.

Aquilina flore pleno. *Math. comm.* 467. *f.* 2. *Clus. hist.* 2. *p.* 204. *f.* 1.
Aquileiæ flores varii. *Cam. epit.* 405. *ic.*
Aquilina multiplex. *Tab. ic.* 40. *f.* 2. *J. Ger. herb.* 1093. *f.* 3. *et* 4.
A. multiflora variegata et multiplex. *Lob. ic.* 762. *f.* 1. *et* 2. *et* 763. *f.* 1.
A. flore pleno. *Besl. eyst. æst.* 2. *t.* 6. *f.* 1. 2. *t.* 7. *f.* 2. 3. *t.* 8. *f.* 2. 3.
Aquilina flore variegato et rubro. *Debry floril. nov. t.* 99.
A. hortensis multiplex flore magno et parvo. *C. Bauh. pin.* 144. *et* 145. *n.* 1. 2. *Tourn. inst.* 429.
A. flore pleno sive multiplici. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 485.
A. hortensis flore pleno. *Moris. hist. s.* 12. *t.* 2. *f.* 6.
A. corniculata, etc. *Barr. ic.* 614. 615. 616. 618. 623. 629. 630. 631. 632.
A. plena. *Weinm. phyt. t.* 162. c. *t.* 163. a. b. c. *t.* 164. a. b.
A. corniculata. *Vill. cat. strasb.* 250.

** *Inversa*, flore pleno, petalis corniculatis, calcaribus sursùm directis.

A. flore pleno inverso. *Clus. hist.* 2. *p.* 204. *f.* 2. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 485. *Edw. brit. herb. t.* 16.

Aquilina plenis et multiplicis floribus. *Dalech. lugd.* 821. *f.* 1.
A. inversa multiplici albo colore. *Lob. ic.* 763. *f.* 2.
Aquilina flore inverso rubro et albo. *J. Ger. herb.* 1094. *f.* 5. 6.
Aquilina carnei coloris. *Debry. floril. nov. t.* 99.
A. inverso flore. *Besl. eyst. æst.* 2. *t.* 9. *f.* 2.
A. hortensis multiplici flore inverso. *C. Bauh. pin.* 145. *n.* 3. *Tourn. inst.* 429. *Moris. hist. s.* 12. *t.* 2. *f.* 8.
A. inversa flore pleno. *Barr. ic.* 613.
A. inversa. *Mill. dict. n.* 3.

* * * *Stellata*, flore pleno, petalis planis ecalcaratis coloratis.
A. flore roseo stellata. *Clus. hist.* 2. *p.* 205. *f.* 1. *J. Ger. herb.* 1094. *f.* 7. *C. Bauh. pin.* 145. *n.* 4. *Tourn. inst.* 429.
A. pleno roseo flore. *Debry. floril. nov. t.* 99.
A. stellata flore roseo purpureo, etc. *Besl. eyst.* 2. *t.* 6. *f.* 3. *t.* 7. *f.* 1. *t.* 8. *f.* 1. *et t.* 9. *f.* 1.
A. flore simplici et pleno non corniculato. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 485.
A. flore roseo sive stellato. *Moris. hist. s.* 12. *t.* 2. *f.* 9.
A. rosea cæruleo-violacea rara. *Barr. ic. t.* 607.
A. stellata, etc. *Barr. ic. t.* 619. 620. 621. 622. 624. 625. 626. 633. 635. 636.
A. non corniculata. *Weinm. phyt. t.* 161. *f.* b. *et t.* 164. c. d.
A. stellata seu ecalcarata. *Hortulan.*

* * * * *Degener*, flore pleno, petalis sepalisve planis ecalcaratis virescentibus.
A. degener. *Clus. hist.* 2. *p.* 205. *f.* 2. *Lob. ic.* 764. *f.* 1. *Debry. floril nov. t.* 99. *C. Bauh. pin.* 145. *n.* 5. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 485. *ic. Chab. sciag.* 485. *f.* 4. *Tourn. inst.* 429.
A. petalis brevioribus planis sive degener. *Moris. hist. s.* 12. *t.* 2. *f.* 10.
A. degener virescens stellato-rosea. *Barr. ic. t.* 608.
Hab. in pratis sepibus dumetis sylvisque humidiusculis subumbrosis Europæ totiùs, à Lusitaniâ (Brot.) ad Petropolim (Sob.), à Suecià (Lin.) ad Laconiam (Sibt.), etiam in Japoniâ (Thunb.). ♃. (v. v. sp.)
Species valdè variabilis, nempè 1°. superficie nunc (exceptis capsulis) omninò glabra, nunc præsertim ad apicem pubescente, vix autem viscosâ; 2°. foliorum segmentis inciso-dentatis aut rarissimè integris; 3°. florum colore cæruleo, albo, roseo, purpureove aut ex istis coloribus variegato, punctato aut fasciato, nunquàm verò luteum admittente; 4°. floribus quadruplici modo plenis, nunc petalis accessoriis ex antherarum transformatione ortis corniculatis calcaribus deorsùm sursùmve directis, nunc iisdem ex antherarum abortu filamentorumque ampliatione ortis planis ecalcaratis coloratis, nunc forsan petalis abortivis sepalisque multiplicatis planis virescentibus.
Aquilegiæ vulgaris stellatæ flores sunt in herbario Linnæano cum foliis Clematidis Sibiricæ mixti sub nomine Atragenes Sibiricæ. (Conf. sp. ed. 1. p. 543 et suprà p. 166.)

2. Aquilegia viscosa.

A. calcaribus incurvis, capsulis villosis, caule pauci aut unifloro subnudo foliisque pubescenti-viscosis, stylis stamina non superantibus.

A. montana flore parvo thalictri folio. *C. Bauh. prod.* 75. *pin.* 144. *ex Lachenal act. helv.* 8. *p.* 146. *t.* 5.

A. hirsuta flore viscoso. *Magn. bot. monsp.* 24. *hort.* 21. *Tourn. inst.* 428.
A. viscosa. *Gou! fl. monsp.* 267. *illustr.* 33. *t.* 19. *Lin! mant.* 77. *Houtt. pfl. syst.* 7. *p.* 267. *Willd. sp.* 2. *p.* 1245. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 912.* *v.* 5. *p.* 640. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 333.*
A. vulgaris var. γ. et δ. *Lapeyr. abr. pyr.* 306.
Hab. in asperis montanis apricis regionis Mediterraneæ, nempè Lusitaniæ (Brot.); Hispaniæ et Galliæ australis; Pedemontii (All.); agri Luganensis (Schl.), Foro-Juliensis (Suffr.) et Neapolitani (Ten.). ♃. fl. jun. (v. v. sp.).
Vix à priore distincta videtur ut facilè descenderem in sententiam Villarsii et aliorum qui hanc pro varietate à solo natali ortâ tantùm habent. Differt caule subnudo, uni bi aut trifloro, superficie totâ pubescenti-viscosâ, floribus paulò majoribus sæpiùs ipsis pubescentibus.

3. Aquilegia speciosa.

A. calcaribus incurvis petalorum limbo æqualibus, capsulis villosis, caule multifloro folioso, pedunculis petiolis foliisque subtùs pubescentibus, stylis stamina superantibus.

α. *Bicolor*, calcaribus apice luteis.
A. vulgaris speciosa. *Ait. Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 247. *ed.* 2. *v.* 3. *p.* 325. *Willd. sp.* 2. *p.* 1246.
A. bicolor. *Ehrh. beitr.* 7. *p.* 146? *Pers. ench.* 2. *p.* 85.

β. *Concolor*, calcaribus apice concoloribus.
A. concolor *Fisch.*
A. præcox. *Pers. ench.* 2. *p.* 85.

Hab. in Sibiriâ (Ait.). ♃. fl. maio-jun. (v. v. c.)
An satis ab A. vulgari diversa? distinguitur tantùm calcaribus limbo petalorum æqualibus, sæpiùs apice luteis, stylis stamina antheseos tempore superantibus; an mera varietas?
Pistilla in plantâ Ehrartii glabra quæ in nostrâ sunt villosa! an eadem?

4. Aquilegia Sibirica.

A. calcaribus incurvis, capsulis glaberrimis, caule 1-2 floro subnudo glabro, sepalis obtusissimis.

A. n. 16. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 185? *excl. syn.*
A. Sibirica. *Lam! dict.* 1. *p.* 150.*
A. vulgaris Daourica. *Willd. sp.* 2. *p.* 1246.
Hab. in sylvis Daouriæ circa Irkoulst. *Patrin.* ♃. (v. s. sp.).
Folia radicalia longè petiolata, glabra aut vix in petiolo subpubescentia, petiolo apice trifido secta, segmentis obtusis latè dentatis glabris; caulis vix pedalis, sæpiùs 1-florus, omninò nudus, interdùm 2-3-florus bracteâ foliaceâ 1-2 instructus; floris sepala cærulea ovalia obtusa; petala alba dimidio minora obtusissima; capsulæ glaberrimæ quâ notâ facilè à prioribus et forsan ab omnibus distinguitur.

5. Aquilegia Alpina.

A. calcaribus rectis apice subincurvis limbo petalorum

dimidio brevioribus, caule 2-3-floro folioso, foliorum segmentis in lobos lineares profundè multifidis.

A. montana magno flore. *C. Bauh. prod.* 75. *pin.* 144. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 484. *Ray. hist.* 707. *Moris. hist.* 3. *p.* 457. *Tourn. inst.* 428.
A. Alpina. *Lin. sp.* 752. *All. ped. n.* 1508. *t.* 66. *
A. vulgaris var. γ. *Lam! dict.* 1. *p.* 149.
A. Alpina var. α. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 912. *

β. *Grandiflora*, sepalis ovalibus, calcaribus limbi longitudine.
A. nectariis rectis, etc. *Gmel. sib.* 4. *p.* 185. *n.* 16.
A. grandiflora. *Patrin! ined.*

Hab. in locis umbrosis et humidis Alpium Pedemontii. *All.*, Sabaudiæ, Helvetiæ. β. in Alpibus Altaïcis Sibiriæ *Patrin.* ♃. fl. æst. (v. v. sp.)
Caulis 1-2 pedalis, folia 3-5 gerens, simplex aut in pedunculos 2-3 breves divisus, glaber ut herba tota; folia radicalia et inferiora petiolo longo basi parùm dilatato apice trifido, segmentis ideò petiolulatis cuneatis obtusis biternatìm sectis, lobulis linearibus; superiora sessilia in lobos plurimos lineares partita; flores ampli cærulei; sepala oblongo-ovalia subacuta; petala obovata sepalis dimidio ferè breviora; calcaria recta apice subincurva limbo duplò ferè longiora; genitalia inclusa; capsulæ villosulæ. — Var. β differt sepalis magis ovatis obtusioribus, calcaribusque limbo petalorum æqualibus (nec duplò longioribus), vix ac ne vix apice incurvis. An species propria?

6. Aquilegia Pyrenaïca.

A. calcaribus rectis limbo vix brevioribus, caule subnudo subunifloro, foliorum segmentis in lobos lineares profundè multifidis.

A. montana parvo flore Thalictri folio. *C. Bauh. prod.* 75. *pin.* 144. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 484. *Tourn. inst.* 420. *Moris. hist.* 3. *p.* 457.
A. Alpina. *Lam! dict.* 1. *p.* 150. * *Lapeyr. abr. pyr.* 306. *Berg. fl. bass. pyr.* 2. *p.* 389. *
A. Alpina var. β. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 912. *
A. Pyrenaïca. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 5. *p.* 640. *
Hab. in pratis elatis et rupestribus Pyrenæorum et Apennini Appuani (Bert.). ♃. fl. æst. (v. v. sp.)
Affinis A. Alpinæ sed omnibus partibus dimidio minor; folia longiùs petiolata circumscriptione ferè orbicularia; caulis nudus aut folia 1-2 gerens; flores 1-2 terminales cærulei mediocres; sepala ovalia utrinquè attenuata; calcar rectissimum tenue, nec ullo modo apice incurvum. — Variat caule petiolisque glaberrimis aut pilosiusculis.

7. Aquilegia Canadensis.

A. calcaribus rectis, stylis staminibusque exsertis, sepalis subacutis petala paulò superantibus, foliorum segmentis tripartitis apice subobtusis inciso-dentatis.

A. pumila præcox Canadensis. *Corn. can.* 59. *t.* 60. *Tourn. inst.* 428. *Mill. ic. t.* 47.

The early red Columbine of Virginia. *Park. theat.* 1367.
A. Virginiana flore rubescente. *Pluk. alm.* 38.
A. præcox Canadensis flore externè rubicundo medio luteo. *Moris. hist.* 3. *p.* 457. *s.* 12. *t.* 2. *f.* 4.
A. tenuifolia præcox Canadensis purpuro-luteo simplici flore. *Barr. ic.* 617.
A. Canadensis. *Lin ! sp.* 752. *Mill. dict. n.* 3. *Houtt. pfl. syst.* 7. *p.* 270. *Curt. bot. mag. t.* 246. *Lam ! dict.* 1. *p.* 151. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1247. *Schkur. handb. n.* 1434. *t.* 146. *Michx. fl. bor. am.* 1. *p.* 316. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 373. *Big. fl. bost.* 133.
A. variegata. *Mœnch. meth.* 311.
A. elegans. *Salisb. prod.* 374.
Hab. in Americâ boreali per tractus montium à Canadâ ad Carolinam (Michx.) ♃. fl. april. (v. v. c.)
Planta elegans glabra ; caulis erectus ramosus pedalis ; folia parva radicalia biternatim secta ; flores ex rubro et flavo varii, erecti, terminales ; calycis sepala ovalia 3 obtusa, 2 acuta, omnia petalis parùm longiora ; petala obtusa pallida ; calcaria recta apice subcallosa ; genitalia exserta ; filamenta interiora etiam sæpiùs antherifera ; ovaria pubescentia.

8. Aquilegia viridiflora.

A. calcaribus rectis limbo longioribus, staminibus petala æquantibus, stylis longè exsertis, sepalis ovali-oblongis petalis brevioribus.

A. viridiflora. *Pall. act. petrop.* 1779. *p.* 260. *t.* 11. *Murr. comm. Gœtt.* 1780. *p.* 8. *t.* 2. *Jacq. ic. rar.* 1. *t.* 102. *coll.* 1. *p.* 35. *Retz. obs.* 3. *p.* 34. * *Ait. kew.* 2. *p.* 248. *Willd. enum.* 577.
A. flava. *Lam ! dict.* 1. *p.* 149. * *excl. syn.*
A. viridiflora var. α. *Willd. sp.* 2. *p.* 1247.
Hab. in Sibiriâ. *Pall.* ♃. (v. s. sp. et v. c.)
Herba glabra ; folia radicalia bi aut triternatim secta, petiolo longo apice trifido, segmentis tripartitis obtusiusculis vix subincisis ; caulis subnudus 2-3-florus ; flores è viridi flavescentes reclinati magnitudine A. Canadensis ; calcaria recta apice callosa ; ovaria pubescentia ; stamina abortiva membranacea alba oblonga, circa ovaria bracteiformia persistentia.

9. Aquilegia Daourica.

A. calcaribus rectis limbo brevioribus, staminibus vix subexsertis, stylis longè exsertis, sepalis acutis petalis brevioribus.

A. Daourica. *Patrin ! herb.*
Hab. in Daouriæ collibus montanisque circa Nerlschenses officinas. *Patrin.* ♃. fl. jun. (v. s. sp.)
Similis A. viridifloræ et A. atro-purpureæ ; ab A. viridiflorâ differt floribus atropurpureis, calcare limbo breviore, staminibusque subexsertis ; ab A. atro-purpureâ genitalibus exsertis, sepalisque petalis brevioribus.

10. Aquilegia atro-purpurea.

A. calcaribus rectis limbo æqualibus, stylis staminibus-

que sepala subæquantibus, sepalis longitudine petalorum.

A. viridiflora var. β. *Willd. sp.* 2. *p.* 1247.
A. atro-purpurea. *Willd. enum.* 577.
Hab. in Sibiriâ (Willd.) ♃.
Flores atro-purpurei aut cæruleo-violacei; petali lamina viridi-cærulescens; calcaria cæruleo-violacea (Willd.). An satis à sequente differt?

11. Aquilegia hybrida.

A. calcaribus rectis vix apice subincurvis limbo obtusissimo longioribus, stylis stamina petalaque vix superantibus, sepalis acutis longitudine petalorum, caule foliisque subtilissimè pubescentibus.

A. Sibirica. *Donn. hort. cant.* 127?
A. hybrida. *Sims. in bot. mag.* 1221.
Hab. . . . . ♃. fl. maio. jun.
Enata inter semina A. Canadensis et forsan hujus et A. atropurpureæ hybrida proles. Herba subtilissimè pubescens; caulis multiflorus; flores duplò ferè majores quàm in A. Canadensi; sepala atro-purpurea oblonga apice callosa acuta; petala pallida sordidè flavida obtusissima sepalis subbreviora; calcaria purpurea recta apice calloso virescente vix ac ne vix apice subincurvo; stamina longitudine petalorum; styli paululùm longiores. (Sims.)

12. Aquilegia parviflora.

A. calcaribus rectis brevibus limbo obtuso subæqualibus, genitalibus recurvis sepalorum longitudine, caule 2-3-floro foliisque glabris.

A. sylvarum humilis. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 186. *t.* 74.
Hab. in Sibiriâ ad Lenam. *Demidow.* ♃. (v. s. sp. comm. ab amic. Delessert.)
Herba tota glabra ovariis hispido-pubescentibus exceptis; folia radicalia petiolo bipollicari apice trifido, ramulo quoque apice trisecto, segmentis approximatis sessilibus, subtùs pallidis ovali-cuneatis, apice trifidis tridentatisve; lobulis dentibusve obtusissimis; caulis teres erectus pedalis subnudus apice 2-4-florus; bracteæ sub pediculis tripartitæ lobis linearibus integris; flores cærulescentes minores quàm in A. Canadensi; calcaria recta brevissima; sepala ovata acuta basi attenuata, petalis obtusis longiora; stamina arcuatìm extùs deflexa, interiora abortiva membranacea marginibus valdè crispa oblongo-linearia; ovaria puberula; styli staminibus subbreviores cum iis arcuatìm deflexi.

13. Aquilegia anemonoïdes.

A. calcaribus rectis brevissimis limbo æqualibus, petalis calyce triplò brevioribus, pedunculis radicalibus unifloris subnudis.

A. anemonoïdes. *Willd. gess. naturf. Berl. mag.* 1811. *p.* 401. *t.* 9. *f.* 6.

Hab. in Sibiriâ Altaïcâ (Willd.). ♃.

Herbula 3 pollices alta, glabra, Anemonem triternatam habitu æmulans. Folia radicalia triternatim secta, segmentis oblongis indivisis bi-trilobisve; pedunculus radicalis seu scapus uniflorus, foliis vix longior, bracteis 2 lineari-lanceolatis stipatus; flos terminalis; sepala ovata obtusa; petala 5 sepalis triplò breviora cucullata; calcaria sepalis triplò breviora basi gibba. (Willd.)

XXV. DELPHINIUM.

Consolida regalis, Staphysagria et Aconiti sp. C. Bauh. — Delphinium. Tourn. *inst.* 426. *t.* 241. Lin. *gen. n.* 681. Juss. *gen.* 234. Gærtn. *fr. p.* 310. *t.* 65. Lam. *ill. t.* 432.

Fr. Calyx coloratus deciduus 5-sepalus, sepalo superiore basi in calcar cavum producto. Petala 4, interdùm inter se coalita, 2 superiora basi in appendices intra calcar contentas (calcar internum) producta; Stam. ∞. Ovaria 1-5, sæpiùs 3. Capsulæ totidem distinctæ univalves folliculares. Semina ∞ arido-baccata.

Veg. Herbæ radice annuâ exili aut perenni subfasciculatâ donatæ; caules erecti ramosi; folia petiolata caulina palmatìm multifida; flores racemosi, sæpiùs cærulei aut albi rosei et variantes purpurei, in unicâ specie flavi; bracteæ 3 ad singulum pedicellum, 1 sub basi (bractea), 2 secùs pedicellum (bracteolæ) sæpiùs oppositæ, nunc ab basin ut in D. staphisagriâ, nunc in medio pedicelli ut in D. Requienii, nunc circà apicem ut in Delphinastris.

Vir. Semina, præsertìm sectionis IV, acria subvenenata et in pulverem redacta contra pediculos populariter usitata.

Hab. In hemisphæræ borealis utroque orbe, nempè in agris campis sylvisque, rariùs in montanis. Consolidæ in agris, Delphinella in arvis, Delphinastra in umbrosis montanis, Staphisagriæ in apricis. — Species Europæanæ 11, Mauritanicæ 5, Orientales 13, Sibiricæ 10, Americanæ 6.

Div. Sectiones generis naturalissimæ nempè:

I. Consolida. Ovarium 1. Petala 4 in 1 coalita; calcar internum 1-petalum. Species annuæ. . . . . Sp. 1-11.

II. Delphinellum. Ovaria 3. Petala libera glabra; calcar internum dipetalum. Species annuæ. . . . . Sp. 12-21.

III. Delphinastrum. Ovaria 3-5; Petala libera, inferiora in disco barbata bifida; calcar elongatum, internum dipetalum. Species perennes. . . . . Sp. 22-44.

IV. Staphysagria. Ovaria 3-5. Petala libera; calcar breve,

internum dipetalum. Capsulæ ventricosæ ; semina pauca magna. Species biennes. . . . . Sp. 45-48.

Sect. 1. CONSOLIDA.

Consolida regalis. C. BAUH. *pin.* 142.

CAR. Ovarium 1. Calcar elongatum, interiùs 1-petalum; Petala inter se coalita ; Bracteæ 1 sub pediculo, 2 secùs pediculum sub flore insertæ ; Radices annuæ.

1. Delphinium axilliflorum.

D. caule subsimplici subglabro, floribus axillaribus subsessilibus, bracteolis sub flore sitis multifidis.

Hab. in Oriente. *Labillardière.* Ⓘ (v. s. sp. in h. Labill.)
Radix exilis subsimplex ; caulis erectus teres pedalis subsimplex glaber aut vix ac ne vix pubescens ; folia petiolata, summa sessilia, uni aut biternatim secta, segmentis multifidis, lobis linearibus divaricatis acutis. Flores in omnium foliorum axillis ferè omninò sessiles solitarii ; pedicellus brevissimus bracteolas 2 sub flore oppositas multifidas gerens ! Sepala pallidè cærulescentia oblonga acuta, basi attenuata, ferè 6 lin. longa ; calcar rectum sepalis dimidio brevius ; petala omnia in unicum apice bifidum album intùs venis fuscis pictum coalita ; stamina sepalis dimidio ferè breviora ; ovarium unicum adpressè villosum.

2. Delphinium Oliverianum.

D. caule glabro subramoso, ramis vix divergentibus, floribus paucis laxè racemosis, pedicellis bracteæ longitudine, capsulis glabris.

Hab. in agris cultis inter Bagdad et Vermancha. *Olivier.* Ⓘ (v. s. sp. in h. Oliv.)
Radix exilis simplex ; herba glabra ; caulis teres sesquipedalis parcè ramosus, ramis angulo acuto à caule divergentibus ; folia inferiora petiolata trisecta, segmentis petiolulatis multipartitis, lobis linearibus acutis margine integris ; superiora sessilia, summa tripartita, lobis linearibus acutis integris ; flores laxè racemosi distantes 8-10 secus caulem ; pediculi ex axillis foliorum floralium, folii circiter longitudine, inferiores nempè sesquipollicares, superiores semi-pollicem longi ; bracteolæ lineares integræ subopositæ ; pedicelli infra bracteolas glabri, supernè pubescentes ; flores cæruleo-purpurei, ampli, D. Ajacis floribus duplò majores ; calycis sepala ovali-oblonga 6-7 lin. longa ; calcar rectum sepalis longius ; stamina sepalis dimidio breviora glabra ; ovarium 1 glabrum.

3. Delphinium Ajacis.

D. caule recto subglabro subsimplici, ramis vix divergenti-

bus longè floriferis, floribus densè racemosis, pedicellis bracteæ longitudine, capsulis pubescentibus.

Hyacinthus. *Theocr. idyl.* 19. *Ovid. metam.*
Consolida regia. *Trag. stirp.* 569. *ic.*
Consolida regalis. *Math. comm.* 555. *f.* 1. *Thal. herc.* 28. *Cam. hort.* 46. *Blackw. herb. t.* 26.
Calcatrippa candida. *Cord. hist.* 159. *ic.*
D. elatius simplici flore. *Clus. hist.* 2. *p.* 206. *f.* 1.
Flos regius. *Dod. pempt.* 252. *f.* 1. *coron.* 56. *ic.*
Cuminum sylvestre alterum. *Dalech. lugd.* 698. *f.* 1. *malè.*
Consolida regalis flore rubro. *Lob. ic.* 740. *f.* 1.
Consolida regalis sativa. *J. Ger. herb.* 1083. *f.* 1. 2.
D. elatius. *Debry. floril. nov. t.* 96 *et* 97.
Consolida regalis hortensis flore majore et simplici. *C. Bauh. pin.* 142. *Moris. hist.* 3. *p.* 466. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 2.
Consolida regalis erectior. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 211. *f.* 1. *Chab. sciag.* 379. *f.* 5.
Consolida regalis maxima villosa. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 212. *f.* 1 ? *Chab. sciag.* 380. *f.* 1?
D. sativum. *Riv. irr. pent. t.* 123.
D. elatius et D. hortense flore majore simplici. *Tourn ! inst.* 426. 427.
Consolida regalis seu regia. *Weinm. phyt. t.* 408. *f.* c. d. *t.* 409. *f.* b. d. *t.* 410. *f.* a. b. *t.* 411. *f.* b. c. d.
D. nectariis monophyllis caule simplici. *Lin. h. Cliff.* 213. *h. ups.* 150.
D. Ajacis. *Lin ! sp.* 748. *Mill. dict. n.* 2. *Houtt. pfl. syst.* 7. *p.* 250. *Willd. sp.* 2. *p.* 1226. *Lam ! dict.* 2. *p.* 263. * *DC ! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 913. * *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 302. * *Gmel. fl. bad. n.* 804. * *Spreng. geh. d. nat.* 1. *p.* 278. *t.* 24. *f.* 1-5.
D. unisiliquum caule recto spicato. *Hall. helv. n.* 1202. *
D. simplex. *Salisb. prod.* 375.
* Pleno flore.
D. elatius pleno flore. *Clus. hist.* 2. *p.* 206. *f.* 2.
Consolida regalis flore duplici et pleno. *J. Ger. herb.* 1082. *f.* 3. 4.
D. elatius flore pleno et D. hortense flore majore multiplici. *Debry. flor. nov. t.* 96. *Tourn. inst.* 426-427.
Consolida regalis multiplica. *Besl. eyst. æst.* 2. *t.* 11. 12. 13. 14. *in omnibus f.* 2. *et* 3.
Consolida regalis flore majore et multiplici. *C. Bauh. pin.* 142.
Consolida regalis erectior flore pleno. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 211. *f.* 2. *Chab. sciag.* 379. *f.* 6.
Consolida regalis elatior flore duplici et multiplici. *Moris. hist.* 3. *p.* 466. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 7. *et t.* 4. *f.* 8. *et* 2.
D. sativum flore pleno et semi-pleno. *Riv. irr. pent. t.* 122. 123.
Consolida regalis flore pleno. *Weinm. phyt. t.* 408. b. *t.* 409. a. c. *t.* 410. c. *t.* 411. a. *Theatr. fl. t.* 65.
Hab. in Taurià (Pall.), nunc ex hortis indigena in Helvetià (Hall.) facta. ☉. fl. ineunte æstate. (v. v. c.).

Petala alba inter se coalita notata sunt ad latus superius lineis nonnullis atro-purpureis quæ Ajacis litteras primas Græcè scriptas olim in poetarum mentem revocaverunt. Videtur ergò hæc species Hyacinthus Theocriti et Ovidii, de quibus Ovidius :

> Ipse suos gemitus foliis inscribit et AIAI
> Flos habet inscriptum funestaque littera inscripta est.

et Theocritus, interprete Eobano Basso :

Nunc Hyacinthe sonet tua littera scilicet AIAI.

Species in hortis vulgaris variat, 1°. caule simplici aut subramoso, glabro aut subvelutino, humili aut exaltato ; 2°. floribus nempè sepalis albis, cæruleis, roseis, incarnatis, purpureis et ex iis coloribus variegatis ; 3°. floribus semi-plenis plenisve calcare recto, aut multiplicibus calcare evanido.

D. ambiguum. *Mill. dict. n.* 3, hujus mera videtur varietas.

4. Delphinium Consolida.

D. caule erecto glabro divaricatìm ramoso, floribus paucis laxè racemosis, pedicellis bracteâ longioribus, capsulis glabris.

Consolida regalis. *Herb. imag. viv. t.* 18. *Cam. epit.* 521. *Chab. sciag.* 379. *f.* 4.
D. vulgatius. *Clus. hist.* 2. *p.* 407. *f.* 1.
Flos regius sylvestris. *Dod. pempt.* 252. *f.* 2.
Anthemis eranthemos. *Dalech. lugd.* 970. *f.* 2.
Segetum Consolida regia strigosior tota. *Lob. ic.* 739. *f.* 2.
Consolida regalis sylvestris. *J. Ger. herb.* 1083. *f.* 5.
Consolida regalis arvensis. *C. Bauh. pin.* 142. *Besl. eyst. æst.* 2. *t.* 11. *f.* 1. *t.* 12. *f.* 1. *t.* 13. *f.* 1. *Moris. hist.* 3. *p.* 466. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 1.
Consolida regalis flore minore. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 210. *ic.*
Delphinium. *Riv. irr. pent. t.* 123. *f.* 1. *opt.*
D. segetum flore cæruleo albo rubro, etc. *Tourn! inst.* 426.
Consolida regia officinarum. *Weinm. phyt. t.* 408. a.
D. nectariis monophyllis caule subdiviso. *Lin. h. cliff.* 212. *fl. suec.* 440. 476. *mat. med.* 268.
D. consolida. *Lin! sp.* 748. *Houtt. pfl.* 7. *p.* 249. *Mill. dict. n.* 1. *Poll. pal. n.* 512. * *fl. Dan. t.* 683. *Ludw. ect.* 54. *Knorr. del.* 1. *t. R.* 17. *Lam! dict.* 2. *p.* 263. * *Ill. t.* 482. *f.* 1. *Willd. sp.* 2. *p.* 1226. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 913. *Smith! fl. brit.* 577.* *Gmel. bad. n.* 803.* *Palmstr. sv. bot. n. et t.* 58.
D. unisiliquum caule brachiato diffuso floribus sparsis. *Hall. helv. n.* 1203. *
D. segetum. *Lam. fl. fr.* 3. *p.* 325. *Delarb. fl. auv. ed.* 2. *p.* 497.
D. versicolor. *Salisb. prod.* 375.
* Flore pleno.
D. humilius sive vulgare pleno flore. *Clus. hist.* 2. *p.* 207.
Consolida arvensis flore rubro pleno. *Besl. eyst. æst.* 2. *t.* 14. *f.* 1.
Consolida vulgaris regalis flore multiplici. *C. Bauh. pin.* 142. *Moris. hist.* 3. *p.* 466.
D. vulgare flore multiplici. *Tourn. inst.* 426.
Hab. in arvis et segetibus totiùs Europæ etiam septentrionalis, Tauriæ (Bieb.), nec non Pensylvaniæ et Virginiæ ubi verosimiliter casu sata fuit. (Pursh.) ⓘ fl. jun.-jul. (v. v. sp.)
Variat omninò ut D. Ajacis.

5. Delphinium pubescens.

D. caule recto pubescente apice divaricatìm subramoso,

floribus laxè racemosis, pedicellis bracteâ longioribus, foliis capsulisque pubescentibus.

Consolida regia sive calcaris flos recentiorum. *Lob. ic.* 739. *f.* 1?
Consolida regalis flore minore. *C. Bauh. pin.* 142. *excl. syn. Moris. hist.* 3. *p.* 466.
Consolida regalis species altera. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 212. *f.* 3?
Consolida regalis minor. *Chab. sciag. t.* 380. *f.* 3?
Consolida regalis arvensis. *Magn. bot. monsp.* 73. *excl. syn.*
D. segetum flore cæruleo albo, etc. *Garid. Aix. p.* 149. *excl. syn.*
D. hortense flore minore. *Tourn. inst.* 427?
D. nectariis monophyllis caule subdiviso. *Ger. gallopr.* 390.
D. consolida. *Gou! hort. monsp.* 258. *excl. syn. Brot. fl. lus.* 2. *p.* 302? *Savi fl. pis.* 2. *p.* 15?
D. consolida var. luxurians. *Sibth. fl. græc. t.* 504. *prod.* 1. *p.* 370.
D. ambiguum. *Lois! not.* 85. *non Lin.*
D. pubescens. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 5. *p.* 641.*
Hab. in agris et segetibus regionis Gallo-Mediterraneæ circa Narbonam, Monspelium, Nemausim, Avinionem, etc. ⓘ fl. jun. (v. v. sp.)
Species media inter D. consolidam et D. Ajacis; ab utroque differt, 1°. superficie totius partis superioris, nempè caulis foliorum fructuumque pubescente, pilis brevissimis non velutino-adpressis ut in D. Ajacis, sed patentiusculis subremotis; 2°. floribus minoribus. A D. consolidâ speciatim distinguitur caule apice tantùm ramoso, foliis multò magis multipartitis et D. Ajacis folia æmulantibus, floribus tandem magis confertis. A D. Ajacis differt ramis magis divaricatis, pedicellis duplò tri; lòve longioribus, floribus minùs confertis, capsulis dimidio ferè brevioribus.

6. Delphinium rigidum.

D. caule erecto ramosissimo rigido, foliis capsulisque velutino-canescentibus, pedicellis bracteâ triplò longioribus.

Hab. in Oriente. *Labillardière.* ⓘ (v. s. sp. in h. Labill. et Deless.).
Medium inter D. pubescentem et pusillum et à priore forsan non satis distinctum; superficies tota imprimis ad apicem villis mollibus brevibus patulis confertis forsan viscidis velutino-canescens; caulis subpedalis erectus teres subflexuosus ramosissimus, ramulis numerosis patentibus parcè foliosis; folia inferiora petiolata trisecta, segmentis pinnatim multipartitis, lobis lobulisque linearibus acutiusculis margine integris nec dentatis; superiora et ramea sessilia à basi multipartita; floralia etiam summa seu bracteæ 3-5-fidæ; bracteolæ 2 oppositæ paulò infrà florem; pedicelli bracteis triplò longiores; flores pallidè subpurpurascentes minores quàm D. consolidæ; calcar rectum acutum horizontale; sepala ovalia subacuta; stamina inclusa deflexa villosa; petala glabra sepalis paulò breviora; ovarium villosum.

7. Delphinium pusillum.

D. caule erecto tenuissimo 2-4-floro foliisque pubescentibus subpedatim 5-fidis, pedicellis bracteâ lineari paulò longioribus.

D. pusillum. *Labill! syr. dec.* 4. *p.* 5. *t.* 2. *f.* 2.*

D. pygmæum. *Poir! supl.* 2. *p.* 458. *

Hab. prope Damascum ad radicem montis Dgebel-cher dicti. *Labillardière.* ⊙ (v. s. sp.).

Planta exigua vix bipollicaris tota villo brevissimo canescens; radix filiformis; cotyledones ellipticæ glabræ; folia caulina in petiolum angustata pedatìm 3-5-fida, lobis oblongis linearibusve; floralia, seu bracteæ, linearia integra; bracteolæ lineares oppositæ in medio pedicelli; flores parvi pallidè violacei extùs pubescentes paucissimi; calcar subulatum rectum.

8. Delphinium tenuissimum.

D. caule erecto gracili subramoso, apice subpubescente, pedicellis bracteâ subulatâ multò longioribus.

D. tenuissimum. *Sibth! fl. græc. t.* 505. *prod.* 1. *p.* 370.

Hab. in Græciâ, ad montem Himetum *h. Banks*, circa Athenas (prod.). *Sibthorp.* ⊙. (v. s. sp. in h. Banks).

Herba tenuis gracilis vix palmaris, glabra apice subpubescens in specimine montis Himeti. à cl. Sibthorp ad ill. Banks misso, pubescens subpilosa in icone Sibthorpianâ ineditâ quam cl. Smith mihi patefecit. Cotyledones ovales longè petiolatæ; folia multipartita, lobis trifidis, lobulis integris, inferiora longè petiolata lobulis obtusis, superiora sessilia lobis elongatis acutis; pedicelli longi; bracteæ subulatæ minimæ; bracteolæ 2 minimæ sæpiùs secus pedicellum alternæ; flores parvuli cæruleo-violacei; calcar rectum sepalis paulò longius; sepala oblonga; ovarium 1 ovatum stylo recto acuminatum (h. B.); capsula glabra (ex ic.).

9. Delphinium Aconiti.

D. caule erecto ramosissimo subpubescente, foliis pedato-multifidis, pedicellis longissimis, calcare apice incurvo horizontali supernè fisso.

D. Orientale annuum flore singulari. *Tourn. cor.* 30.

D. aconiti. *Lin! mant.* 77. * *Houtt. pfl. syst.* 7. *p.* 251. *Vahl! symb.* 1. *p.* 40. *t.* 13. * *Lam. dict.* 2. *p.* 263. *Willd. sp.* 2. *p.* 1227. *Ait. hort. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 319.

Aconitum monogynum. *Forsk. cat. pl. const. p.* 27. *n.* 248. *ex Vahl.*

Hab. in Dardanellis *Forskahl.*, circa Damascum *Labillardière.* ⊙. fl. jun-jul. (v. s. sp.).

Statura ferè D. consolidæ; caulis pedalis rigidus paniculatus ramosus canescens pubescens interdùm glaber; folia rara pedato-multifida pubescentia, lobis lobulisque linearibus; summæ seu bracteæ trilobæ, lobis acutissimis; pedicelli longissimi; bracteolæ 2 minimæ alternæ; flores lividi intùs purpurascentes viridique varii; calcar horizontale, apice incurvum, supernè fissum hians! Petala coalita; calcar internum supernè rimosum; capsula 1 glabra.

10. Delphinium exsertum.

D. caule erecto ramoso glabro, foliis trisectis, segmentis

petiolulatis palmato-multifidis, pedicellis bracteis vix longioribus, calcare recto, staminibus exsertis.

Hab. in Oriente. *Labillardière.* ⓘ (v. s. sp. in h. Desf.).

Radix exilis simplex; caulis glaber erectus ramosus palmaris teres gracilis; folia inferiora petiolo trifido trisecta, segmentis longè petiolulatis palmato-multifidis, lobis longiusculis linearibus subincisis; floralia infima sessilia multifida, summa linearia integra acuta; pedicelli bracteis vix longiores, patentes, supra bracteolas pubescentes, infernè glabri; bracteolæ 2 oppositæ paulò supra medium sitæ; flos parvus præ magnitudine plantæ; calyx pubescens; calcar rectum sepalorum longitudinis; petala coalita apice obtusissima; stamina exserta ad latus floris inferius.

11. Delphinium flavum.

D. caule erecto ramoso supernè pubescente, foliis palmato-multipartitis, pedicellis distantibus floris longitudine, calcare recto patente, staminibus subexsertis, capsulâ cylindraceâ pubescente.

α. *Velutinum*, totum pubescens, bracteolis in medio pedicelli.

β. *Glaucum*, infernè glabrum, bracteolis ad basin pedicelli.

Hab. in Oriente, verosimiliter in Archipelago. *Olivier.* ⓘ (v. s. sp. in h. Oliv.).

Radix exilis simplex albicans; herba pubescenti-velutina in parte inferiore subglabra; caulis erectus palmaris ramosus; folia inferiora petiolata, palmatim multipartita, lobis linearibus acutis; superiora floraliave oblonga acuta interdùm triloba; racemi plurimi divergentes; flores distantes pedicelli longitudine, D. aconiti aut D. exserti floribus similes, sed flavi! quâ notâ ab omnibus huc usque notis Delphiniis distinguitur hæc species; calyx pubescens; calcar rectum patens à reliquis sepalis distans. Petala coalita obtusa; stam. subexserta, filamentis villosis. Capsula cylindracea pubescens, stylo persistente recto aristata, 4-5 lin. longa. — An duæ varietates ut species habendæ?

Var. α folia omnia pubescentia subviscida vix glaucescentia submollia; caules magis villosi; rami divergentes; pedicelli bracteolas oppositas alternas circiter in medio longitudinis gerentes.

Var. β folia inferiora ferè glabra, omnia glauca subcoriacea, minimè viscida, in lobos magis elongatos et acutiores partita; rami minùs divergentes; pedicelli bracteolas prope basim insertas gerentes.

Sect. II. DELPHINELLUM.

Car. Ovaria 3. Calcar elongatum, internum dipetalum; Petala 4 libera, 2 inferiora stipitata limbo obtuso aut vix emarginato intùs glabro. Bracteæ 1 sub pediculo, 2 secus pediculum prope florem; Radices annuæ.

12. Delphinium ambiguum.

D. caule erecto subvelutino, foliis 3-5-partitis, partitionibus

pinnatifidis, racemis laxis, calcare recto pubescente calyce breviore, ovariis villosis.

D. ambiguum. *Lin! sp.* 749. * *Hoult. pfl. syst.* 7. *p.* 252. *Lam. dict.* 2. *p.* 264. *Desf. fl. atl.* 1. *p.* 427. *Willd. sp.* 2. *p.* 1227. *Ait. h. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 319. *non Mill. nec Lois.*

Hab. in Mauritaniâ *Lin.* ⊙ (v. s. sp. in h. Lin. nunc Smith.).

Caulis teres tenuissimè velutinus subramosus; folia inferiora petiolata, superiora sessilia 3-5-partita, partitionibus pinnatifidis, lobis linearibus acutis non serratis; racemi terminales floribus distantibus; folia floralia inferiora palmati-partita, superiora linearia acuta pedicellis breviora; bracteolæ 2 mediò pedicelli insertæ parvæ; flores ferè D. consolidæ cærulei extùs pubescentes; calcar rectum pubescens calyce brevius; sepala ovata; stamina pauca; ovaria 3 villosa staminibus breviora. Affinis D. cardiopetalo sed differt racemo laxo nec conferto, calcare pubescente nec glabro, calyce breviore nec longiore. — Alterum exemplar sub eodem nomine in herb. Linnæano servatur, sed speciei mihi non satis notæ et à D. ambiguo diversæ pertinet.

13. Delphinium cardiopetalum.

D. caule erecto subramoso, foliis glabris membranaceis trisectis, segmentis multifidis, lobis linearibus, rameis bracteisque inferioribus multifidis, racemis confertis, petalis stipitatis, limbo orbiculato basi cordato.

Consolida regalis latifolia parvo flore. *C. Bauh. prod.* 74. *ic. pin.* 142. *Math. comm.* 557. *ic. Moris. hist.* 3. *p.* 466. *s.* 12. *t.* 4. *f.* 3.

Consolida regalis peregrina parvo flore. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 212. *f.* 2. *Chab. sciag.* 380. *f.* 2.

D. latifolium parvo flore. *Tourn. inst.* 426.

D. peregrinum. *Lam! dict.* 2. *p.* 264. * *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 914. (*excl. var.* β. *et All. syn.*) *v.* 5. *p.* 641. *non Lin.*

Hab. in Pyrenæorum vallibus in agris et forsan alibi in Galliâ et Hispaniâ. ① fl. æst. (v. v. sp.).

Omnes hujus sectionis species olim sub nomine D. peregrini confusæ, adhuc dubiæ sunt præsertim quoad autorum synonyma et ideò habitationum indicationes; hæc interea ab omnibus distinguitur superficie totâ glabrâ, foliorum consistentiâ tenui membranaceâ nec rigidâ, foliis rameis et floralibus saltem inferioribus multifidis nec omnibus integris, floribus intensiùs cæruleo-violaceis in racemum confertum dispositis, petalorum 2 inferiorum limbo orbiculato basi cordato, calcaribus ascendentibus, capsulisque glabris. — Synonyma Bauhinorum æquo ferè jure ad D. junceum sunt referenda?

14. Delphinium gracile.

D. caule erecto subramoso, foliis subglabris rigidulis trisectis multifidis, lobis linearibus, rameis bracteisque linearibus, racemis laxis, petalis stipitatis limbo ovato basi cordato.

α. *Glabrum*, caule foliisque glabris.

β. *Velutinum*, caule foliisque velutino-pubescentibus.

Hab. in Hispaniâ, α in Andalusiâ *Lagasca*. β. circa Aranjuez. *Pourret*. Ⓘ (v. s. sp.)

Caracteres ferè prioris, habitus sequentis. Species adhuc ambigua. Radix exilis; caulis gracilis teres parcè ramosus; folia rigidula, caulina petiolata trisecta, segmentis in lobos lineares acutos multifidis; ramea et floralia linearia acuta integra; racemi laxi 4-8-flori erecti; flores pallidè cærulei albo-variegati; calcar ascendens; petala 2 inferiora stipite brevi, limbo ovato basi cordato margine cæruleo medio fascia albo virescente notato. Var. β est ex omni parte subvelutina et foliorum lobis paulò latioribus donata.

15. Delphinium junceum.

D. caule erecto ramosissimo, foliis glabris rigidis, inferioribus multifidis, rameis bracteisque linearibus integris, racemis laxis, petalis stipitatis limbo elliptico.

Δελφινιον. *Diosc. ex Sibth. prod.* 1. *p.* 371.

Consolida regalis montana dilutè flore cæruleo. *Cup. panphyt. sic.* 1. *t.* 118?

D. Dioscoridis. *Pluk. alm.* 130.

D. flore minore obsoletè cæruleo folio latiore. *Ray. syn. ext.* 115.

D. Græcum foliis inferioribus fumariam superioribus linariæ referentibus. *Tourn. cor.* 30? *Pict. hort. Par. n.* 31?

D. nectariis diphyllis corollis enneapetalis capsulis ternis foliis multipartitis obtusis. *Lin. h. cliff.* 213.

D. nectariis diphyllis, floribus solitariis foliis multipartitis foliolis linearibus acuminatis. *All. nic. p.* 200. * *misc. taur.* 2. *p.* 71. * 5. *p.* 89.

D. peregrinum. *Lin! sp.* 749. *Mill. dict. n.* 4. *All! ped. n.* 1508. *t.* 25. *f.* 3. *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 427. *Willd. sp.* 2. *p.* 1228. *Biv. sic. p.* 83. *n.* 28? *Sibt. fl. græc. t.* 506.

D. peregrinum var. β. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 914.

D. junceum. *DC! fl. fr. v.* 5. *p.* 641.

β. *Subvelutinum*, caule foliisque velutino-subpubescentibus.

Hab. in asperis apricis et agris Italiæ prope Nicæam (*All.*), Siciliæ (Cup. Biv.); Barbariæ prope Sfax *Desf.*, Græciæ et Archipelagi *Sibth.*, Apri et Palæstinæ (Clark.), β. montis Libani *Labill.* Ⓘ (v. s. sp. et v. c.).

Radix dura vix ramosa; caulis erectus strictus semi-pedalis pedalisve, ramosus, ramis longis filiformibus, folia coriacea glabra aut in var. β vix ac ne vix velutino-pubescentia, caulina conferta petiolata irregulariter secta partitave in lobos lineares obtusiusculos, aut acutos; ramea et floralia remota integra linearia acuta; flores laxè racemosi distantes calycibus cæruleo-violaceis, petalisque superioribus albis varii; calcar rectum calyce triplò longius; petala 2 inferiora stipitata, limbo elliptico aut obovato; capsulæ glabræ.

Synonymon Linnæanum huc ex herbario suo pertinet, sed plura sunt in ejus synonymiâ et descriptione huic et D. cardiopetalo communia, undè pro neutrâ specie nomen peregrini inter plures promiscuè confusum et sensu nullo donatum servavi.

16. Delphinium nanum.

D. caule suberecto nano foliisque velutino-pubescentibus, inferioribus 3-5-lobatis, superioribus linearibus, racemis laxis 2-3-floris, petalis inferioribus limbo orbiculato.

D. grandiflorum. *Forsk. fl. æg. ar.* 212? *non Lin.*
D. peregrinum. *Delile! ill. fl. æg.* 17. *non Lin.*
Hab. in arenis deserti circa Alexandriam *Delile*, ad Ficuum promontorium *Nectoux*, ad Dardanellas (Forsk.)? Ⓘ (v. s. sp.).
Affine var. β D. juncei, sed meo sensu distinguendum. Radix filiformis gracilis; herba tota (capsulis solis exceptis) villo brevissimo canescens velutina; caulis digiti longitudine nunc variùs simplex erectus, nunc à basi multiplex subdiffusus; folia subcoriacea, inferiora cuneiformia 3-5-loba, lobis obtusiusculis, superiora integra linearia acuta; flores paucissimi (1-3) præ magnitudine plantulæ magni, ad apices ramorum subracemosi cæruleo-violacei; calcar rectum 8 lin. longum; sepala orbicularia margine glabra; petala albida superiora limbo rotundata, inferiora stipite filiformi sepalis longiore, limbo ferè orbiculato; capsulæ 3 maturæ glabræ.

17. Delphinium halteratum.

D. caule erecto ramoso, foliis glabris multipartitis, floralibus inferioribus trifidis, summis integris, racemis laxis, petalis patentibus, inferioribus stipitatis limbo orbiculato.

D. halteratum. *Sibth. fl. græc. t.* 507. *prod.* 1. *p.* 371.
Hab. in Siciliâ et forsan in monte Atho (Sibt.) Ⓘ.
D. junceo nimis affine; ex omni parte glabrum; caulis erectus ramosus; folia conferta multipartita, lobis multifidis, lobulis linearibus latiusculis; floralia inferiora tri aut multifida, superiora vix integra; pedicelli bracteis breviores aut æquales; flores cæruleo-purpurei; calcar rectum ascendens pubescens calyce longius; petala longè patentia, 2 inferiora stipitata limbo orbiculato; ovaria 3 glabra. (Descr. ex ic. Sibth.)—An ad hanc speciem referenda sunt synonyma Cupanii et Bivonæ ad D. junceum adhucdùm relata.

18. Delphinium virgatum.

D. caule erecto à basi ramoso, foliis glabris, inferioribus trifidis, lobis tridentatis, rameis floralibusque integris acutis, racemis laxis, petalis inferioribus stipitatis limbo ovato.

D. virgatum. *Poir! supl.* 2. *p.* 458.*
Hab. in Syriâ. *Labillardière.* Ⓘ (v. s. sp. in h. Desf.).
Radix dura albida subramosa; herba glaberrima pallidè viridis subglauca; caulis erectus à basi ramosus circiter pedalis; rami pauci elongati teretes; folia coriacea, inferiora ovalia cuneata apice dilatata trifida, lobis apice grossè tridentatis; media oblonga apice tridentata; ramea lanceolata

acutissima integerrima pauca parva ; floralia sublinearia ; flores distantes in racemum virgatum dispositi ; pedicelli bracteæ longitudine strictè erecti ; flores purpuro-cærulei ; calcar rectum horizontale flore ipso longius ; sepala ovali-oblonga basi attenuata apice callosa subacuta ; petala 2 inferiora longè unguiculata limbo minimo ovato, 2 superiora apice emarginata, lobulo alio obtuso, altero sublineari.

19. Delphinium macropetalum.

D. caule erecto ramosissimo, foliis glabris membranaceis, inferioribus palmato-multifidis, summis linearibus acutissimis, racemis laxis, petalis inferioribus stipitatis limbo ovato.

Hab. in Africâ boreali circa Mogador. *Broussonet.* Ⓘ (v. s. sp.).

Radix vix ramosa ; caulis erectus 1-2-pedalis, in ramos erectos longos numerosos divisus, pube tenuissimâ vix sub lente videndâ subvelutinus ; folia tenuia glabra, inferiora petiolata lata palmato-partita, partitionibus irregulariter palmato-incisis, lobis inciso-dentatis acutiusculis ; mediâ minùs incisa, sæpiùs tripartita, lobis integris ; summa linearia ; racemi laxi 5-8 flori ; pedicelli bracteis longiores ; flores cæruleo-violacei ; sepala oblonga acuta dorso medio pubescentia ; calcar rectum 7-8 lin. longum ; petala 2 superiora intra calcar producta supernè biloba, lobo alio brevi obtuso, altero longiore ovato subemarginato ; 2 inferiora 7 lin. longa, sepala superantia, unguiculata, limbo magno elliptico ; ovaria 3 glabra.

20. Delphinium obcordatum. †

D. caule erecto ramoso, foliis glabris, caulinis trilobatis, lobis subbifidis, rameis floralibusque integris acutis, racemis laxis, petalis inferioribus stipitatis limbo obcordato.

Hab. in Barbariâ. *P. Durand.* Ⓘ (v. s. sp. in h. Bouch.).

Mancum et incompletum specimen vidi, sed adeò petalorum inferiorum formâ distinctum ut præterire noluerim. Planta glabra ; caulis ramosus tortuosus ; folia inferiora non vidi ; caulina profundè trilobata, lobis oblongis acutis, lateralibus bifidis ; ramealia oblonga linearia integerrima acuta ; flores distantes cærulei ; calcar rectum sepalis duplò longius ; petala superiora supernè biloba, lobo antico brevi obtuso, postico longo apice emarginato ; inferiora stipitata, ungue filiformi calycis ferè longitudine, limbo ferè obcordato, nempè apice emarginato, basi orbiculato.

21. Delphinium tribracteolatum.

D. caule erecto ramoso, foliis inferioribus palmato-lobatis, racemis laxis, pedicellis bracteolas 3 gerentibus, petalis inferioribus stipitatis limbo orbiculato basi cordato.

Hab. in Barbariâ *P. Durand.* Ⓘ (v. s. sp. in h. Bouchet.).

Specimen incompletum, sed distinctum ante oculos habeo. Planta glabra; folia breviter petiolata ferè cuneiformia apice irregulariter in lobos inæquales lineares acutos fissa; bracteæ sub pedicellis nullæ; bracteolæ secus pedicellum 3, una inferior, 2 superiores oppositæ; flores cærulei mediocres; calcar rectum 4 lin. longum; sepala oblonga obtusa; petalorum superiorum calcaria libera, limbi obliqui integri, calyce longiores; inferiorum ungues filiformes, limbi orbiculati basi cordati.

Sect. III. DELPHINASTRUM.

Car. Ovaria 3 interdùm 5. Calcar elongatum, interius dipetalum; Petala 4 libera, 2 inferiora stipitata, limbo intus barbato in unicâ specie integro, sæpissimè bifido. Bracteæ 1 sub pedicello, 2 secus pedicellum sæpissimè oppositæ flori contiguæ. — Radices perennes.

§. I. *Petalorum inferiorum limbo integro.*

22. Delphinium grandiflorum.

D. foliis palmatìm multipartitis, lobis linearibus distantibus, pedicellis bracteâ longioribus, petalis calyce brevioribus, 2 inferioribus limbo obliquè inflexo ovato integro.

D. elatius subincanum perenne floribus amplis azureis. *Amm. ruth.* 175.
D. Lusitanicum glabrum aconiti folio. *Rolof. ind. h. craus.* 61. *t.* 3. (*ex Lin.*) *non Tourn.*
D. foliis tenuiùs divisis. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 187. *t.* 78.
D. nectariis diphyllis labellis integris floribus subsolitariis foliis compositis lineari-multipartitis. *Lin. h. ups.* 150. * *Mill. ic. t.* 250. *f.* 1. *opt.*
D. grandiflorum. *Lin! sp. ed.* 1. *p.* 531. *ed.* 2. *p.* 749. (*excl. Mill. syn.*) *Mill. dict. n.* 6. *Lam! dict.* 2. *p.* 264. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1228. (*excl. secundo Mill. syn.*). *Sims. bot. mag. t.* 1686.

β. Chinense. *Fischer. in litt.*

Hab. in Sibiriâ *Gmel.*, prope Volgam *Pallas*, in Daouriâ circa Oulcapin, et in desertis Bouretarum *Patrin.* ♃. fl. jun. jul. (v. s. sp. et v. c.)

Species ab omnibus ferè Delphiniis perennibus petalis integris nec bifidis distinctissima. Radix nigricans; caulis erectus; folia petiolata trisecta, segmentis tripartitis, lobis multifidis, lobulis linearibus angustis; pedicelli longi interdùm 1-2-pollicares; flores cærulei magni; sepala ovalia, 8 lin. longa, dorso medio pubescentia; petala calyce multò breviora, 2 superiora alba limbo oblongo acuto integro, 2 inferiora ungue filiformi recto, limbo ovato falcatìm ad floris latus inferius deflexo, basi pilis flavis barbato; ovaria 3 rariùs 4 erecta, adpressè pubescentia. — Variat, 1°. foliis floralibus inferioribus sæpiùs multifidis, interdùm linearibus integris; 2°. racemis paucifloris laxissimis aut multifloris confertioribus; 3°. pedicellis à 6 ad 24 lin. longis; 4°. bracteolis alternis oppositisve à flore distantibus aut huic contiguis; 5°. floribus sæpiùs cæruleis, interdùm

(in speciminibus ex iisdem seminibus ortis) lilacinis subroseis imò albidis. — An duæ species hic confusæ? — Cl. Fischer à D. grandifloro distinguit D. Chinense caule rectiore rigido florescentiaque seriori insignitum, sed mihi non satis notum.

23. Delphinium cheilanthum.

D. caule erecto ramoso, foliis 5-partitis, lobis oblongis acuminatis subtrifidis subdentatis, petalis calyce brevioribus, 2 inferioribus limbo obliquè inflexo ovato integro, capsulis reticulatìm pictis pubescentibus.

D. foliis hirsutis. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 187. *t.* 76. *ex Fisch.*
D. cheilanthum. *Fischer in litt.*
Hab. in Daouriâ circa Doroninsk. *Vlassof.* ♃ (v. s. fruct.).
Hujus tantùm vidi capsulam siccam et iconem floris foliique quas cl. Fischer amicissimè mecum communicavit; ex his paucis species distinctissima! omnium longè pulcherrima! Folia hirsuta (Gmel.), superiora breviter petiolata 5-partita, lobis oblongis subtrinerviis apice trifidis acuminatis lateralibus subbifidis; flores D. grandiflori magnitudine; calycis sepala ovalia apice calloso submucronato; calcar rectum sepalis æquale; petala 2 superiora ut in D. grandifloro, inferiora breviter stipitata, ad apicem stipitis inflexa, limbo ovato obtusissimo margine prope basim ciliato in medio disci barbato (Fisch.). Capsulæ 3 pubescentes, membranaceæ, subinflatæ, ad dorsùm venis nigricantibus anastomosantibus pulchrè reticulatæ.

§. II. *Petalorum inferiorum limbo bifido.* (1)

24. Delphinium puniceum.

D. petiolis basi dilatato-vaginantibus, foliis in lobos lineares ad basim usque multipartitis, racemo elongato, calcare recto obtuso pedicello sublongiore flore breviore.

D. puniceum. *Pall! voy.* 8. *p.* 327. *n.* 336. *Lin. f. suppl.* 267. * *Lam. dict.* 2. *p.* 265. *Willd. sp.* 2. *p.* 1230. * *Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 13. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 321.

β. *Damæcornu*, segmentis petiolulatis, lobis lanceolatis divergentibus.

D. perenne, etc. *Gmel. sib.* 4. *t.* 77?
Hab. in aridissimis deserti Tatarici circa Volgam australem, præsertìm in convallibus ad salinas Tschaptschatschi. *Pall.*, ad Caucasum (Bieb.) ♃ (v. s. sp.).
Herba tota pube tenui adpressa obtecta; caulis strictè erectus teres simplex aut ramulo 1-2 vix donatus pedalis; petioli basi dilatati vaginantes; folia ferè peltata, ad petiolum usque 5-partita, partitionibus sessilibus multifidis, lobis angustis linearibus margine integris subrevolutis; race-

(1) Omnes ferè hujus sectionis species sub nomine D. elati *Lin. sp.* 749. *hort. ups.* 151. coacervatæ sunt, undè pro nullâ admisi nec nomen nec synonyma.

mus erectus cylindraceus confertus; bracteæ lineari-subulatæ, pedicello (etiam inferiores) breviores; flores atro-purpurei, extùs adpressè pubescentes; calcar rectum obtusum, floris longitudine, pedicello longius; petala atro-purpurea, 2 superiora deorsùm calcarata supernè hinc obtusè producta, illinc acutè bidentata; 2 inferiora sepalis vix ac ne vix longiora, ungue pallido lâtiusculo, limbo unguis longitudine ultra medium bifido, lobis oblongis acutis vix inæqualibus, intùs pilos albos longos copiosè gerentibus; ovaria 3 adpressè pubescentia.

Var. β. videtur ex priore à culturâ orta? plurima tamen specimina in herbariis diversis vidi inter se simillima et à D. puniceo primâ fronte distinctissima. — Caules è radice nonnulli subdecumbentes seu vix erecti teretes supernè pubescentes; petioli basi vaginantes apice in petiolulos 3 teretes divisi; segmenta 3 ideò petiolulata etiam in foliis superioribus, trifida, lobis lanceolatis acuminatis planis divergentibus subtrifidis subpinnatifidisve, vix ac ne vix in nervis subpilosis, cæterùm glabris; racemi elongati cylindracei; flores multò magis quàm in D. puniceo distantes, cæterùm simillimi et colore et magnitudine et formâ; bracteæ inferiores lineari-subulatæ sæpiùs pedicello longiores. (Descr. ex spec. sicco et ex descr. ined. l'Herit. ad vivum facta).

25. Delphinium albiflorum.

D. petiolis basi dilatato-vaginantibus, foliis multipartitis, lobis linearibus, racemo elongato conferto, bracteis membranaceis lato-lanceolatis, calcare recto obtuso pedicello sublongiore.

D. Orientale perenne aconiti folio flore albo. *Tourn! cor.* 30.
Hab. in Armeniâ. *Tournefort.* ♃. (v. s. sp. in h. Mus. Par.).
Affine D. puniceo; caulis teres tenuissimè apice subvelutinus; folia petiolata multipartita lobis linearibus acutis, margine vix ac ne vix revolutis, 1-2 lin. latis; racemi terminales conferti elongati; pedicelli 1-flori velutini erecti flore breviores; bracteæ membranaceæ albæ lato-lanceolatæ acuminatæ, pedicello longiores; bracteolæ 2 sub flore membranaceæ; flores D. puniceo similes, sed albi extùs glabri; petalorum inferiorum limbi bifidi lobis vix acutis.

26. Delphinium ochroleucum. †

D. petiolis basi dilatato-vaginantibus, foliis multipartitis, laciniis lineari-subulatis, racemo brevi, floribus (albis) extùs pubescentibus, calcare flore longiore acuto, capsulis glabris.

D. ochroleucum. *Stev. diss. ined.*
D. puniceum var. *Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 13.
Hab. in Iberiâ. ♃.

27. Delphinium hybridum.

D. petiolis basi dilatato-vaginantibus, foliis multipartitis,

lobis linearibus, racemo conferto, calcare recto flore longiore.

D. hybridum. *Willd. sp.* 2. *p.* 1229. * *Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 13.* *Stev. diss. ined. non Gouan nec herb. Lin.*

D. hirsutum. *Pers. ench.* 2. *p.* 82. *non Roth. nec Mœnch.*

β. D. fissum. *Waldst. et Kit. pl. rar. hung.* 1. *p.* 83. *t.* 81. *

γ. D. montanum Italicum subhirsutum foliis tenuiter dissectis flore violaceo. *Mich. pl. ital. n.* 53. *ic. herb. Vaill.*

δ. D. Orientale perenne aconiti folio flore cæruleo. *Tourn! cor.* 30.

Hab. α. in Taurià et Caucaso (Bieb.), in Sibiriâ (Willd.), β. in loco lapidoso inter frutices montis Donuglet Hungariæ prope Valachiam. (Kit.). γ. in Italiâ *herb. Vaill.* δ. in montibus Galloprovinciæ *herb. Juss.* in Armeniâ *Tourn.* ♃. (v. s. sp. et c.).

Herba infernè glabra supernè pube tenui molli omninò ut in D. pentagyno velutina; caulis teres erectus striatus; petioli basi dilatato-vaginantes, medii basi glabrati; limbi foliorum omninò ut in D. puniceo, subpeltati ad petiolum usque 5-partiti, partitionibus in lobos lineares multifidis, sed villosi subtùs pallidè hirsuti; racemus brevis confertus velutinus; bracteæ lineari-subulatæ pedicello sæpiùs breviores, inferiores tamen interdùm longiores; flores cærulei; calcar rectum pedicello floreve longius; sepala ovali-oblonga margine glabra dorso fasciâ velutinâ instructa; petala calycis longitudine, 2 superiora deorsùm calcarata supernè apice bidentata, 2 inferiora unguiculata, limbo ungue breviori ovato intùs pilis albis barbato bifido, lobis inæqualibus, alio obtuso, altero acuto interdùm bidentato; capsulæ 3 hirsutæ.

Var. β. differt petalorum inferiorum lobis angustioribus longioribus, racemo magis elongato, floribus intensiùs cæruleis; in speciminibus cultis foliorum lobi latiores ferè lanceolati, interdùm etiam omninò glabri et petiolulati evadunt.

Var. δ. habet folia in lobos lineares multipartita, et racemum abbreviatum; cæterùm herba omninò glabra etiam in calyce et ovariis; verosimiliter species distincta? Plurimæ sine dubio hìc latent species confusæ quas ob descriptiones incompletas et specimina interdùm manca aut pauciora adhuc separare nolui. Synonyma veterum autorum sequentia, nempè:

Lycoctonum flore Delphinii. *Dod. pempt.* 441. *f.* 2. *Clus. hist.* 2. *p.* 95. *f.* 1. *Debry. floril. nov. t.* 101.

Aconitum lycoctonum flore Delphinii. *Lob. ic.* 678. *f.* 1. *J. Ger. herb.* 971. *f.* 2. *Dalech. lugd.* 1742. *f.* 3. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 659. *f.* 1. *Moris. hist.* 3. *p.* 464. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 19.

Æquo jure ad D. puniceum, aut D. hybridum referri possunt quoad foliorum formam et divisionem, habitum plantæ et florescentiam, sed ab utroque icones bracteolis pedicello floreque ipsi longioribus nec brevissimis differunt et ideò dubia remanent.

28. Delphinium pentagynum.

D. petiolis basi vix dilatatis, foliis inferioribus 5-lobis, lobis apice incisis subobtusis, superioribus 5-partitis in lobos lineares multifidis, petalis calyce brevioribus.

Aconitum flore cæruleo Lusitanicum. *Grisl. virid. lus.*

D. Lusitanicum glabrum aconiti folio. *Tourn! inst.* 426.

D. pentagynum. *Lam! dict.* 2. *p.* 264. * *Desf! fl. atl.* 1. *p.* 427. *t.* 111. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1231. *Pict. hort. Paris. v.* 38. *t.* 30.

Hab. inter segetes Algeriæ. *Desf.*, et in collibus cretaceis Lusitaniæ circa Olyssiponam et Conimbram *Brot;* Gibraltariæ *Brouss.* ♃. fl. jun-jul. (v. s. sp. et v. c.).

Radix nigricans fibris cylindricis tenuibus è trunco crassiusculo fasciculatis; herba basi glabra, apice villis mollibus brevibus confertis velutina; caulis erectus 1-2-pedalis ramosus; petioli vix ac ne vix basi dilatati, foliorum inferiorum limbi orbiculati ultra medium 3-5-fidi, lobis oblongis apice 3-5-fidis obtusiusculis; superiorum limbi ad petiolum usque 5-partiti multifidi, lobis linearibus acutis; summa linearia integra; racemus laxus; flores cærulei ampli; calcar rectum pedicello subbrevius flore ipso ferè longius; petala 2 inferiora unguiculata, limbo ovato intùs barbato bifido; ovaria villosa sæpè quina.—Variat herba, 1°. nunc tota velutina, nunc basi glabra apice velutina, nunc pube minimâ adpressâ subpubescente, 2°. floribus cæruleis violaceisve; 3°. ovariis 3-6 sæpiùs 4-5; 4°. floribus omnibus (teste cl. Brotero) in bracteas cærulescentes mutatis.

29. Delphinium Menziesii.

D. petiolis basi vix dilatatis, foliis 5-partitis lobis trifidis linearibus integris, bracteis trifidis, radice grumosâ.

Hab. in Novâ-Georgiâ. *Menzies.* ♃. (v. s. sp. in h. Banks.)

Valdè simile D. pentagyno, sed certò distinctum ob radicem non fibrillosam sed grumosam, tuberibus nempè plurimis obovatis obtusis, fibrillis ramosis tenuissimis intermixtis; caulis erectus palmaris simplex oculo armato pubescens; folia pubescentia subvillosa palmatipartita lobis linearibus integris trifidisve angustis subacutis; racemus terminalis 5-6-florus; pedicelli bracteis longiores; bracteæ trifidæ; bracteolæ lineares integræ paulò infra florem; flores cæruleo-violacei magnitudine D. grandiflori extùs pubescentes; calcar rectum; sepala ovalia mucronata; petala superiora albida; inferiora purpurea unguiculata limbo ovato lato bifido intùs villis sparsis paucis piloso; ovaria 3 oblonga villosa subtomentosa.

30. Delphinium elegans.

D. petiolis basi vix dilatatis, foliis glabris 5-partitis, lobis 3-5-fidis, lobulis lanceolato-linearibus acutis, racemo laxo pauciflоro, petalis calyce brevioribus, calcare curvo sepalis breviore.

Hab. verosimiliter in Americâ boreali. ♃. (v. s. c. in h. Delile ex hort. Elgin. prope Noveboracum).

Habitus ferè D. grandiflori sed structurâ floris diversum; ex omni parte glabrum; caulis teres ramosus; folia longè petiolata 5-partita, partionibus 3-5-fidis, lobis lobulisque lanceolato-linearibus integris divaricatis; superiora tripartita, lobis linearibus integris; bracteæ lineari-subulatæ integerrimæ pedicellis multò breviores; panicula laxa pauciflora; pedicelli longi, nunc nudi, nunc infra medium bracteolas duas alternas subu-

latas gerentes; flores pulchri cærulei paulò minores quàm in D. grandiflorо; calycis sepala ovali-oblonga subacuminata ad apicem subcrispula; calcar curvum rugosulum sepalis dimidio brevius; petala inferiora parva longè stipitata tenuia sepalis dimidio breviora, limbo ovali basi attenuato apice bifido intùs paululùm barbato; ovaria 8 glaberrima. Variat flore pleno et tunc in hortis ornamenti causâ recipitur.

31. Delphinium tricorne.

D. petiolis basi vix dilatatis basi glabris, foliis 5-partitis, lobis 3-5-fidis, lobulis linearibus, petalis calyce breviоribus, capsulis à basi patulo-reflexis arcuatis.

D. tricorne. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 314. *Poir. supl.* 2. *p.* 458. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 371.

β. *Multiflorum*, majus pubescens, floribus 15-20 densè racemosis.

Hab. in altissimis montibus à Carolinâ *Michaux* ad Virginiam (Pursh); β in Louisianâ superiore *Nuttal.* ♃. (v. s. sp. α in h. Mus. Par. β in h. Lamb.) fl. apr. maio.

Radix subtuberosa; caulis teres glaber simplex 8 poll. longus; folia longè petiolata, petiolo basi glabro apice pubescente, limbo orbiculato 5-partito, lobis 3-5-fidis, lobulis linearibus acutis, superficie pubescente; flores ad apicem 3; bractea 1 parva tripartita sub pedicello inferiore; pedicelli alteri ebracteati floris ferè longitudine filiformes pubescentes; flores magni cærulei; sepala oblonga obtusa petalis longiora extùs subpubescentia; calcar rectum ascendens; petala 2 superiora deorsùm calcarata supernè parva glabra; 2 inferiora bifida, lobis valdè inæqualibus obtusis intùs pubescentibus. Capsulæ 3 divaricatæ subreflexæ ovales subcompressæ stylo acuminatæ.

Var. β differt superficie paulò magis pubescente, staturâ pedali, floribus 15-20 sat densè racemosis, inferiorum bracteis multifidis, superiorum linearibus subsetaceis.

32. Delphinium azureum.

D. petiolis basi vix dilatatis, foliis 3-5-partitis multifidis, lobis linearibus, racemo stricto, petalis omnibus apice barbatis, inferioribus villosissimis.

D. Carolinianum. *Walt. fl. car.* 155. *ex Pursh.*

D. azureum. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 314. *Poir. supl.* 2. *p.* 458. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 371.

Hab. ad sylvarum margines locis arenosis (Pursh) in Carolinâ et Georgiâ *Michaux*, ad Missouri et Mississipi ripas (Pursh). ♃. (v. s. sp. in h. Mus. Par.) fl. maio. jun.

Caulis strictus teres apice oculo armato pubescens; folia subglabra tripartita multifida lobis linearibus acutis; racemus erectus strictus basi subramosus; pedicelli pubescentes breviusculi; bracteæ bracteolæque subulatæ, inferior interdùm 3-fida; flores amænissimè azurei; sepala ovali-oblonga subacuta glabra dorso subpubescentia; petala superiora apice subbarbata; inferiora valdè hispida, bifida, lobis inæqualibus.

33. Delphinium exaltatum.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis planis ultra medium 3-fidis, lobis cuneiformibus apice trifidis acuminatis, lateralibus sæpè bilobis, racemo stricto, calcare recto longitudine calycis.

D. nectariis diphyllis labellis bifidis apice barbatis, foliis trilobis incisis, caule erecto. *Mill. ic. p.* 167. *t.* 250. *f.* 2?
D. exaltatum. *Ait. Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 244. *Willd. sp.* 2. *p.* 1230. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 371.
D. urceolatum var. *β. Poir. suppl.* 2. *p.* 457.
D. tridactylum. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 314. *Poir. supl.* 2. *p.* 458.
Hab. in montanis rupestribus umbrosis Virginiæ et Carolinæ. *Michx. Pursh.* ♃. fl. jul. (v. s. sp. in h. Mus. Par. et Rich.)
Caules erecti 2-3-pedales simpliciusculi glabri aut apice vix ac ne vix subvelutini; petioli longi tenues; folia glabriuscula inferiora sub-5-partita, superiora sub-3-partita, lobis basi cohærentibus divaricatis lanceolatis basi cuneatis apice acuminatis incisuris 3-5 acutis apice instructis; racemus strictus subsimplex; rachis subangulatus pedicellique cano-puberuli; bracteæ subulatæ minimæ sub pedicello; bracteolæ 2 à flore remotiusculæ; flores cærulei mediocres; sepala ovalia obtusa; calcar rectum horizontale calycis longitudine; petala superiora glabra apice integra; inferiora unguiculata bifida hispida lobis acutis; capsulæ 3 rectæ subpubescentes. Specimina hortensia differunt paniculâ ramosâ, caule subpurpurascente, foliisque glabris.

34. Delphinium urceolatum.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis concavis ultra medium trifidis, lobis cuneiformibus apice incisis acuminatis, racemo stricto, calcare recto calyce sublongiore.

D. urceolatum. *Jacq. coll.* 1. *p.* 153.* *ic. rar.* 1. *t.* 101. *Willd. sp.* 2. *p.* 1230. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 321.
Hab. verosimiliter in Americâ boreali. ♃. fl. jun. jul. (v. s. c. in h. Bosc.).
Varietas D. exaltati juxta cl. Pursh et Poiret; differre tamen videtur, 1°. caulibus supernè glabris basi pubescentibus; 2°. foliis à basi ipsâ concavo-urceolatis adeo ut campanulata ferè evadunt; 3°. floribus cæruleis suffuso rubore nec purè cæruleis; 4°. petiolis pedicellisque pilos raros sparsos patentes gerentibus; 5°. bracteis longioribus; 6°. calcare longiore; 7°. capsulis subvillosis ex ic. Jacq.

35. Delphinium revolutum.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis orbiculatis cordatis 5-fidis, lobis incisis acutis deflexis, pedicellis tribracteatis, ovariis glabris.

D. revolutum. *Desf! cat. h. Par. ed.* 2. *p.* 148.
Hab. . . . . ♃. (v. s. c. ex hort. Par. in h. Desf. et Delile.).

Herba speciosa erecta glabra; caulis teres, basi subpilosus, striatus, fistulosus, polline glauco conspersus; folia petiolata orbiculata basi cordata 5-nervia, 5-fida, lobis incisis acutis deflexis, supernè atro-viridia, subtùs pallida; racemus terminalis erectus major, alteri non nulli à basi majoris orti graciles breviores; pedicelli 6-8 lin. longi basi omninò nudi; bracteolæ 3 super pedicellum subulatæ aristatæ, 1 inferior supra medium sita, 2 sub ipso flore; flores pallidè cærulei pedicelli apice inflexo nutantes; calcar rectum aut apice subcurvum sursùm tendens; calycis sepala ovalia glaberrima; petala fusca calyce subbreviora, 2 sup. glabra apice vix bidentata, 2 inferiora stipitata limbo ovato bifido hispido; capsulæ 3 erectæ glabræ cylindraceæ apice stylo uncinatæ.

36. Delphinium palmatifidum.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis ciliatis basi subtruncatis 5-fidis, lobis apice incisis, superioribus 3-lobatis, lobis trifidis integris, nervis utrinque pilosiusculis, bracteolis capsulis calycibusque glabris.

α. *Hispidum*, caule pilis patentibus hispido, pedicellis subglabris.
D. caulibus hispidissimis, foliis rotundioribus. *Gmel. sib.* 4. *p.* 187. *t.* 79?
D. hispidum. *Stev. diss. ined?*

β. *Glabellum*, caule subglabro, pedicellis pilis patentibus hispidulis.
D. caulibus ferè glabris. *Gmel. sib.* 4. *t.* 75?

Hab. in Sibiriâ. *hortul.* ♃. fl. jun. jul. (v. v. c.)

Var. α. Caulis pilis patentibus rigidulis ad apicem usque hispidissimus erectus bipedalis; petioli teretes vix pilosi; folia inferiora 5-fida lobis oblongis apice incisis, incisuris 5-7 acutis mucrone calloso instructis, ciliata, et utrinque in nervis pilosa; superiora ultra medium triloba, lobis elongatis acutis nunc integris nunc trifidis, ciliata, in nervis utrinque vix pilosa; racemus subramosus; pedicelli strictè erecti glabri aut subpilosi; bracteæ subulatæ longæ pedicellis tamen breviores subhispidæ; bracteolæ subulatæ glabræ flori adpressæ; flores cærulei glabri; calcar rectum calyce longius; petala fusca 2 superiora glabra, 2 inferiora bifida hispida; ovaria 3 glabra.

Var. β major; caulis ferè omninò glaber; petioli vix pilos nonnullos gerentes; folia majora, paulò profundiùs fissa, lobis nempè magis elongatis, superiorum sæpiùs integris, aut trifidis, ciliata, in nervis præcipuè superioris paginæ pilosa; racemus magis ramosus; pedicelli ferè omnes hispidi; bracteæ nunc sub pedicello nunc secus eum insertæ linearisubulatæ pilosiusculæ; bracteolæ floresque var. α. similes. An à sequenti satis diversa? an Gmelini synonyma ad sequentem referenda?

37. Delphinium intermedium.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis cordatis 5-7-fidis, superioribus 3-lobis, omnium lobis inciso-serratis, pedicellis bracteolis calycibus ovariisque glabris.

D. intermedium. *Ait. Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 243. *Willd. sp.* 2. *p.* 1228.

α. *Pilosissimum*, caule pilosissimo, foliis villosis, nervis supernè pilosis, racemo ramoso.

D. foliis productioribus. *Gmel. sib. 4. p.* 167. *t.* 80?
D. elatum villosum. *Hort. Paris.*

ß. Alpinum, caule subglabro, foliis pubescentibus, racemo ramoso.
Aconitum lycoctonum flore delphinii 1 Silesiacum. *Clus. hist.* 2. *p.* 94 *f.* 2. *Cam. hort. med.* 5.
Aconitum cæruleum hirsutum flore consolidæ regalis. *C. Bauh. pin.* 183. *Moris. hist.* 3. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 20.
Aconitum lycoctonum cæruleum calcari magno. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 657. *f.* 2. *Chab. sciag.* 531. *f.* 4.
D. perenne montanum villosum aconiti folio. *Tourn. inst.* 426?
D. Alpinum. *Waldst. et Kit. pl. rar. hung.* 3. *p.* 273. *t.* 246.*
D. intermedium. *Wahlemb. carp. n.* 530.

γ. Leptostachyum, caule petiolisque glabris, foliis pubescentibus, racemo simplici brevi.
D. intermedium. *Lapeyr. abr. pyr.* 304?

δ. Ranunculifolium, caule glabro, petiolis pilosiusculis, foliis tenuibus pubescentibus, racemo simplici laxo.

ε. Laxum, caule foliisque glabris, lobis elongatis acutiùs incisis, racemo laxo ramoso.
D. nectariis diphyllis, etc. *Mill. ic. t.* 119?

Hab. in vallibus Alpinis Silesiæ (Clus), Hungariæ (Kit.), Helvetiæ (J. Bauh.), Pyrenæorum (Lapeyr.) ♃. fl. jun.-jul. (v. v. c.)
Differt à D. palmatifido foliis basi profundè cordatis; superioribus ultra medium fissis in lobos non tantùm apice trifidos sed per totam ferè longitudinem inciso-serratos; cæterùm habitu omninò varium et species forsan verè distinctas conjungens; in omnibus ut in specie præcendente foliorum lobuli dentesve mucrone calloso terminati. Synonymia hujus et omnium ferè Delphinastrorum à Linnæo sub nomine D. elati confusorum valdè incerta remanet; nostrum D. intermedium à D. elato differt bracteolis glabris nec villosis.

38. Delphinium cuneatum.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis basi cuneatis 5-7-lobatis, lobis incisis acutis, racemo laxo ramoso, bracteolis calycibusque glabris, capsulis subpubescentibus.

D. hybridum. *Herb. Lin.*
D. azureum. *Hort. paris. non Michx.*
D. elatum *ß. Lam. dict.* 2. *p.* 265.
D. cuneatum. *Stev. diss. ined.*
Hab. circa Saratof et ad Volgam inferiorem. (St.). ♃. (v. v. c.).
Planta elata 3-4-pedalis in hortis non rara; caulis erectus apice ramoso-paniculatus, folia petiolata, petiolo basi non dilatato, limbo basi cuneiformi attenuato irregulariter ultra medium 3-5-lobato, lobis oblongis acuminatis incisis fissisve; racemi longi laxi ramosi; bracteæ subulatæ tenuissimæ glabræ pedicellis breviores; bracteolæ glabræ flori adpressæ; calyces glabri pulchrè cærulei; calcar horizontale rectum calycis longitudine; petala fusca, 2 sup. glabra apice integra, 2 inf. bifida pilis flavis barbata; ovaria glabra aut pilis raris pubescentia. — Variat superficie omninò glabrâ et tenuissimè velutino-pubescente.

39. Delphinium dyctiocarpum.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis 3-7-lobatis, lobis oblongis acutis inciso-pinnatifidis, superioribus subtripartitis, lobis angustis subintegris, racemo laxo ramoso, bracteolis calycibusque glabris, capsulis reticulatis carinâ et margine ciliatis.

Hab. in Sibiriâ (hortul.). ♃. fl. jun.-jul. (v. v. c. in h. Monsp.)

Habitus D. elati aut cuneati, capsula ferè D. cheilanthi. Planta speciosa; caulis 3-4-pedalis erectus glaberrimus; petioli teretes apice subvillosi; limbi foliorum inferiorum subcordati ultra medium trifidi, lobo medio oblongo basi integro cæterùm pinnatifido, lobulis acutis, lateralibus palmatim 3-4-fidis, lobis basi subintegris apice inciso-pinnatifidis; folia superiora ferè tripartita, lobis angustis integris aut vix incisis acuminatis; racemus laxus ramosus; bracteæ inferiores trifidæ lobis setaceis, cæteræ integræ setaceo-subulatæ pedicellis breviores; pedicelli per anthesin apice inflexi, ad fructum erecti; bracteolæ setaceæ à flore remotiusculæ; flores pulchrè cærulei; calcar rectum rugosum horizontale calyce vix longius; petala fusca, 2 superiora glabra apice bidentata, 2 inferiora bifida pilis flavis hispida; capsulæ 3 erectæ ad dorsum venis cæruleo-nigris reticulatæ, angulo carinali et suturæ marginibus ciliolatæ cæterùm subglabræ. — Differt à D. cheilantho (Fisch.) petalis sup. bidentatis infer. bifidis nec omnibus integris, capsulisque minoribus ciliatis nec per superficiem totam pubentibus.

40. Delphinium laxiflorum.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis 3-7-lobatis, lobis oblongis acutis inciso-pinnatifidis, superioribus subtripartitis, lobis angustis subintegris, racemo laxo ramoso, bracteolis ovariisque pubescentibus.

Hab. in Sibiriâ (hortul.). ♃. fl. jun. jul. (v. v. c.)

Nimis affine D. dyctiocarpo, sed differt caule plus minùsve ad basin hispido nec glaberrimo, bracteolis ciliato-pubentibus nec glabris, capsulis per totam superficiem vix ac ne vix pubescentibus nec ad oras et carinam ciliatis, virescentibus nec reticulatìm pictis. An varietas aut hybrida proles? — Differt à D. cuneato foliis basi cordatis nec cuneatis, caule piloso et bracteolis pubescentibus; à D. montano racemo laxo ramoso, bracteis minoribus, sepalis ovalibus nec oblongis, caule patentìm piloso nec velutino.

41. Delphinium montanum.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis pubescentibus 5-lobatis, lobis basi cuneatis trifidis incisis, racemo simplici, bracteis calycibus capsulisque pubescentibus, calcare inflexo.

D. perenne montanum subhirsutum, etc. *Mich. h. flor.* 32?

D. hirsutum. *Roth. beit.* 88. *Abhand.* 12? *Mœnch. meth.* 309? *Savi bot.* 2. *p.* 124?

D. elatum. *All! ped. n.* 1504. *Lapeyr. abr. pyr.* 304. *excl. syn. plur.*

D. elatum var. α. *Lam! dict.* 2. *p.* 265.

D. intermedium. *Lois. not. p.* 86.

D. Pyrenaicum. *Pourr! ined.*

D. montanum. *DC! fl. fr. v.* 5. *p.* 641. *

β. *Bracteosum*, bracteis inferioribus flore longioribus, petalis 4 omnibus apice barbatis.

D. trisiliquum foliis semi-quinquelobis acutè serratis, petalis interioribus quaternis barbatis. *Hall. helv. n.* 1201. *

Hab. in vallibus excelsis montium ferè ad limites usque arborum, nempè in Pyrenæorum valle Eynes, in Alpibus Galloprovinciæ, Pedemontii *All.*, Helvetiæ (Hall.), in Apenninis (Sav)? ♃. fl. jul. (v. v. sp.)

Herba tota pube tenui molli velutina; caulis erectus crassus foliosus, desinens in racemum simplicem aut vix ac ne vix basi subramulosum; folia petiolata palmatìm 5-loba, lobis lobato-incisis dentatis acutis; bracteæ lineares pedicelli longitudine; bracteolæ sub flore lineares; flores cærulei pubescentes; calcar floris circiter longitudine, apice inflexum et sæpiùs abruptè geniculatum bifidumve; sepala oblonga; petala iis dimidio breviora fusca, 2 superiora glabra apice bidentata, 2 inferiora bifida barbata. Ovaria pubescentia ferè villosa, aut interdùm subglabra.

Var. β, quam in Alpibus Barcinonensibus collegit doct. Honorat, videtur prioris varietas luxurians; bracteæ oblongo-lineares pedicello longiores; petala superiora etiam apice barbata; ovaria sæpiùs 4-5; herba tota crassior et robustior.

Delphinium Orientale lato aconiti folio flore magno. *Tourn! cor.* 30. Ex herbario Tournefortii à nostrâ var. α præsertìm Pyrenaicâ non differre videtur.

Hæc species sæpè pro D. elato Linnæi à floristis Europæanis descripta, à descriptione Linnæanâ recedit caule pubescente nec glabro lævi, vix 2-pedali nec humanæ altitudinis; foliis pubescentibus nec glabris, et patriâ Europæanâ nec Sibiricâ.

42. Delphinium speciosum.

D. petiolis basi non dilatatis, foliis pubescentibus 5-lobatis lobis inciso-serratis, bracteis lanceolatis villoso-viscosis, calcare curvulo, capsulis glabris.

D. speciosum. *Marsh. Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 12. *

Hab. in regione Caucasicâ ad Alpem Kraischaur (Bieb.). ♃. fl. septemb.

Planta bipedalis; caulis villosus striatus; folia ferè Aconiti lycoctoni, pubescentia; racemi villoso-viscosi; flores omnium congenerum maximi, Aquilegiæ vulgaris ferè magnitudine; bracteæ villoso-viscosæ lanceolatæ ad basin pedicellorum; bracteolæ binæ sub flore; sepala valdè hirsuta cærulea; summi galea reflexo patula; calcar apice curvulum; petala atro-fusca, 2 sup. glabra obtusè bidentata; 2 infer. unguiculata bipartita, laciniis rotundato-ovatis inæqualibus, disco villis flavis, margine pilis albis; capsulæ glabræ. Huc referenda icon Gmel. fl. sib. 4. p. 187. t. 79. (Bieb.)

43. Delphinium flexuosum. †

D. petiolis basi non dilatatis, foliis 5-lobatis, lobis incisis, caule flexuoso petiolisque pilosiusculis, bracteis linearibus, capsulis glabris.

D. flexuosum. *Bieb. fl. cauc.* 2. *p.* 12. * *Stev. diss. ined.*
Hab. in Caucaso Iberico. (Bieb.). ♃.
Caules rubicundi pilis raris rectis albis cæterùm glabri; petioli pilis pluribus; folia D. speciosi, profundiùs incisa, laciniis acutioribus, venis eminentibus pilosis; flores cærulei minores quàm in D. specioso; bracteolæ lineares coloratæ flori adpressæ; petala atro-fusca, 2 superiora inæqualiter bidentata; 2 infer. barbata bifida, laciniis lanceolatis acutis. (Bieb.) Capsulæ glabræ (Stev.).

44. Delphinium triste. †

D. petiolis basi non dilatatis, foliis 3-5-partitis, lobis angustis inciso-subpinnatifidis acutis, summis tripartitis lobis integris, racemo laxo, capsulis pubescentibus.

D. triste. *Fischer in litt.*
D. obscurum. *Stev. diss. ined?*
Hab. in Daouriâ circa Doroninsk (Vlassof ex Fisch.), in Sibiriâ (Adams ex Stev.)? ♃. (v. s. fruct.)
Hujus iconem et fructum à cl. Fischero communicatum tantùm vidi. Species videtur distinctissima! — Flores atro-fusci suffuso pauco rubore ad margines sepalorum; calcar subviolaceum; petala inferiora bifida; odor florum cimicinus magis quàm in ullâ aliâ plantâ mihi notâ (Fisch.). Bracteæ lanceolatæ; flores atro-purpurei (Stev.). — Capsulæ 3 erectæ, 6 lin. longæ, stylo aristatæ, in superficie totâ villis mollibus pubescentes, ferè hirsutæ.

Sect. iv. STAPHYSAGRIA.

Staphysagria. C. et J. Bauh. Moris. etc.

Car. Ovaria 3. Petala libera glabra, 2 inferiora unguiculata limbo ovato; calcar breve, interiùs dipetalum; Bracteolæ oppositæ, à flore distantes, sæpiùs cum bracteâ ad basin pedicelli sitæ; Capsulæ ovatæ ventricosæ; Semina subglobosa grossa; Cotyledones ovales maximæ; Radices biennes.

45. Delphinium Requienii.

D. calcare calycis ferè longitudine, bracteolis medio pedicelli insertis, petiolis pilosis.

D. Requienii. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 5. *p.* 642.*

Hab. in insulis Stæchadum. *Requien.* ②. (v. s. sp.) fl. jun.
Herbæ pars inferior glabra aut vix pubescens, superior villis longis confertis patulis molliter hispida; caulis erectus simplex pedalis teres; folia longè petiolata, inferiora 5-fida, lobis latis cuneatis acutè 3-5 dentibus incisis, superiora 5-partita, lobis linearibus integris; omnium petioli pilosi, limbi ferè glabri; racemus terminalis brevis condensatus; flores cærulescentes; pedicelli erecti pilosi flore vix longiores, medio bracteolas 2 lineares pilosas gerentes; bracteæ elongatæ, lineares, infimæ apice in lobos lineares fissæ; calyx extùs hispidus; calcar calycis ferè longitudine; petala 2 sup. limbo oblongo integro subacuto; 2 infer. unguiculata limbo ovato obtuso subemarginato; ovaria villosa ovata.

46. Delphinium pictum.

D. calcare calyce vix breviore, bracteolis ad basin pedicelli insertis, petiolis pubescentibus, pedicellis flore vix longioribus.

Staphysagria. *Math. comm.* 850. *ic. Dod. pempt.* 366. *ic. J. Ger. herb.* 495. *ic. J. Bauh. hist.* 3. *p.* 641. *f.* 2. *Moris. hist.* 3. *p.* 465. *s.* 12. *t.* 3.
Staphysagria sive vitifolia pedicularis. *Lob. ic.* 689. *f.* 1.
D. nectariis diphyllis foliis palmatis lobis integris. *Ger. gallopr.* 391?
D. staphysagria var. *β. Lam! dict.* 2. *p.* 265. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 915.
D. pictum. *Willd. enum.* 574.*
D. staphysagria. *Woodv. med. bot. t.* 154.
D. maritimum. *Cav. ex Balb! cat. h. taur.* 1813. *p.* 31.
Hab. in Europâ australi? ②. (v. s. sp. et v. c.). fl. jun.
Cum D. staphysagriâ ab omnibus veteribus adeò confusum ut vix in eorum libris distinguendæ veniant hæ stirpes satis tamen diversæ. D. pictum sequenti humilius et omnibus partibus minus; caulis ad apicem usque pubescens; folia 5-7-fida; racemus magis confertus; pedicelli 6 lin. nec pollicem longi; calcar subacutum 5-6 lin. longum. — Variat, 1°. foliis viridibus aut sæpiùs albo-variegatis; 2°. racemo brevi conferto aut elongato; 3°. floribus cæruleis, albidis aut albo-variegatis.

47. Delphinium Staphysagria.

D. calcare brevissimo, bracteolis ad basim pedicelli insertis, petiolis pilosis, pedicellis flore duplò longioribus.

Σταφισαγρια. *Hipp. nat. mul.* 584. *Diosc. l.* 4. *c.* 156.
Astaphis agria sive staphis. *Plin. lib.* 23. *cap.* 1.
Staphysagria. *Trag. stirp.* 902. *ic. mal. Fuchs. hist.* 784. *ic. Math. comm.* 850. *excl. ic. Dod. pempt.* 366. *excl. ic. Cam. epit.* 947. *ic. C. Bauch. pin.* 324. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 641. *et* 642. *f.* 1. *Stap. ed. Theoph.* 1140. *ic. Moris. hist.* 3. *p.* 465. *Weinm. phyt. t.* 949. *f. a. pessim. Regn. bot. ic.*
Pedicularis herba. *Cord. adn.* 74.
Staphysagria Mathioli. *Dalech. lugd.* 1629. *ic.*
Staphysagria sive vitifolia. *Lob. adv.* 306.

Aconitum urens ricini ferè foliis flore cæruleo magno staphysagria dictum. *Pluk. alm.* 357.

D. platanifolia staphysagria dictum. *Tourn.! inst.* 428.

D. nectariis diphyllis petalo brevioribus, foliis palmatis, lobis obtusis. *Lin. h. cliff.* 213. *h. ups.* 150. *mat. med.* 269.

D. staphysagria. *Lin.! sp.* 750. *Mill. dict. n.* 8. *Scop. carn. n.* 652. *Willd. sp. ed.* 2. *p.* 1231. *enum.* 574. * *Schult. obs. p.* 100. *Sibth. fl. græc. t.* 508. *prod.* 1. *p.* 371. *Savi bot. etr.* 2. *p.* 123.

D. staphysagria var. *α. Lam.! dict.* 2. *p.* 265. *DC.! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 915.

Hab. in ruderatis Teneriffæ circa S. Ursulam *Brouss.*, Gibraltariæ *Durand*, Lusitaniæ (Brot.), Monspelii *Magnol*, Galloprovinciæ *Reg.*, Etruriæ (Sav.), Calabriæ, Apuliæ, Dalmatiæ et Istriæ (Math.)?, ad pagos in Cretâ et Zacintho (Sibt.), in ins. Naxo *Olivier;* sed in pluribus his, præsertìm occidentalibus, locis culturâ indigena facta ② (v. s. sp. et v. c.) fl. maio-jun.

Herba magna erecta; caulis et petioli pilis longis patulis mollibus hispidi; folia ampla petiolata palmatìm 5-9-fida; pedicelli hirsuti ad minimum pollicem longi; flores laxi cærulei; calcar vix 2 lin. longum; petala albida, 2 inf. unguiculata spatulata; capsulæ 3 grossæ villosæ; semina globoso-triquetra crassa nigra sapore acri.

Semina trita populariter usitantur ad pediculos enecandos. (*Conf. Murr. app. med.* 3. *p.* 32.).

XXVI. ACONITUM.

Aconitum. TOURN. *inst.* 424. *t.* 239. 240. LIN. *gen. n.* 682. JUSS. *gen.* 234. GÆRTN. *fruct.* 1. *p.* 311. *t.* 65. LAM. *ill. t.* 482. KŒLLE. *monogr.* 1788. *Erlang. in*-8°.

FR. Calycis sepala 5 petaloïdea decidua, superius (galea) amplum concavum cassidæforme, 2 lateralia (alæ) orbiculata, 2 inferiora oblonga. Petala 5 interdùm numero irregularia, 3 minima unguiformia sæpè in stamina conversa, 2 superiora (cuculli) sub galeâ incumbentia, longè unguiculata, apice in saccum expansa, sacci fundo seu petali apice (calcar) calloso incurvo, ore in limbum (labium) oblongum emarginatum producto. Stam. ∞. Capsulæ 3-5, ∞-spermæ.

VEG. Herbæ perennes; radices tuberosæ, tuberibus nunc fibrillas agentibus, nunc napiformibus cum iis commixtis; folia caulina petiolata palmatìm 3-5-partita, lobis inciso-dentatis multifidisve. Racemi terminales; pedicelli 1-flori ex axillis bractearum orti, bracteolas 2 gerentes. Flores ampli irregulares nunc ochroleuci, nunc cærulei aut albi.

VIR. Species omnes venenatæ, Anthoræ minùs infestæ, Napelli atrocissimæ; in omnibus radix venenatissima, herba minùs acris, in statu naturali animalibus nociva, sed sicci

tate et in aquâ coctione adeò iners evadens ut quædam species (v. g. Ac. septentrionale) edules sint! Extractum Aconiti cl. Storck felici cum successu administravit in rhumatismis chronicis, podagris veteribus, antiquisque venereis tumoribus. Storckius A. paniculato usus est sed medici promiscuè Aconita flore cæruleo donata omnia incautè hinc indè admiserunt.

Hab. Species 28 huc usquè cognitæ habitant aspera dumeta sylvasque hemisphæræ borealis, 11 in Europâ, 11 in Sibiriâ, 1 in Japoniâ, 1 in Americâ boreali, 1 Sibiriæ et Americæ boreali occidentali communis.

Obs. Genus naturalissimum sed quoad specierum diagnosìm difficillimum nec satis ritè elaboratum. Clusius olìm species Europæanas optimè cognovit et ante omnes autores consultandus!

Div. Ex habitu potiùs quàm ex caracteribus Aconita dividuntur, in sectiones divisionesve quinque, nempè:

Sect. I. Anthora. Flores ochroleuci; galea convexa; folia in lobos lineares multipartita. . . . . Sp. 1-2.

Sect. II. Lycoctonum. Flores ochroleuci aut rarissimè cærulei; galea conica elongata, anticè vix mucronata; folia in lobos cuneiformes lobata. . . . . Sp. 3-10.

Sect. III. Napellus. Flores cærulei aut albi; galea convexa; folia in lobos lineares multipartita. . . . . Sp. 11-14.

Sect. IV. Cammarum. Flores cærulei aut albi; galea conica aut valdè convexa, anticè longè mucronata; folia in lobos cuneiformes partita. . . . . Sp. 15-20.

Sect. V. Anabates. Flores cærulei aut albi; galea convexa; caulis scandens subvolubilis. . . . . Sp. 21-25.

†. Aconita non satis nota. . . . . 26-28.

† †. Aconita dubia aut incerta. . . . . 29-35.

Sect. 1. ANTHORA.

Car. Flores ochroleuci; galea convexa apice acuta; radix tuberibus duobus oblongis; folia palmatipartita, in lobos lineares multifida.

1. Aconitum anthora.

A. galea convexa apice in acumen desinente, calcare spirali, labio obcordato, foliis multifidis, laciniis linearibus.

Anthora sive antithora. *Math. comm.* 769. *f.* 1. *Cam. epit.* 837. *ic. Riv. pentap. irr. ic.*

Anthora vulgaris. *Clus. hist.* 2. *p.* 98. *f.* 2.
Anthora. *Dod. pempt.* 443. *f.* 2. *Lob. adv.* 301. *ic.* 677. *f.* 1. *Cam. hort.* 18.
Anthora zedoaria aconitum salutiferum. *Tab. ic.* 112. *f.* 1.
Napellus prior et anthora. *Dalech. lugd.* 1748. *f.* 1. *et* 2. *malè.*
Anthora sive aconitum salutiferum. *J. Ger. herb.* 969. *ic.*
Anthora flore flavo. *Debry. floril. nov. t.* 101.
Aconitum salutiferum seu anthora. *C. Bauh. pin.* 184. *Tourn! inst.* 425. *Robert. ic. t.* 10. *Weinm. phyt. t.* 22. *f. b. Mill. ic. t.* 12.
Anthora flore luteo aconiti. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 660. *f.* 2.
Anthora sive antithora. *Chab. sciag.* 2. *p.* 98. *f.* 2.
A. luteum tenuifolium salutiferum sive anthora. *Moris. hist.* 3. *p.* 463. *s.* 12. *t.* 2. *f.* 7.
Anthora vera flore luteo. *Barr. ic. t.* 609.
A. lycoctonum luteum. *Weinm. phyt. t.* 23. *f. a.*
A. foliorum laciniis linearibus distinctis ubique ejusdem latitudinis. *Lin. h. cliff.* 214. *h. ups.* 152.
A. anthora. *Lin. sp.* 751. *Mill. dict. n.* 4. *Jacq. fl. austr. t.* 382. *Scop. carn. n.* 655. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 190. *n.* 22. *Houtt. pfl. syst.* 7. *p.* 260. *Ludw. ect. t.* 104. *Blackw. herb. t.* 562. *Vill. dauph.* 4. *p.* 704. *Lam! dict.* 1. *p.* 33. * *Kœlle acon. p.* 24. *Willd. sp.* 2. *p.* 1234. *Wulf. in Rœm. arch.* 3. *p.* 379. * *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 917. * *Schk. hand.* 2. *n.* 1431. *t* 145.
A. foliis linearibus profundissimè tripartitis lateralibus bipartitis incisis, mediis duplicato-trilobatis. *Hall. helv. n.* 1199. *
A. ochroleucum. *Salisb. prod.* 375.

β. Atrovirens foliis caulibusque glabratis.
A. salutiferum elatius Pyrenaicum foliis atro-virentibus flore majore. *Tourn. inst.* 425. *Ray. syn. ext.* 367.

γ. Confertiflorum, racemo cylindraceo conferto velutino.
A. tuberosum. *Patrin! ined.*

Hab. in asperis dumetis montium Europæ, in Jurasso editiore ad montem Thoiry, in Alpibus, in Apenninis et in Sibiriâ *Gmel.* β. in Pyrenæis. γ. in Caucaso *Herb. Pall.* et in collibus graminosis inter Barnaoul et Zmeof. *Patrin.* ♃. fl. æst. (v. v. sp.)
Var. α. variat caule subsimplici aut ramoso, caule pedicellisque glabris seu velutinis.
Var. β quam post Tournefortium in Pyrenæis legi distinguitur foliis glabris atro virentibus, caule glabro elatiore, galea minùs convexa, rostro magis abrupto et acuminato.
Var. γ. est minor, racemo cylindraceo magis conferto donata; axis et pedicelli sunt velutini. An species propriâ?

2. Aconitum anthoroideum. †

A. galea convexa dorso anticè producta mucrone acuminato superimposita, calcare spirali, labio obcordato, foliis multifidis, laciniis linearibus.

A. Pyrenaicum. *Pall! itin.* 2. *p.* 316. *ex herb.*
Hab. in Sibiriâ *Pallas.* ♃. (v. s. sp. in h. Lambert).

Adeò simile A. anthoræ ut forsan pro merâ varietate habendum. Differt tantùm in eo quod galeæ dorsùm non tantùm convexum sed antice productum et acumine superimpositum. Variat ut A. anthora pediculis velutinis seu glabris, racemo densiore et laxiore.

Sect. II. LYCOCTONUM.

Car. Flores ochroleuci albidi aut cærulescentes; galea conica elongata obtusa anticè vix mucronata. — Radix tuberosa fibrillas emittens. Folia palmati-lobata, lobis subcuneatis apice inciso-dentatis.

3. Aconitum barbatum.

A. galea conica obtusa, calcare recto, labio obovato, alis barbato-ciliatis, bracteis minimis, caule pubescente, foliis 5-partitis, lobis linearibus acuminatis.

A. foliis palmatis multifidis villosis. *Gmel. sib.* 4. *p.* 188. *t.* 81?
A. barbatum. *Patrin! ined. Pers! ench.* 2. *p.* 83. *Poir! supl.* 1. *p.* 114.
Hab. in Sibiriâ orientali circa Irkoulsk. *Patrin.* ♃. (v. s. sp.).
Medium inter Anthoram et Lycoctonum; ab Anthorâ differt galeâ conicâ, à Lycoctono foliorum lobis linearibus, ab utroque calcare recto nec spirali. Caulis teres tenuissimè pubescens nec hispidus; folia in petiolo et hinc indè subtùs pilis longis raris patentibus instructa, supernè oculo armato pubescentia, circumscriptione orbicularia, ad petiolum ferè 5-partita, lobis subcohærentibus pinnatifidis linearibus, lobulis acuminatis; racemus longus confertus erectus; pedicelli flore breviores erecti pubescentes; bractea sub pedicello lineari-subulata pedicello brevior vix pubescens; bracteolæ in medio pedicelli minimæ adpressæ; flores albidi (Patr.), in sicco ochroleuci, extùs pubescentes; galea conica elongata obtusa; alæ orbiculares intùs et margine longè barbatæ; sepala inferiora oblonga subacuta; petalorum calcaria recta vix ac ne vix subincurva; ovaria pubescentia.

4. Aconitum hispidum.

A. galea conica obtusa, calcare recto, labio obovato, alis subbarbatis, bracteis pilosis subulatis, caule hispido, foliis 5-partitis, lobis linearibus subacutis.

Hab. in Sibiriâ orientali *Pallas.* ♃. (v. s. sp. in h. Lamb.)
Differt ab A. barbato caule hispido nec pubescente, foliis profundiùs 5-partitis, lobis non acuminatis sed ferè obtusis mucrone calloso apiculatis, bracteis magis pilosis, sepalis mediis vix barbatis. — Folia ferè Anthoræ sed lobi latiores; flores Lycoctoni sed calcaria recta. — Caulis erectus teres simplex basi præsertìm pilis mollibus patulis subreflexis hispidus, apice subglaber. Folia inferiora longè petiolata, petiolo patentìm hispido, circumscriptione orbicularia ad petiolum usquè 5-partita, lobis multifidis, lobulis linearibus, subacutis, supernè oculo

armato vix pubescentibus, subtùs in nervo hispido-villosis; racemus simplex aut rariùs ramulo auctus, cylindraceus, erectus; pedicelli flore breviores erecti; bractea 2 lin-longa subulata villosa; bracteolæ 2 minimæ in medio pedicelli; flores ochroleuci priori similes sed minùs barbati.

5. Aconitum squarrosum. †

A. galeâ conicâ obtusâ, calcare spirali, labio obcordato, racemo virgineo apice nutante, foliis 5-partitis, lobis pinnatifidis, lobulis divaricatis acutis.

A. foliis multipartitis, laciniis linearibus incumbentibus squarrosis. *Lin h. Ups.* 152. *n.* 2. * *excl. syn.*

A. Pyrenaicum. *Lin! sp.* 751. (*excl. syn. et patr.*) *Willd. sp.* 2. *p.* 1233 ?

A. squarrosum. *Lin! herb.*

A. Sibiricum. *Poir. supl.* 1. *p.* 113 ?

Hab. in Sibiriâ, Tatariâ (Lin.) ♃. (v. s. c. in h. Lin. nunc Smith.)

Valdè affine A. lycoctono : differt foliis ad basin usque multipartitis, lobis pinnatifidis, lobulis divaricatis elongatis acutis integris, nec ullo modo inciso-serratis. Racemus elongatus, apice immaturus nutans; bracteæ bracteolæque minimæ; pedicelli flore breviores bracteâ multò longiores. Cætera ut in A. lycoctono. — Specimen in horto Upsaliensi lectum vidi cum nominibus A. Pyrenaici et A. squarrosi ipsissimâ Linnæi manu inscriptis. Specimen A. Pyrenaici è Sibiriâ orti non est meo sensu eadem species ac hortensis et videtur A. lycoctonum.

6. Aconitum Pyrenaicum.

A. galeâ conicâ obtusâ, calcare spirali, labio obovato, foliis ultra medium palmatìm 7-9-lobis, lobis trifidis acutè incisis sibi invicem incumbentibus.

Aconitum VI. *Cam. epit.* 831. *ic.*

A. Pyrenaicum ampliore folio tenuius laciniato. *Tourn. inst.* 424. *ex herb. Vaill.*

A. Pyrenaicum luteum foliorum segmentis sibi invicem incumbentibus. *Ray. syn. ext.* 367. *excl. syn. Math.*

A. Pyrenaicum. *Lam! dict.* 1. *p.* 33. * *Desf! cat.* 126. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 916. * *v.* 5. *p.* 642. *Poir. supl.* 1. *p.* 113. *Lapeyr. abr. pyr.* 305. *excl. syn. et caract.*

Hab. in Pyrenæorum pratis asperis sub dumetosis editis. ♃. fl. jul. aug. (v. v. sp.)

Affine A. lycoctono sed certò distinctum. Planta speciosa 3-4 pedes alta, pubescens; folia longè petiolata ampla suborbiculata, ultra medium 7-9-partita, partitionibus inæqualiter fissis, basi cuneatis, apice in lobulos acutos incisis dilatatis et ideò sæpiùs sibi invicem incumbentibus; racemus longus cylindraceus confertus basi subramosus; pedicelli flore sæpiùs breviores; bracteæ inferiores 3-5-fidæ superiores lineares medio pedicelli insertæ patentes 2-5 lin. longæ; flores ochroleuci extùs velutino-pubescentes; ovaria villosa. — Caracteres non momentosi sed constantes! Specimina quæ in Pyrenæis legi nullo modo differunt ab istis quæ ab ævo Tournefortii in horto Parisino coluntur.

7. Aconitum Lycoctonum.

A. galeâ conicâ obtusâ, calcare spirali, labio obovato, foliis pubescentibus ultra medium 3-5-lobatis, lobis trifidis incisis, bracteolis in medio pedicellorum.

Ακονιτον λυκοκτονον. *Diosc. hist.* IV. *cap.* 77. 78. *ex DC. et Enc. rech. acon. p.* 23.
Luparia. *Trag. stirp.* 247. *ic. pess.*
A. II? et VI. *Math. comm.* 763. *f.* 2? *et* 765. *f.* 2.
A. lycoctonum vulgare flore luteo. *Clus. hist.* 2. *p.* 94. *f.* 1.
A. luteum ponticum. *Lob. adv.* 301. *ic.* 677. *f.* 2. *J. Ger. herb.* 970. *ic.*
A. lycoctonum luteum majus. *Dod. pempt.* 439. *f.* 1. *Dalech. lugd.* 1741. *f.* 3. *Moris. hist.* 3. *p.* 463. *s.* 12. *t.* 2. *f.* 1.
A. lycoctonum II. *Dalech. lugd.* 1739. *f.* 2.
A. Matthioli II et VII. *Tab. ic.* 581. *f.* 1. *et* 583. *f.* 1.
A. II. *Cam. epit.* 827. *ic.*
A. lycoctonum flore luteo. *Cam. hort. med.* 4. *Besl. eyst. æst.* 1. *t.* 11, *f.* 2.
A. lycoctonum luteum. *C. Bauh. pin.* 183. *n.* 2. *et* 3. *Tourn. inst.* 424. *n.* 1 2. 3.
A. folio platani flore luteo pallescente. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 652. *ic.*
A. lycoctonum. *Chabr. sciag.* 531. *f.* 1. *pessim.*
Napellus flore luteo. *Riv. pent. irr. t.* 127.
A. luteum et A. lycoctonum dictum. *Stap. ed. Theoph.* 1137. *ic. et* 1138. *ic. pess.*
A. reticulatâ radice flore sulphureo albicante latifolium et angustifolium. *Barr. ic.* 78. *t.* 599. *et* 600.
A. lycoctonum humilius. *Weinm. phyt. t.* 23. b. *et t.* 24. a. b. c.
A. foliis peltatis multifidis, petalo supremo cylindraceo. *Lin. fl. lapp.* 211. *hort. cliff.* 213. *fl. suec.* 441. 476.
A. lycoctonum. *Lin! sp.* 750. *Mill. dict. n.* 1. *Gmel. sib.* 4. *p.* 188. *t.* 81? *Scop. carn. n.* 653. * *Blackw. herb. t.* 563. *Jacq. fl. austr. t.* 380. *Lam! dict.* 1. *p.* 32. *Vill! dauph.* 4. *p.* 703. *Bull. herb. t.* 63. *Willd. sp.* 2, *p.* 1232. *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 916. * *Savi bot. etr.* 1. *p.* 155. *Boiss. fl. eur. t.* 369. *Schult. obs. p.* 101.
A. foliis hirsutis semi-trilobis lobis duplicato-trifidis. *Hall. helv. n.* 1200.*
A. toxicarium. *Salisb. prod.* 375.
A. lycoctonum var. *α. Wahlemb. carp. n.* 531. var. *β. fl. lapp. n.* 275.

β. Glabriflorum, calycibus glabris.
A. rectum. *Bernh. ex Schleich! pl. exsic.*

γ. Laxiflorum, paniculâ laxissimâ.
A. lycoctonum. *All. fl. ped. n.* 1498. *Balb! fl. pedem. p.* 87.

δ. Altissimum, foliis amplis, caule elatiore.
A. luteum majus ampliore caule amplioribusque foliis. *Dod. pempt.* 445. *Tourn. inst.* 424.
A. altissimum. *Mill. dict. n.* 2.

Hab. in sylvis dumetis pratisque herbosis montanis Europæ, in Galliâ, Germaniâ, Suecià *Lin.* Lapponiâ (Wahl.), Hungariâ (Wahl.), Italiâ (Sav.) ♃. (v. v. sp.) fl. æst.

Species vulgaris valdè variabilis, nempè, 1°. caule 2-4-pedali subsimplici aut ramosissimo, glabro aut pubescenti-velutino; 2°. foliis plus minùsve profondiùs tri aut quinque-lobis, lobis nunc divaricatis nunc approximatis; 3°. floribus confertis aut distantibus. — Varietates suprà memoratæ sunt forsan tot species distinctæ. Var. α distinguitur floribus confertis pubescentibus, racemo elongato, foliorum lobis sæpiùs 5 approximatis. Var. β, quam ex Alpibus, Cebennis et Pictavià superiore habeo, distinguitur floribus glabris, cæterùm priori similis. Var. γ. ad A. septentrionalem habitu accedit; caulis magis ramosus, rami magis divaricati; racemi laxè paniculati; flores subpubentes; folia sæpiùs triloba, lobis divaricatis distantibus. Hab. in Pedemontii collibus. Var. δ. ex habitu æmulatur A. Pyrenaicum, sed revera à var. α. vix differt nisi omnium partium amplitudine forsan ex culturâ ortâ. — A. lycoctonum differt ab A. barbato, hispido, et ochroleuco calcare spirali; ab A. Pyrenaico foliis 3-5 nec 7-9-lobis, lobis sibi invicem non incumbentibus, ovariis glabris aut vix pubescentibus nec villosis, pedicellis flore sæpiùs longioribus; ab A. septentrionali floribus ochroleucis nec cæruleis, bracteolis medio nec basi pedicellorum insertis.

8. Aconitum Septentrionale.

A. galeâ conicâ obtusâ, calcare spirali, labio obovato, foliis pubescentibus ultra medium 3-5-lobis, lobis divaricatis incisis, bracteolis ad basim pedicellorum.

Calceolus Lapponum sive Brassica rangiferorum. *Scheff. lap.* 360.
A. lycoctonum floribus pallidè purpureis. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 189.
A. lycoctonum var. flore cæruleo. *Reich. syst.* 2. *p.* 615. *Stræm. scændm.* 1. *p.* 67. *Gunn. norv. n.* 14. *Gort. ingr.* 84. *Fl. dan. t.* 123. *Fabr. it. norv.* 19. *Georgi fl. baik.* 220. *Wahlemb. fl. lapp. n.* 275.
A. septentrionale. *Kœlle acon.* 22. *Willd! sp.* 2. *p.* 1235. *Ait. h. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 322. *Poir. supl.* 1. *p.* 114.

β. *Carpathicum*, caule foliisque glabris.
A. lycoctonum var. β. cæruleum. *Geness. el. scep. n.* 487. *Wahlemb. carp. n.* 531.
A. septentrionale. *Besser. Galiz. n.* 633.

Hab. in sylvis montanis convallibusque umbrosis Norvegiæ orientalis, *C. Smith.*, Lapponiæ Suecicæ (Wahl.), Sibiriæ, *Gmel*; β in Galliziâ (Bess.), et in Carpathis frequenter (Wahl.). ♃. (v. s. sp.).

Simile A. lycoctono, sed differt foliorum dentibus acutioribus, floribus cæruleis, bracteolisque non in medio pedicellorum, sed ad eorum basim insertis. Var. α. habet caulem apice præsertìm velutinum; folia pubescentia, superiora sessilia 3-5-loba, lobis acutè incisis; racemum ramosum laxum; pedicellos graciles pubentes flore longiores; bracteas oblongas utrinque acuminatas, pedicello dimidio breviores; bracteolas lineares subulatasve infra pedicelli medium insertas; flores cæruleos vix pubescentes consistentia tenuiores quàm A. lycoctoni. — Var. β. est ex omni parte glabra in speciminibus mihi obviis. Forsan, ait cl. Wahlemberg, A. Carpathicum quodam modo distingui potest à specie Lapponicâ.

9. Aconitum ochroleucum.

A. galeâ conicâ elongatâ, calcare arcuato, labio lanceolato, foliis vix subtùs pubescentibus palmato-5-lobis, laciniis 3-partitis acutè inciso-dentatis.

A. ochroleucum. *Willd. sp.* 2. *p.* 1233.* *Ait. h. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 322.
Hab. in Sibiriâ ad Caucasum *Willd.* ♃. (v. s. sp. in h. Lamb. et Smith.).
Habitus omninò A. lycoctoni, sed superficies ferè glabra, foliorum lobi acutiùs inciso-dentati et cuculli calcar potiùs arcuatum quàm spirale. Caulis erectus teres glaber; folia palmatiloba, lobis ultra medium distinctis oblongis inciso-serratis, serraturis longis acutis; racemus compositus seu basi ramulosus, terminalis elongatus; bracteæ inferiores 3-5-fidæ sæpè reflexæ; superiores lineares; bracteolæ 2 lineares medio pedicelli; flores ochroleuci conferti ob galeam longissimam tenuem singulares; pedicelli flore breviores.

10. Aconitum Japonicum. †

A. galeâ conicâ obtusâ, ... foliis palmato-trifidis, laciniis incisis obtusis, dentibus rotundatis cum acumine.

A. Japonicum. *Thunb. jap.* 231.*
Hab. in Japoniâ (Th.). ♃.
Caulis teres glaber; folia petiolata trifida; lobi laterales bifidi, medius trifidus, omnes obtusi inciso-dentati, dentibus obtusis cum acumine; racemus brevis. Affine A. lycoctono (Thunb.)

Sect. III. NAPELLUS (1).

Flores cærulei aut albi, nunquàm ochroleuci; galea convexa anticè sensìm acuminata. Caulis rectus. Racemus cylindraceus. Radices è trunco subtuberoso fibrosæ. Folia palmatilobata multifida, lobis linearibus.

11. Aconitum vulgare (2).

A. ovariis 3 glabris, alis intùs hirsutis, racemo cylindraceo elongato, foliis ad petiolum usque 5-partitis, partitionibus incisis in lobos lineares acutos sulco supernè exaratos.

Eisen hütlin. *Trag. stirp.* 248. *ic.*

---

(1) An omnes hujus divisionis stirpes sint unius speciei varietates dubito!

(2) Omnes ferè Europæanæ hujus sectionis species sub Napelli nomine promiscuè à Botanicis et ab ipso vulgo habitæ fuerunt et imò Napellus Linnæi à Napello aliorum plurimorum diversus est; ideò utilius duxi Napelli nomen sectioni tribuere nec ad ullam speciem retinere.

Napellus. *Math. comm.* 768. *ic. Dod. pempt.* 442. *ic. Dalech. lugd.* 1749. *ic. mal.*
Lycoctonum sativum tricarpum. *Cord. hist.* 145. *ic. mal.*
Napellus verus cæruleus. *Lob. adv.* 301. *ic.* 679. *f.* 1. *J. Ger. herb.* 972. *f.* 3. *Debry. floril. t.* 101.
A. lycoctonum VI napellus vulgaris. *Clus. hist.* 2. *p.* 96. *f.* 2.
A. flore cæruleo. *Cam. hort. med.* 5.
Napellus major latifolius? et angustifolius. *Tab. ic.* 583. *f.* 2? *et* 584. *f.* 1.
A. cæruleum seu napellus 1. *C. Bauh. pin.* 183. *Tourn. inst.* 425.
A. magnum purpureo flore vulgò napellus. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 655. *ic.*
A. magnum napellus. *Chab. sciag.* 531. *f.* 2.
Priapeia. *Chab. sciag.* 527. *f.* 2. *excl. descr. et nom.*
A. lycoctonum cæruleum sive napellus vulgaris. *Moris. hist.* 3. *p.* 463. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 9.
A. cæruleum majus. *Weinm. phyt. t.* 22. *f.* a. *mal.*
A. foliorum laciniis linearibus supernè latioribus lineâ exaratis. *Lin! h. cliff.* 214?
A. napellus. *Lin. sp.* 751. (*ex syn. non ex herb.*) *Scop. carn. n.* 654? *Lam! dict.* 1. *p.* 33 * *Kælle acon.* 14. *ic.* * *Willd. sp.* 2. *p.* 1235. *Woodv. med. bot.* 1. *p.* 16. *t.* 6. *Sturm. fl. germ. ic. DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 917. * *Spreng. geh. d. nat.* 1. *p.* 278. *t.* 15. *f.* 26. *et* 35. * *t.* 24. *f.* 12-14.
A. caule simplici spicâ densâ petiolis unifloris cassidis mucrone brevi. *Hall. helv. n.* 1197. *
A. elatum. *Salisb. prod.* 375.

β. *Pubescens*, floribus pedicellis foliisque floralibus pubescentibus.
A. tauricum et A. neomontanum. *Schleich! pl. exsic.*
A. neomontanum. *Lapeyr! abr. pyr.* 305. *excl. syn.*
A. napellus β. *DC! fl. fr.* 5. *p.* 642.

γ. *Bicolor*, floribus foliisque floralibus pubescentibus, floribus basi albis apice cæruleis.
A. bicolor. *Schult. obs. bot. p.* 101. *

δ. *Bracteolosum*, bracteolis ovalibus.

Hab. in Europæ subaustralis montanis pratis elatis collibusque frigidis, rarissimè in paludosis (v. g. circa Ebrodunum), Hispaniæ, Galliæ, Helvetiæ, Italiæ, Germaniæ, Hungariæ, Laconiæ (Sibt.). Var. β et γ spontaneas præsertim in Pyrenæis vidi. Var. δ in Vogesis et Arduenis. 4 fl. æst. (v. v. sp.).

A. vulgare seu Napellus veterum (à N. Linnæi et Storckii diversus) ab omnibus affinibus ægrè tamen distinguitur, 1°. caule simplici recto ferè semper monostachyo, non autem volubili ut in A. volubili, Patriniano tortuoso, uncinato, nec apice corymboso ut in A. paniculato et variegato; 2°. foliorum laciniis linearibus vix apice dilatatis supernè sulco exaratis et soli A. taurico subsimilibus; 3°. racemo cylindraceo spicæformi, laxiori quàm in A. taurico, cæteris aliis densiori; 4°. galeâ convexâ apice subacutâ nec dorso gibbâ et elevatâ ut in A. intermedio, rostrato, variegato; 5°. alis intùs pilosis nec glabris ut in A. taurico, paniculato, etc.; 6°. ovariis semper ternis glabris nec quinis villosis ut in A. cammaro et rostrato; 7°. capsulis 6 lin. nec pollicem longis ut in A. Neubergense.

Cæterùm species vulgata et ideò valdè variabilis, nempè, 1°. superficie nunc omninò glabrâ, nunc præsertim circa flores pubescente; 2°. foliorum laciniis sulco plus minùsvè distincto notatis; 3°. floribus in solo natali cæruleis aut in var. γ basi albis apice cæruleis, in hortis albis roseis purpureis variegatisve.

12. Aconitum strictum.

A. ovariis 3 glabris, alis intùs pilosis, racemo cylindraceo elongato, foliis ad petiolum usque 5-partitis, partitionibus cuneatis apice incisis.

A. strictum. *Bernh. monog. ex Schrad. in litt.*
Hab. . . . . ♃. (v. s.)
A. vulgari valdè affine, sed differt, 1°. foliorum laciniis 3-5 basi cuneatis apice incisis in lobulos oblongos breviores obtusiores et duplò latiores; 2°. racemo cylindraceo breviori basi breviter ramuloso; an à sequente satis differt?

13. Aconitum Neubergense.

A. ovariis 3 glabris, alis intùs pilosis, racemo cylindraceo elongato laxo, pedicellis pubescentibus subpatulis, foliis ad petiolum ferè 5-partitis, partitionibus cuneatis inciso-trifidis.

A. lycoctonum v Neubergense. *Clus. hist.* 2. *p.* 96. *f.* 1. *Moris. hist.* 3. *p.* 463. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 11.
A. purpureum Neubergense. *J. Ger. herb.* 973. *f.* 7.
A. purpureum seu napellus III. *C. Bauh. pin.* 183. *Tourn. inst.* 425.
A. lycoctonum napello simile Neubergense foliis latioribus flore purpureo. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 657. *f.* 2. *Chabr. sciag.* 531. *f.* 5.
A. foliorum laciniis linearibus supernè latioribus lineâ exaratis. *Lin. fl. suec.* 442.
A. cammarum var. β. *Lin. sp.* 751. *ex syn.*
A. napellus. *Lin! sp.* 751. *ex herb! Ehr! pl. exs.* 1. *n.* 87. *Palmstr. Sv. bot. t.* 46. *Jacq. fl. austr.* 4. *p.* 42. *t.* 381. *Wahlemb. carp. n.* 532. *
A. neomontanum. *Kœlle. acon.* 16. *
A. tauricum. *Willd. sp.* 2. *p.* 1236. (*excl. syn.*) *Hoppe! pl. exsic.*
A. pubescens. *Mœnch. meth.* 310?

β. *Densiflorum*, racemo coarctato, pedicellis erectiusculis.

Hab. in pratis Alpinis ad Vaccarum stabula in montibus Styriæ præsertim ad Neuberg (Clus.) et alibi in Carinthiâ, Salisburgo *Hoppe*, Carniolià (Kœll.) Austriâ (Jacq.), Hungariâ (Wahl.), ducatu Blankenburgensi *Ehr.*, Suecià *Lin.*, Sibiriâ ad lacum Baïkalensem prope Litsvinischa *Patrin.* ♃. fl. æstate paulò post A. vulgarem. (v. s. sp.)
A. vulgari affine sed distinctum 1°. ob folia latiora, segmentis paulò magis basi subcohærentibus subcuneatis apice trifidis incisisve in lobos acutos sed triplò ferè latiores, et sulco supernè non exaratos; 2°. racemus laxior, pedicellis semper pubescentibus, magis patentibus, floreque longioribus; 3°. Capsulæ ex cl. Wahlemberg 3 divergentes ultra polli-

cem nec semi-pollicem longæ vel in medio racemo pedunculis suis longiores.

Icon Clusii inter duas varietates nostras media. Nomen retinui ad vitandum nomen hybridum Neomontani è vocibus aliâ græcâ aliâ latinâ fabricatum et ab autoribus diversis ad species diversas sæpè nuncupatum.

14. Aconitum Tauricum.

A. ovariis 3 glabris, alis glabris, racemo cylindrico elongato confertissimo, pedicellis glabris bracteâ brevioribus, foliis ad petiolum usque 5-partitis subpedatis, lobis linearibus.

A. lycoctonum IV Tauricum. *Clus. hist.* 2. *p.* 95. *f.* 2.
A. violaceum. *J. Ger. herb.* 973. *f.* 6.
A. violaceum seu napellus secundus. *C. Bauh. pin.* 183. *Tourn. inst.* 425.
A. lycoctonum præcox Tauricum. *Moris. hist.* 3. *p.* 463. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 10.
A. Cammarum var. *α. Lin. sp.* 751. *ex syn.*
A. Tauricum. *Wulf. in Jacq. coll.* 2. *p.* 112. * *Jacq. ic. rar.* 3. *t.* 492. *Kœlle. acon.* 15. * *non Willd.*
A. napellus. *Bull. herb. t.* 45 ?
Hab. in Alpium Tauricarum jugis non procul à Salisburgo (Clus.), in Carinthiâ *Rohde*, in Taureris Malnizensi, Rastadiensi, Raurisiensi et Matrajensi (Wulf.) ♃. fl. æst. (v. s. sp.).
A. vulgari simillimum, sed differt, 1°. alis glabris nec intùs pilosis; 2°. pedicellis semper glabris bracteâ brevioribus; 3°. racemo breviori adeò conferto ut axis nullibi in conspectum veniat; 4°. foliorum laciniis basi ferè pedatìm dispositis magis cuneatis, fissisque in lobulos lineares acutissimos sulco vix ac ne vix subnotatos.

Sect. IV. CAMMARUM.

Flores cærulei aut albi; galea valdè conica aut conica anticè in mucronem abruptè sæpiùs desinens; racemus laxus subcorimbosus; caulis rectus; folia in lobos cuneiformes palmati-partita. Radices napiformes fibrillis intermixtis (1).

15. Aconitum intermedium.

A. ovariis 3 glabris, alis intùs pilosis, racemo laxo corymboso, pedicellis glabris, galeâ valdè convexâ subconicâ.

Thora Italica seu napellus minor flore cæruleo. *Barr. ic. t.* 610.
A. cæruleum seu napellus. *Weinm. phyt. t.* 21. *f.* d. *malè quoad folia.*
A. neomontanum. *Willd. sp.* 2. *p.* 1236. (*excl. syn.*) *Hopp ! pl. exs.*
A. cammarum. *Lejeune ! in litt.*

---

(1) An omnes aut saltem 4 priores hujus divisionis stirpes sint unius speciei varietates dubito ! has sub nomine A. cammari, à me ideò omissi, sæpiùs inter se permiscent autores.

Hab. in sylvaticis montanis Germaniæ, in Hassiâ *Hoppe*, in Belgio circa Verviers. *Lejeune*. ♃. fl. jul. (v. s. sp.)

Habitus omninò A. rostrati et paniculati, sed labellis intùs pilosis ab omnibus hujus divisionis speciebus differt. Distinguitur adhuc ab A. paniculato pedicellis glabris, ab A. hebegyno ovariis glabris, ab utroque galeâ convexâ subconicâ, breviore tamen quàm in A. rostrato.

16. Aconitum paniculatum.

A. ovariis 3 glabris, alis intùs glabris, racemo laxo corymboso, pediculis pubescentibus, galeâ convexâ.

α. Racemo erecto (1).

Napellus. *Cam. epit.* 836. *ic. Storck. lib. de acon. ic.*

Lycoctonum autumnale VII. *Clus. hist.* 2. *p.* 98.

A. cæruleum napelli flore. *C. Bauh. pin.* 183. *Tourn. inst.* 425.

A. napello simile sed minùs cæruleum præcocius. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 656. *ic. Chab. sciag.* 531. *f.* 3.

A. caule ramoso paniculato petiolis multifloris cassidis mucrone longo. *Hall. helv. n.* 1198. *

A. Storckii. *Barkaus. spec.* 18.

A. cammarum. *All! ped. n.* 1500.

A. paniculatum. *Lam! fl. fr. ed.* 1. *supl.* 1224. *dict.* 1. *p.* 33. * *DC! fl. fr. ed.* 3. *v.* 4. *p.* 918. * 5. *p.* 643.

β. *Cernuum*, Racemo nutante.

A. VII. *Math. comm.* 765. *f.* 3. *Cam. epit.* 852. *ic. Dalech. lugd.* 1740. *f.* 3 ? *et* 4.

A. lycoctonum VIII comâ nutante. *Clus. hist.* 2. *p.* 97. *f.* 1.

A. maximum nutante comâ. *J. Ger. herb.* 974. *f.* 9.

A. inflexâ comâ maximum. *C. Bauh. pin.* 183. *Tourn. inst.* 425. *Moris. hist.* 3. *p.* 464. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 17.

A. comâ inflexâ foliis angustioribus. *C. Bauh. pin.* 183. *Tourn. inst.* 425.

A. lycoctonum comâ nutante maximum. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 658. *ic. Chab. sciag.* 531. *f.* 6.

A. cernuum. *Kœlle. acon.* 17. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1237.

A. Wilmetianum. *Delarb. fl. auv. ed.* 2. *p.* 499.

γ. Racemo erecto, caule subflexuoso.

Hab. in asperis dumetis abruptis Alpium Galliæ, Pedemontii, Helvetiæ et in montibus Arverniæ. β in Taurero Nassfaldiensi et Rastadiensi (Willd.) γ. in Sibiriâ (Hortul.). ♃. fl. æst. (v. v. sp. var. α. v. c. var. γ.)

Radices napiformes fibrosæ; caulis erectus glaber; folia ad petiolum usque 3-partita ferè 5-secta, segmentis basi cuneatis lateralibus bipartitis undè folium 5-partitum videtur, laciniis acuminatis acutè inciso-pinnatifidis; racemus laxus corymbosus erectus; pedicelli pubescentes, inferiores longi ramosi; bracteolæ subulatæ; flores subpallidè cærulei glabri; galea convexa magis acuminata quàm in napellis, sed mucrone vix abruptè orto. — Var. β mihi non notam huc refero ex iconibus, ex autoritate cl. Halleri et Lamarckii, et ex speciminibus cultis comâ multiflorâ subnutante donatis.

(1) Omnia hujus varietatis synonyma æquo jure ad A. hebegynum referri possunt

17. Aconitum rostratum.

A. ovariis 3 glabris aut intùs lineâ villosâ ciliatis, alis glabris, racemo subcorymboso paucifloro, pedicellis glabris, galeâ conicâ elongatâ antice abruptè mucronatâ.

A. lycoctonum IX Judenbergense. *Clus. hist.* 2. *p.* 97. *f.* 2.
A. maximum Judenbergense. *J. Ger. herb.* 973. *f.* 8.
A. cæruleo-purpureum flore maximo sive napellus IV. *C. Bauh. pin.* 183. *Tourn. inst.* 425 *Moris. hist.* 3. *p.* 463. *s.* 12. *t.* 3. *f.* 12.
A. lycoctonum flore maximo. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 659. *f.* 2. *Chab. sciag.* 532. *f.* 2.
A. cammarum var. γ. *Lin. sp.* 751. *ex syn.*
A. Alpinum. *Mill. dict. n.* 7.
A. cammarum. *Lam. dict.* 1. *p.* 38. *Willd. sp.* 2. *p.* 1238 ?
A. luridum. *Salisb. prod.* 375 ?
A. rostratum. *Bernh. monog. ex Schleich! pl. exsic.*
Hab. in Judenberg altissimo Styriæ monte et in Schneeberg jugis (Clus.), in Alpibus Valesiacis. *Schleicher.* ♃. fl. æst. (v. s. sp.)
Herba A. paniculati et A. hebegyni sed ab utroque distinguitur galeâ maximâ conicâ elongatâ abruptè in mucronem acuminatum productâ, nec non pedicellis glabris, ovariisque aut glabris ut in A. paniculato, aut lineâ villosâ intùs notatis nec pube per totam superficiem sparsâ ut in A. hebegyno; racemus 7-8-florus simplex erectus vix corymbosus; pedicelli bracteis inferioribus breviores; bracteolæ lineares.

18. Aconitum hebegynum.

A. ovariis 3-5 pube adpressâ undique subvillosis, alis subglabris, racemo subcorymboso paucifloro, pedicellis pubescentibus, galeâ convexâ anticè mucronatâ.

A. cammarum. *Lin. sp.* 751 ? *Jacq. austr.* 5. *t.* 424. *Wahlemb. carp. n.* 535.
Hab. in asperis dumetis Alpium Vallesiæ, Austriæ (Jacq.) et in Carpathorum convallibus (Wahlemb.) ♃. fl. æst. (v. v. sp.)
A prioribus omnibus, quibus cum habitu omninò convenit, differt ovariis pube tenui sparsâ undique pubescentibus nec glabris aut intùs tantùm lineâ villosâ ciliatis; ab A. rostrato speciatim differt galeâ convexâ nec conicâ elongatâ, pedicellisque pubentibus. Variat ovariis 3, 4 et 5, nec non alis intùs glabris aut pubescentibus.

19. Aconitum variegatum.

A. ovariis 3 calycibusque glabris, racemo laxo, pediculis glabris inferioribus multifloris bracteâ multipartitâ duplò longioribus, bracteolis inferioribus incisis, galeâ longâ conicâ obtusâ anticè breviter mucronatâ.

A. lycoctonum X thora Italica. *Clus. hist.* 2. *p.* 98. *f.* 1.
A. lycoctonum cæruleum parvum. *Dod. pempt.* 441. *f.* 2. *Dalech. lugd.* 1743. *f.* 1. *J. Ger. herb.* 971. *f.* 2.

Lycoctonum cæruleum parvum facie napelli. *Lob. ic.* 678. *f.* 2. *Debry. floril. nov. t.* 101.

A. cæruleum minus sive napellus minor. *C. Bauh. pin.* 183. *Tourn. inst.* 425. *Moris. hist.* 3. *p.* 464. *s.* 12, *t.* 3. *f.* 15.

A. lycoctonum flore cæruleo galeâ elatiori radice bulbosâ. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 659. *f.* 3. *Chab. sciag.* 532. *f.* 3.

A. foliis multifidis laciniis semi-partitis supernè latis. *Lin. hort. cliff.* 214. *h. ups.* 151.

A. variegatum. *Lin. syst. veg.* 419. *Mill. dict. n.* 3. *Kœlle. acon.* 18.* *Lam. dict.* 1. *p.* 33. *Willd. sp.* 2. *p.* 1237. *Mœnch. meth.* 310.*

A. humile. *Salisb. prod.* 375.

Hab. in sylvestribus subalpinis Lithopolitanis Carnioliæ (Kœll.), Italiæ et Bohemiæ (Willd.), ubertim ad monasterium Neuberg secundum torrentem (Clus.) ♃. fl. aug. (v. s. sp. in h. Balbis.).

Radix tuberosa (Clus.); herba omninò glabra; caulis erectus ramosus, ramis diffusis; folia inferiora longè petiolata circumscriptione orbiculata, supernè nitentia viridia, subtùs pallida, 3-5-partita, partitionibus basi cuneatis apice dilatatis multifidis, lobulis oblongis acutis; folia superiora sessilia, floralia sub pedicellis tripartita multifida; pedunculi inferiores distantes, bracteis duplò longiores, 3-4-flori; bracteæ sub pedicellis partitæ incisæ; bracteolæ sub flore lineares; flores ampli cærulei omninò glabri; galea amplissima ultra pollicem longa valdè convexa cætera sepala non occultans, rostro brevi; alæ orbiculatæ 6-7. lin. longæ; ovaria glabra tenuia.

20. Aconitum album.

A. ovariis 4-5, galeâ conicâ longè unguiculatâ, racemo laxo simplici, pedicellis erectis foliis 3-5-partitis, partitionibus ovato-cuneiformibus trifidis dentatis.

A. lycoctonum Orientale flore magno albo. *Tourn. cor.* 30.

A. Orientale. *Mill. dict. n.* 10.

A. album. *Ait. Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 246. *ed.* 2. *v.* 3. *p.* 322. *Willd. sp.* 2. *p.* 1234. *Mœnch. meth.* 310.

Hab. in Oriente (Tourn.). ♃.

Habitu A. variegato haud dissimilis (Willd.); flores pentagyni; folia glabra, laciniis acutè incisis; galeæ unguis lateralibus sepalis longior. (Ait.); folia utrinque nitentia; racemus simplex laxus; pediculi erecti; galea elongata distans labella occultans rostrata non rugosa; flores albi; capsulæ 4-5. (Mœnch.).

Sect. v. ANABATES.

Car. Flores cærulei aut albi; galea convexa; racemus laxus; caulis volubilis scandens.

21. Aconitum eriostemum.

A. caule volubili adpressè subpubescente, petiolis nudis, foliis 3-5-partitis, partitionibus pinnatifidis, lobulis lan-

ceolatis, racemo laxo, ovariis 2-3 glaberrimis, staminibus pilosis.

A. volubile. *Kœlle acon.* 21.* *non Willd.*
Hab. in Sibiriâ (Kœlle). ♃. (v. v. c. in h. Monsp.).
Caulis teres, adpressè pubescens, ferè glaber, pilis minimis vix oculo armato perspicuis ; petioli pilis destituti ; folia glabra, 3-5 partita, ferè 3-5-secta, segmentis pinnatifidis, lobulis distantibus oblongis acutis ; rami superiores apice floriferi ; racemi laxi ; bracteæ inferiores 5 aut 3-fidæ, superiores oblongæ integræ ; pedicelli pubescentes ; bracteolæ lineares ; flores pallidè cærulei extùs vix puberuli ; galea convexa in mucronem acutum sensìm desinens, à reliquis sepalis distans ; alæ ciliatæ intùs glabræ aut vix pubescentes ; Staminum filamenta pilosa ! ovaria 2-3 glaberrima.

22. Aconitum ciliare.

A. caule volubili patentìm piloso, petiolis ciliatis, foliis 3-5-partitis, partitionibus pinnatifidis, lobulis linearilanceolatis, racemo laxo, ovariis 5-7.

α. *Oligotrichum*, caule pilis raris.
A. volubile. *Willd. sp.* 2, *p.* 1237. *enum.* 576. *non Kœlle.*

β. *Polytrichum*, caule pilis confertis.
A. napellus var? *Patrin! herb.*

Hab. in Sibiriâ. α ad Obum flumen in sylvis *Demidow*. β. In nemorosis circa Barnaoul. *Patrin.* ♃. (v. s. sp.).
Var. α. Caulis teres gracilis pilis raris instructus ; petioli ciliati ; folia 3-partita, partitionibus trifidis incisis, lobis lanceolatis acutis ; racemi laxi pauciflori ; pedicelli subramosi oculo armato adpressè pubescentes ; flores mediocres cærulei ; galea convexa subconica anticè mucronata ; calcar apicè aduncum labio obcordato obtuso.
Var. β forsan species propria ? Planta volubilis orgyalis ; caulis teres, pilis confertis longis mollibus patulis ; petioli pilosi ; folia ferè 3-secta aut profundè 3-partita, segmentis 2 lateralibus ferè ad basin usque bipartitis, undè folium videtur 5-partitum, partitionibus oblongis acutis pinnatifidis utrinque lobulos 1-3 lanceolatos gerentibus ; racemus ramosus laxus ; pedicelli longi oculo armato pubescentes ; bracteolæ subulatæ ; flores cærulei ; ovaria 5-7 ; stamina glabra.

23. Aconitum tortuosum.

A. caule volubili petiolisque glabris, foliis 3-partitis, partitionibus ovatis acuminatis grossè inciso-dentatis, racemo laxo, ovariis 2-3-glaberrimis, staminibus glabris.

A. VIII. *Math. comm.* 766. *f.* 1 ? *Dalech. lugd.* 1741. *f.* 1 ?
A. comâ inflexâ foliis latioribus. *Tourn. inst.* 425 ?
A. tortuosum. *Willd. enum.* 576.
Hab. . . . . ♃. (v. v. c.)
Caulis orgyalis volubilis ramosus glaber teres ; folia glabra, petiolata,

tripartita, partitionibus ovato-lanceolatis basi cuneatis, grossè dentatis subincisis, dentibus lobulisve ovatis acutis, lateralibus bipartitis; racemus laxus; pedicelli pubescentes; bracteæ inferiores 3-fidæ; bracteolæ subulatæ medio pedicelli circiter insertæ; flores pallidè cærulei glabri; galea convexa in acumen acutum sensim desinens; stamina pistillaque glaberrima. — Icon Mathioli habitum exprimit, sed verosimiliter ad aliam speciem pertinet.

24. Aconitum glabrum.

A. caule volubili petiolisque glabris, foliis 5-partitis, partitionibus lanceolatis cuneatis grossè inciso-dentatis, racemo laxo, galeâ stipitatâ elongatâ dorso conicâ anticè in mucronem longum erectum productâ.

Hab. . . . . ♃. (v. s. c. in h. Desfont.)

Species mihi non satis nota, sed galeæ structurâ singularis! Herba omninò glabra; folia rigida 5-partita, partitionibus lanceolatis cuneatis grossis, incisuris 3-5 dentato-lobatis acutis; pediculi foliis floralibus paulò longiores patentes, bracteolæ lineares patulæ versus apicem oppositæ; flores pallidè cærulei; galea patens, basi angustata quasi stipitata, sesquipollicem longa, dorso subconico obtuso, anticè producta in lobulos 2 lineares acutos erectos dorso nempè subparallelos! sepala 4 alia obovata galeâ multò breviora; calcar apice aduncum obtusum.

25. Aconitum uncinatum.

A. caule subvolubili subpubescente, petiolis glabris, foliis 3-5-fidis basi truncatis, lobis acutis apice tridentatis, racemo laxo, galeâ stipitatâ elongatâ convexâ.

A. uncinatum. *Lin. sp.* 750. *Willd. sp.* 2. *p.* 1238. *Sims bot. mag. t.* 1119. * *Mart. in Mill. dict. n.* 9. *Ait. h. Kew. ed.* 1. *v.* 2. *p.* 246. *ed.* 2. *v.* 3. *p.* 324. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 372. *Lam! dict.* 1. *p.* 34. *Michx! fl. bor. am.* 315.

β. Muticum, galeâ anticè muticâ.

A. uncinatum. *Michx! fl. bor. am.* 315.

Hab. in rivulis altissimorum montium Carolinæ *Michx.*, in Virginiâ *h. Lam.*, circa Philadelphiam (Lin.) ♃. fl. septemb. (v. s. c.).

Caulis erectus subvolubilis oculo armato tenuissimè pubescens teres subramosus; petioli teretes supernè sulco notati glabri; folia coriacea glabra obscurè viridia paulò ultra medium trifida (nec ut in aliis ad petiolum usque partita), basi truncata nunc subattenuata nunc subcordata; lobi divergentes acuti, medio venis 3 instructo lanceolato apice tridentato, lateralibus subbifidis apice grossè tridentatis; folia summa tripartita lobis lanceolatis acutis integerrimis, pedunculi inferiores longi remoti folio florali longiores apice pubescentes, summi breves conferti; bracteolæ 2 oblongæ paulò à flore distantes; flores magni intensè purpuro-violacei; galea convexa apice in mucronem acutum sensim desinens; alæ orbiculatæ ciliatæ; ovaria 3-5-villosa.

Var. β (quæ cum priori in herb. Michauxii est commixta, sed quæ forsan est alia species) distinguitur galeâ ferè conicâ duplò longiore anticè omninò muticâ nec ullo modo uncinatâ.

†. *Aconita non satis nota.*

26. Aconitum delphinifolium.

α. *Americanum.*

β. *Sibiricum.*
A. grandiflorum. *Pall. herb.*

γ. *Kamchaticum.*
A. semigaleatum. *Pall. herb.*

Hab. var. α in Hedge-Island ad oras occidentales Americæ borealis. *Dav. Nelson.* var. β in Sibiriâ *Pallas.* var. γ in Kamchatkâ *Pallas.* ♃. (v. s. sp. in h. Banks et Lamb.).

Var. α. Caulis erectus teres simplex aut parcè ramosus 6-20 poll. longus, basi glaber, apice tenuiter velutino-pubescens; folia glabra ferè Delphinii pentagyni, inferiora longè petiolata multipartita, partitionibus pinnati-partitis; lobulis linearibus integris; summa ferè sessilia; bracteæ partitæ lobis linearibus; pedicelli bracteâ longiores pubescentes; bracteolæ duæ lineares medio pedicelli subalternæ; flores racemosi cærulei; galea convexa apice acuta. (Descr. in h. Banks ex spec. Nelsonii).

Specimina Sibirica in h. Lambertiano servata ab Americanis differunt tantùm floribus majoribus, cucullis galeâ dimidio brevioribus. Specimina Kamchatica ejusdem herbarii habent flores 3-6 laxiusculos paulò minores, et cucullos paulò longiores; radix fibroso-fasciculata.

27. Aconitum biflorum.

A. grandiflorum. *Fisch. cat. h. gorenk.* 1808. *p.* 77.
A. biflorum. *Fisch. in litt. ic.*

Hab. in jugo Altaico Sajanensi in Alpe Sayansk provinciæ Tomsk. (Fisch.). ♃.

Radix tuberosa ovoidea pisi magnitudine fibrillas paucas agens; caulis teres simplicissimus palmaris gracilis, basi glaber, apice tenuiter pubescens; folia inferiora pauca longè petiolata, 5-partita, partitionibus palmati-partitis, lobulis linearibus integris acutis; folia floralia sessilia cæteris similia; flores 2 terminales subsessiles pallidè cærulei; bracteolæ minimæ; galea convexa, extùs in dorso pubescens, in rostrum acutum sensim desinens; alæ obovatæ suborbiculatæ glabræ; stamina glabra; ovaria 3 villosa; cuculli adunci obtusi, labio minutissimo. (Descr. ex ic. Fisch.).

28. Aconitum maximum.

A. maximum. *Pallas! herb. nunc Lamb.*

Hab. in Kamchatka. *Pallas.* ♃. (v. s. sp. in h. Lamb.).

Caulis orgyalis (Pall.) erectus teres glaber; folia glabra petiolata basi cuneata 3-5-partita, partitionibus basi confluentibus, sinu acutangulo separatis, cuneatim dilatatis, apice 5-lobis, lobis integris aut utrinque unidentatis acutis; racemus 8-10-florus abbreviatus; axis et pedicelli subpubentes; bracteæ inferiores foliis similes vix minores; pedicelli foliis breviores; flores pallidè cærulei; galea convexa acuta A. delphinifolio similis, sed minor.

††. *Aconita vix nota aut dubia.*

29. Aconitum IX. *Math. comm.* 766. *f.* 2. *Dalech. lugd.* 1741. *f.* 2. — A. comâ inflexâ floribus rarioribus et foliis eleganter dissectis. *Tourn. inst.* 425.
30. Lycoctonum IV sive lyncæanum. *Clus. hist.* 2. *p.* 96. — A. Lycoctonum lyncæanum napello simile. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 657.
31. Aconitum ramosum parvo flore *C. Bauh. pin.* 183.
32. Aconitum spicâ florum pyramidali. *Moris. præl.* 226. — A. pyramidale multiflorum. *Tourn. inst.* 425. — A pyramidale. *Mill. dict. n.* 6. — Videtur A. vulgaris varietas.
33. Aconitum VII Mathioli. *Debry. floril. nov. t.* 42. *excl. syn. Math.*
34. Aconitum minùs autumnale insulæ Cheusan, sinicè Tsou-u. *Pluk. amalth. p.* 5.
35. Napellus major cæruleus montanus anthoræ radice. *Bocc. mus. p.* 74. — Hab. in Corsicâ ad montem Coscione.

II. RANUNCULACEÆ SPURIÆ,

Nempè antheris introrsis donatæ.

XXVII. ACTÆA.

Aconiti sp. C. Bauh. — Christophoriana. Tourn. *inst.* 299. *t.* 154. — Actæa. Lin. *sp. ed.* 2. *p.* 722. — Actæa et Cimicifuga. Lin. *amœn.* Juss. Gærtn. Lam.

Fr. Calyx 4-sepalus deciduus. Corolla 4-petala. Stam. ∞ antheris introrsis. Ovaria 1-12 ovata stigmate subsessili. Pericarpia ∞-sperma, sicca et dehiscentia aut baccata et indehiscentia, tot quot ovaria.

Veg. Herbæ perennes; folia petiolata simplicia lobata aut variè secta foliaque composita æmulantia; flores racemosi albi; calyx et corolla caducissimi; stamina petalis sæpiùs longiora; numerus partium floris valdè variabilis; flores interdùm abortu unisexuales.

Vir. Radices drasticæ subvenenatæ; herbæ suspectæ.

Hab. Species 8 sporadicæ in dumetis asperis sylvisque frigidis hemispheræ borealis, in Europâ 1, in Sibiriâ aut Japoniâ 2, in Americâ boreali 5.

Obs. Genus apprimè naturale etiamsi species caracteribus discrepantes. In Cimicifugis (quæ Zanthorizæ et Pæoniæ conterminæ) ovaria adsunt plurima quæ ut in Ranunculaceis veris in carpella angulo interno dehiscentia abeunt. Macrotys habet carpellum priori simile sed solitarium,

nec ideò à Cimicifugis magis separanda quàm Consolida à Delphinio ; Actæa habet carpellum unicum ut in Macrotyde, intùs simillimum, sed carnosum, nec ideò à priore magis separandum quàm Clematides subbaccatæ ab aliis. Ex his ritè perpensis et innuentibus cl. Michaux et Richard redeo ad priorem Linnæi sententiam, et Actæas divido in sectiones tres, nempè :

Sect. I. CIMICIFUGA. Carpella ∞ dehiscentia. . . . Sp. 1-4.
Sect. II. MACROTYS. Carpellum 1 dehiscens. . . . Sp. 5-6.
Sect. III. CHRISTOPHORIANA. Carpellum 1 indehiscens. Sp. 7-8.

Sect. I. CIMICIFUGA.

Cimicifuga. LIN. *amœn.* 7. *p.* 435. SCHREB. *gen. n.* 933.

CAR. Flores polygyni. Carpella sicca dehiscentia.

1. Actæa Cimicifuga.

A. ovariis 4 subsessilibus villosissimis, racemis paniculatis, foliis ternatìm biternatìmve sectis, segmentis ovato-lanceolatis inciso-dentatis.

Thalictroïdes fœtidissimum Christophorianæ facie. *Amm. ruth.* 76. *n.* 102.
A. cimicifuga. *Lin ! amœn.* 2. *p.* 354. * *sp. ed.* 2. *p.* 722.
Cimicifuga. *Gmel. fl. sib.* 4. *p.* 181. *t.* 70. *Lin ! amœn.* 7. *p.* 435. *
Planta cimicifuga. *Lin. amœn.* 8. *p.* 193. *t.* 4. *
Cimicifuga fœtida. *Lin ! syst. nat. ed.* 12. *p.* 659. *Lam ! dict.* 2. *p.* 4. * *illustr. t.* 487. *Gœrtn. fr.* 2. *p.* 275. *t.* 140. *Willd. sp.* 2. *p.* 1244. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 373. *Pers. ench.* 2. *p.* 85. (*excl. Mich. syn.*) *Wahlemb. fl. carp.* 164. *n.* 534.
A. racemosa. *Genera. elench. scep. n.* 475. *ex Wahl.*
Hab. in lucis et sylvis montanis Galliziæ (Bess.), Carpathorum usque ad terminum Coryli (Wahl.), in Daouriæ betuletis ad flumen Boughtarma *Patrin*, in Sibiriâ etiam orientali *Amm* et ad littora occidentalia Americæ borealis. (Pursh.). ♃. fl. æst. (v. s. sp.)
Herba fœtidissima ad cimices fugandos in Sibiriâ adhibita ; radix nigricans, trunco obliquo crassiusculo, fibrillis vix ramosis ; caulis erectus 2-3-pedalis, folia glabra ; flores longè racemosi ; pedicelli pubescentes brevissimi, bracteolis 3 minimis basi instructi ; sepala concava suborbicularia ; petala urceolata stipitata cartilaginosa parva ; capsulæ villoso-velutinæ sæpiùs 4, interdùm 1-5 ; semina oblonga squamulis undiquè echinata.

2. Actæa podocarpa.

A. ovariis 4-5 glabris stipitatis, racemis paniculatis, foliis decompositis.

Cimicifuga Americana. *Michx. fl. bor. am.* 1. *p.* 316. *Poir. supl.* 2. *p.* 261.

A. pentacarpa. *Michx ! herb.*

Hab. in opacis sylvaticis montium Carolinæ *Michaux.* ♃. (v. s. sp. in h. Mus. Par. et Rich.). fl. aug. sept.

Habitus A. racemosæ. Herba bipedalis ; flores racemoso-paniculati ; sepala 5 ovata concava ; capsulæ 4-5 glabræ compressæ stylo acuminatæ stipitatæ, stipite capsulâ ipsâ dimidio breviore.

3. Actæa cordifolia.

A. ovariis 2-3 glabris sessilibus, racemis paniculatis, foliis biternatìm sectis, segmentis basi cordatis 5-7-lobis serratis.

Cimicifuga cordifolia. *Pursh ! fl. bor. am.* 2. *p.* 373. *excl. syn.*

Hab. in sylvis umbrosis montium Carolinæ. *Pursh.* ♃. fl. jul. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Similis A. racemosæ et A. podocarpæ ; à priore differt capsulis plurimis, à posteriore capsulis sessilibus ; folia glabra, petiolo ramoso biternatìm secta ; segmenta basi cordata, 5-7-loba, serrato-dentata, ampla, ferè Vitis folia æmulantia ; racemi virgatìm paniculati elongati glabri ; bractea parva acuta sub quoque pedicello ; bracteolæ ad basim 2 laterales minimæ. Ovaria 2-3-glabra sessilia.

4. Actæa palmata.

A. ovariis 12-15 in capitulum subrotundum collectis, racemis dichotomè subpaniculatis, foliis palmatifidis.

Hydrastis. *Lam ! ill. t.* 500.

A. racemosa. *Walt. herb. ex Pursh.*

Hydrastis Carolinensis. *Walt. carol.* 156 ?

Cimicifuga palmata. *Michx ! fl. bor. am.* 1. *p.* 316. *Poir. supl.* 2. *p.* 261. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 373.

Hydrastis Canadensis. *Poir ! supl.* 3. *p.* 71. *non Lin.*

Hab. secus rivulos montium excelsorum Carolinæ *Michx* et Virginiæ (Pursh.). ♃. fl. jul. aug. (v. s. sp. in h. Mus. Par. et Lam.)

Planta omninò glabra ; caulis erectus simplex fistulosus ; folia 2 alterna, inferius petiolo latiusculo sesquipollicari, superius petiolo subnullo, limbo basi cuneato latissimo palmatìm 3-5-fido, lobis ovalibus basi integris apice incisis serratis subacutis ; flores terminales corymbosi ; pedunculi dichotomi oculo armato velutini, ultimi uniflori ebracteati, inferiores bracteâ lineari minimâ stipati ; sepala 4 orbiculata ; stam. ∞ ; ovaria 12 et ultrà, discreta, in capitulum subrotundum collecta.

Sect. II. MACROTYS.

Macrotys. Raf. Schm. *in journ. bot.* 1808. *v.* 2. *p.* 170. — Acteæ sp. Lin. — Cimicifugæ sp. Pursh.

Car. Flores monogyni. Carpella sicca dehiscentia.

5. Actæa racemosa.

A. monogyna, racemis longissimis, carpellis siccis dehis-

centibus, foliis triternatìm sectis, segmentis serratis subincisisve.

Christophorianæ facie herba spicata. *Pluk. amalth.* 54 *t.* 383. *f.* 3.
Christophoriana Americana procerior et longiùs spicata. *Dill. elth.* 79. *t.* 67. *f.* 78 *
A. racemis longissimis. *Gron virg.* 59. *Lin. mat. med.* 133.
A. racemosa. *Lin. sp.* 722. *Mill. dict. n.* 3. *Willich. nov. act. nat. cur.* 107. *Castigl. viag.* 2. *p.* 186. *Lam! dict.* 1. *p.* 38.* *Schkuhr. handb.* 139. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 308.
A. monogyna. *Walt. fl. carol.* 151.
Macrotys actæoides. *Raf. Schm. in Journ. bot.* 1808. *v.* 2. *p.* 170.
Cimicifuga serpentaria. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p* 372.
Hab. in umbrosis asperisque sylvis montium à Canadâ ad Floridam. *Michx.* ♃. fl. jul. aug. (v. s. sp.).
Herba A. spicatæ, sed major; florescentia A. cimicifugæ, sed monogyna; fructus A. cordifoliæ, sed unicapsularis. Variat, interdùm pistillis 2! Racemi pubescentes longissimi confertiflori; flores pallidi fætidi; petala crassa gibba minima pedicellata acumine setaceo terminata; capsulæ bivalvæ; semina oblonga.

6. Actæa Japonica.

A. monogyna, spicis longissimis, foliis trisectis, segmentis cordatis palmatìm 5-7-lobatis.

A. Japonica. *Thunb. jap.* 221.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1140. *Poir. supl.* 1. *p.* 130.
Hab. in Japoniâ (Th.) ♃?
Planta herbacea glabra; folia petiolata trisecta; segmenta longè petiolata, palmam lata et longa, cordata, palmi-nervia, 5-7-lobata, lobis incisis serratis subtùs pallidis; spica palmaris usque spithamæa; flores sessiles; ovarium ovatum glabrum; stylus nullus; calyx et corolla decidua (Thunb.). An hujus an sequentis sectionis?

Sect. III. CHRISTOPHORIANA.

Christophoriana. TOURN. *inst.* 299. *t.* 154. — Actæa. LIN. *gen. n.* 644.

7. Actæa spicata.

A. monogyna, baccis subglobosis, petalis staminum longitudine, racemo ovato, foliis bi triternatìmve sectis, segmentis ovato-lanceolatis serratis incisisve.

Christophoriana. *Clus. hist.* 2. *p.* 86. *f.* 2. *Gessn. hort.* 253. a. *Dod. pempt.* 402. *f.* 1. *Lob. ic. t.* 682. *f.* 1. *Tab. ic.* 778. *f.* 2. *J. Ger. herb.* 979. *f.* 1. *Besl. h. eyst. æst.* 10. *t.* 3. *f.* 1. *Weinm. phyt. t.* 380. *f.* 6. *Titlands. ic.* 148.
Napellus racemosus Dodonæi. *Dalech. lugd.* 1747. *ic. mal.*

Aconitum racemosum. *C. Bauh. pin.* 183.
Aconitum racemosum actæa quibusdam. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 660. *f.* 1. *Chab. sciag.* 532. *f.* 4.
Christophoriana vulgaris nostras racemosa et ramosa. *Moris. hist.* 2. *p.* 8. *s.* 1. *t.* 2. *f.* 8. *Tourn! inst.* 299. *t.* 154. *Mapp. als.* 73.
Actæa. *Lin. hort. cliff.* 209. *h. ups.* 138. *fl. suec.* 431. 464. *non Plin.*
A. spicata. *Lin! sp.* 722. *Mill. dict. n.* 1. *Scop. carn. n.* 633. *Poll. pal. n.* 503.* *Fl. dan. t.* 589. *Blackw. herb. t.* 565. *Gmel. sib.* 4. *p.* 181. *n.* 9. (*excl. var.*) *Lam! dict.* 1. *p.* 38. * *illustr. t.* 448. *f.* 1. *Gærtn. fr.* 2. *p.* 154. *t.* 114. *Willd. sp.* 2. *p.* 1139. *Sturm. fl. germ. ic. DC! fl. fr. ed.* 3. *n.* 4686.* *Savi bot. etr.* 2. *p.* 117. *Gmel. fl. bad. n.* 787. *Wahlemb. carp.* 160.
A. foliis circumserratis duplicato-pinnatis pinnulâ extremâ trilobatâ. *Hall. helv. n.* 1076. *
Christophoriana spicata. *Mœnch. meth.* 279.
Hab. in Europæ ferè totius, Caucasi (Bieb.) et Sibiriæ (Gm.) montosis asperis humidis umbrosisve ad terminum usque Fagi (Wahlemb.). ♃. fl. jun. jul. (v. v. sp.).
Radices subfibrosæ nec ut in A. brachypetala irregulariter tuberosæ; stamina petalis æqualia nec sensim longiora; baccæ constanter nigræ; flores non spicati, sed racemosi.

8. Actæa brachypetala.

A. monogyna, baccis ovato-oblongis, petalis staminibus brevioribus, racemo ovato, foliis bi-triternatimve sectis, segmentis ovato-lanceolatis serratis incisisve.

Aconitum baccis niveis et rubris. *Corn. canad.* 76. *t.* 77. *
Christophoriana Americana racemosa baccis niveis et rubris. *Moris, hist.* 2. *p.* 8. *s.* 1. *t.* 2. *f.* 7.
A. spicata var. β et γ. *Ait. h. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 286.
A. spicata. *Michx. fl. bor. am.* 1. *p.* 308.
A. rubra. *Bigel. fl. bost.* 129. *Willd. enum.* 560.
A. Americana. *Purch. fl. bor. am.* 2. *p.* 366.

α. *Alba* baccis albis, segmentis foliorum oblongioribus acutioribus.
A. alba. *Mill. dict. n.* 2. *Pers. ench.* 2. *p.* 61.

β. *Rubra*, baccis rubris, foliorum segmentis latioribus obtusioribus.
Christophoriana Americana baccis rubris longo pediculo insidentibus D. Sarraceni. *Tourn. inst.* 299.

γ. *Cærulea*, baccis cæruleis.
Christophoriana cæruleis baccis Floridana fructuum pediculis crassis et compressis. *Pluk. amalth.* 54.

δ. *Microcarpa*, baccis parvis albis subrubellis, pediculis incrassatis.

Hab. in sylvis umbrosis asperis fertilibus Americæ borealis. Var. α in Canadâ et montibus Virginiæ (Michx.). Var. β in Canadâ (Corn.), Virginiâ (Pursh.) et etiam in Sibiriâ ad Obum flumen *h. Mus. Par.* Var. γ. in Floridâ (Pluk.). Var. δ circa Bostoniam (Big.) ♃. fl. maio. jun. (v. s. sp. var. α. et β.).
Priori similis, sed radix subtuberosa; foliorum segmenta oblonga magis acuta acutiùsque serrata; baccæ oblongæ nunquam nigræ; petala sta-

minibus breviora ; forsan varietates ut tot species distinctæ olim habendæ ?

XXVIII. ZANTHORHIZA.

Xanthorhiza. Marsh. *arb.* 167. Schreb. *gen. n.* 1581. Lam. *ill. t.* 854. — Zanthorhiza. L'her. *st. nov. p.* 79. *t.* 38. Juss. *gen. p.* 234.

Fr. Calyx 5-sepalus, deciduus. Petala 5 truncato-biloba in pedicellum angustata ; stam. 5-10 ; antheræ subrotundæ introrsæ ; ovaria 5-10 oblonga in stylos acutos desinentia ; capsulæ compressæ semi-bivalves 1-spermæ ; semen apici capsulæ adfixum pendulum.

Veg. Suffrutex Americanus 2-3-pedalis. Radix intùs flava subodorata ; radicis cortex intensè et adhesivè amarus subacris ; caulis teres parcè ramosus ; liber flavus; folia petiolata, irregulariter pinnatisecta, segmentis 5-7 ovalibus acuminatis inciso-serratis ; racemi ramosi cum foliis è gemmis squamosis orti, penduli ; flores atro-purpurei, parvi, sæpè abortu unisexuales.

1. Zanthorhiza apiifolia.

Frutex petroselini foliis Virginianus Banisteri. *Pluk. alm.* 45. *t.* 270. *f.* 4. *excl. syn.*

Xanthorhiza simplicissima. *Marsch. arb. am. ed. gall. p.* 269. * *Castigl. viag.* 2. *p.* 397.

Zanthorhiza apiifolia. *L'her! st. nov. p.* 79. *t.* 38. * *Ait. Kew. ed.* 1. *v.* 1. *p.* 399. *Willd. sp.* 1. *p.* 1568. *Pæd. arb.* 2. *p.* 323 *Michx ! fl. bor. am.* 1. *p.* 186. *Mœnch. supl.* 111. *Poir! dict.* 8. *p.* 838. *Duham. arb. ed. nov.* 3. *p.* 181. *t.* 37. * *Desf! arb.* 1. *p.* 371. *Medic. rep. ic. Bart. elem. bot. t.* 12. *ex coll. mat. med. amer.* 2. *p.* 11.

Z. tinctoria. *Woodhouse ex Barton.*

Hab. in umbrosis fluminum littoribus Virginiæ (Pluk.), Georgiæ (Pursh.), et Carolinæ utriusque. *Barton.* ♄. fl. vere. (v. s. sp. et v. c.)

XXIX. PÆONIA.

Pæonia. C. Bauh. *pin.* 323. Tourn. *inst.* 273. *t.* 145. Lin. *gen.* 678. Juss. *gen.* 234. Gærtn. *fr.* 1. *p.* 309. *t.* 65.

Fr. Calyx 5-sepalus, sepalis subfoliaceis inæqualibus orbiculatis persistentibus. Petala 5 (interdùm 6-10) orbicularia subæqualia ungue destituta. Stam. ∞, antheris extrorsis : discus carnosus ovaria cingens ; ovaria 2-5 grossa ; stigmata sessilia crassa falcata bilamellata crispa ; capsulæ

(folliculive) 2-5, ovatæ, apice stigmate superatæ, 1-loculares, ∞-spermæ, suturâ longitudinali supernè dehiscentes. Semina subglobosa nitida; umbilicus prominulus; albumen carnosum; embryo in basi locatus.

Veg. Herbæ aut rariùs suffrutices; radices perennes collo crasso subhorizontali, fibris fasciculatis extùs nigricantibus aut omnibus aut aliis cylindricis, alteris in tubercula ovata cylindraceave incrassatis; vaginæ squamosæ ad basim caulis; gemmæ radicales squamis petiolaribus constantes; folia alterna petiolata bis ternatìm secta; flores terminales, ampli, purpurei rosei aut albi (nunquàm nec cærulei nec lutei), facilè multiplices.

Obs. Discus carnosus callosusque ovaria cingens, nunc brevis integer, nunc dentatus post florescentiam variè excrescens, nunc (in P. Moutan var. β) ex ipso antheseos principio adeò amplus ut ovaria omninò obtegat et caricum urceolum apice perforatum simulet.

Vir. Radices (olim nimis celebratæ) amaricantes subastringentes, P. tamen albifloræ edules. Semina subemetica.

Hab. Species 13 cognitæ habitant in asperis dumetis submontosis hemisphæræ borealis in orbe vetere tantùm à Lusitaniâ ad Chinam, regionibus frigidioribus calidioribusve exceptis.

1. Pæonia Moutan.

P. caule fruticoso, foliis bipinnatìm sectis, segmentis ovali-oblongis subtùs glaucis, capsulis villosis interdùm urceolo inclusis.

Moutan ou Pivoine, arbrisseau de Chine. *Mem. Chin.* 3. *p.* 461.
Botan. it. Fkamigusa et Hatskangusa. *Kæmpf. amæn.* 5. *p.* 862.
P. officinalis, var. *Thunb. fl. jap.* 230. *Lour. fl. coch.* 1. *p.* 343.
P. arborea. *Donn. cat. cant.* 196. *ed.* 1809. *p.* 134.
P. suffruticosa. *Andr. bot. rep. t.* 373. *et* 448.
P. moutan. *Sims. bot. mag. t.* 1154.* *Ait! Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 315. *Smith. in Rees. cycl. n.* 1. *Bonpl! pl. rar. Nav. Malm. p.* 1. *et* 61. *t.* 1. *et* 23.*
P. fruticosa. *Dum. Cours. bot. cult. ed.* 2. *v.* 4. *p.* 462.

β. *Papaveracea*, capsulis in urceolo omninò inclusis.
P. papaveracea. *Andr. bot. rep. t.* 463. *Smith. in Rees. cycl. n.* 2.
P. officinalis var. alba. *Lour. coch.* 1. *p.* 343?

Hab. in Chinæ borealis monte Ho-nan (Bonpl.). in totius Chinensis imperii et Japoniæ hortis jam à 1400 annis culta, nunc auspicibus cl. Jos. Banks in Europam ab anno 1789 introducta. ♃ fl. ineunte æst. (v. v. c.).

Frutex elegantissimus in hortis nostris sæpiùs 3-4-pedalis, ad 8-10 pedes interdùm crescens; caulis teres ramosus, digiti crassitie, lævis; rami novelli foliosi, cæteri nudi; folia patentia, biternatìm bipinnatìmve secta, segmentis ovalibus oblongisve, inferioribus integris, summis trilobis, supernè intensè viridibus glabris, subtùs glaucis pilos minimos sparsos gerentibus; flores terminales ampli solitarii suavèolentes; folia floralia 2 immediatè sub flore involucralia, 2-3 partita, lobis oblongis sæpiùs reflexis; calyx 5-sepalus; petala 5-10 et plurima magna orbiculata sæpè inciso-dentata.

Var. α. Urceolus carnosus ovariorum basim cingens, apice dentatus; ovaria 2-9 ovato-oblonga tomentoso-villosa, stigmate crispo rubro coronata; capsulæ pollicem longæ, rufis villis onustæ, stigmate coronatæ, intùs 5-7-spermæ, maturæ patentes. — Variat floribus sæpiùs plenis, semiplenisve roseo-purpureis aut albis, petalis subintegris aut incisis, ramis longioribus aut brevioribus, foliis majoribus pallidioribus aut minoribus intensiùs viridibus.

Var. β (quæ forsan species propria) habet flores magnos semi-plenos albos ad basim petalorum eleganter purpureo-radiatos; petala sæpiùs apice lacera; capsulas ferè semper 6 villosas dispermas (Andr.). Ovaria hujus stirpis sunt, priùs observante cl. Rob. Brown, intra urceolum carnoso-membranaceum glabrum subglobosum apice perforatum dentatumque, modo singularissimo ut in Caricibus, inclusa! stigmata extra orificium urceoli paululùm exserta.

2. Pæonia corallina.

P. herbacea, capsulis tomentosis à basi recurvatis, foliis biternatìm sectis, segmentis ovatis integris glabris.

Παιονια αρρην. *Diosc. ex Sibth. prod.* 1. *p.* 370.

Γλυκυσιδη αρρην. *Diosc. ex Spreng. hist. r. h* 1. *p.* 177.

Pæonia mas. *Plin. hist. lib.* 28. *cap.* 10. *Math. comm.* 655. *f.* 1. *Dod. pempt.* 194. *f.* 1. *cor.* 114. *ic. Cam. epit.* 657. *ic. Tab. ic.* 784. *f.* 1. *Dalech. lugd.* 856. *f.* 1. 2. *Lob. ic.* 684. *f.* 2. *et* 685. *f.* 1. *J. Ger. herb.* 980. *f.* 1. 2.

P. herba. *Æmil. Mac. cap.* 49. *ic. pess.*

Pæonia. *Herb. imag. viv. t.* 26.

P. mas major flore incarnato purpureo et albo. *Besl. h. Eyst. vern. ord.* 6. *t.* 6. *f.* 1. *t.* 12. *f.* 1. *t.* 10. *f.* 1. (*fol. malè fruct. benè.*) *et t.* 13. *f.* 1.

P. folio nigricante splendido quæ mas. *C. Bauh. pin.* 323. *Tourn. inst.* 273.

P. mas una præcocior, altera tardior. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 492. *f.* 1.

P. flore simplici latiore folio quæ mas. *Moris. hist.* 3. *p.* 454. *s.* 12. *t.* 1. *f.* 1.

P. mas flore albo rubro et incarnato major et minor. *Weinm. phyt.* *t.* 776. *f.* a. b. *t.* 777. *f.* a. *t.* 778. *f.* a.

P. foliis lobatis ex ovato lanceolatis. *Hall. helv. ed.* 1. *p.* 311.

P. officinalis var. β mascula. *Lin. sp. ed.* 1. *p.* 530. *ed.* 2. *p.* 747.

P. fœmina. *Mill. dict. n.* 2.

P. corallina. *Retz. obs.* 3. *p.* 34.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1221. *Smith. Engl. bot. t.* 1513. *prod. fl. græc.* 1. *p.* 370. *in Rees cycl. n.* 4. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 315. *DC! fl. fr.* 5. *p.* 643.*

P. integra. *Murr. comm. gœtt.* 1784 *et* 1785. *p.* 92.

P. mascula. *Desf. cat. h. Par. ed.* 1. *p.* 126.

Hab. in sylvaticis asperis Europæ, in Angliâ australi circa Southfleet et Gravesend (J. Ger., sed hìc à nuperioribus non reperitur), in Galliâ prope Aureliam et Blesum *Saint-Hil*, et prope Alais (Sauv.) in insulis Balearicis *Richard*, in Zacinthi montibus (Sibt.), in Sibiriâ (Willd.) ad flumen Rion (Pall.) ♃. fl. deced. vere (v. v. c. et s. sp.)

Caulis 2-3-pedalis in axillis et ad partem superiorem præcipuè rubens; folia biternatìm secta, segmentis ovatis integris glabris; petala sæpiùs 6 kermesina; pistilla sæpiùs 5; capsulæ folliculaceæ à basi patentes subrecurvæ tomentosæ latere superiore hiantes et semina globosa corallino-rubra ostendentes; folia primi et secundi anni omnia ternatìm secta formâ et magnitudine menyanthis trifoliatæ (Retz.). Radices fasciculatæ, fibris tuberosis oblongo-cylindraceis crassis. — Species, in hortis minùs frequens culta, variat, 1°. flore sæpiùs kermesino, interdùm pallidè rubro et albo; 2°. flore sæpissimè simplici, rariùs semi-pleno plenove ut in iconibus Weinmanni, forsan tamen ex P. officinalis floribus et P. corallinæ foliis conflatis.

3. Pæonia officinalis.

P. herbacea, capsulis tomentosis basi erectis apice divergentibus, foliis biternatìm sectis, segmentis glabris oblongis, lateralibus integris, mediis lobatis.

Παιονια Θηλεια. *Diosc. ex Sibth. prod.* 1. *p.* 369.

Γλυκυσιδη Θηλεια. *Diosc. ex Spreng. hist. r. h.* 1. *p.* 177.

Pæonia fæmina. *Plin. hist. lib.* 28. *cap.* 10. *Fuchs. hist.* 202. *ic. Math. comm.* 655. *f.* 2. *Cord. hist.* 133. *ic. Cam. epit.* 658. *Cam. hort.* 114. *Lob. ic.* 682. *f.* 2. *adv.* 305. *J. Ger. herb.* 981. *f.* 2.

Pæonia. *Trag. stirp.* 581. *ic.*

P. fæmina altera. *Dod. pempt.* 195. *f.* 1. *cor.* 117. *ic. Dalech. lugd.* 857. *ic.*

P. rubra flore simplici. *Besl. eyst. vern.* 6. *t.* 15. *f.* 1.

P. flore ochranthemos simplex fæmina. *Theat. flor. t.* 60.

P. communis vel fæmina. *C. Bauh. pin.* 323. *Tourn! inst.* 274.

P. fæmina vulgatior. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 493. *f.* 2.

P. fæmina vel communis. *Moris. hist.* 3. *p.* 454. *s.* 12. *t.* 1. *f.* 6.

P. fæmina folio strictiore. *Moris. l. c. p.* 455. *s.* 12. *t.* 1. *f.* 7.

Saku-jaku. *Kæmpf. amœn.* 5. *p.* 862.

P. officinalis var. *α.* fæmina. *Lin. sp. ed.* 1. *p.* 530. *ed.* 2. *p.* 747. (*ex syn. non ex herb.*).

P. radice glandulosâ, foliis duplicato-pinnatis, pinnis ellipticis et trilobis. *Hall. helv. n.* 1187. *

P. mascula. *Mill. dict. n.* 1.

P. officinalis. *Retz. obs.* 35. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1221. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 315. *Smith. prod. fl. græc.* 1. *p.* 369. *Rees. cycl. n.* 3.

P. nemoralis. *Salisb. prod.* 375.

P. fæmina. *Desf. cat. h. par. ed.* 1. *p.* 126.

* Flore pleno.

P. fæmina flore pleno. *Math. comm.* 656. *f.* 3.

P. exalbida plena minor et major. *Clus. hist.* 1. *p.* 280. *ic.*

P. fæmineæ multiplex flos. *Dod. pempt.* 195. *f.* 2.

P. fæmina polyanthos. *Tab. ic.* 784. *f.* 2. *et* 785. *f.* 1. *Dalech. lugd.* 858. *ic. Lob. ic.* 684. *f.* 1.
P. polyanthos. *Cam. hort.* 114.
P. fæmina multiplex. *J. Ger. herb.* 981. *f.* 3. *et* 982. *f.* 4.
P. flore multiplici albicante et rubro fæmina. *Theat. fl. t.* 60. *Floril. nov. t.* 64.
P. flore pleno incarnato. *Besl. eyst. vern.* 6. *t.* 7. *f.* 1.
P. polyanthos flore rubro. *Besl. eyst. vern.* 6. *t.* 8. *f.* 1.
P. fæmina flore pleno rubro albo et exalbido. *C. Bauh. pin.* 324. *Tourn. inst.* 274.
P. flore pleno. *Moris. hist.* 3. *p.* 455. *s.* 12. *t.* 1. *f.* 13 *et* 15.
Hab. in pratis nemorosis Europæ, nempè, in Pyrenæis supra Canejan (Lapeyr.)? Galloprovinciæ montosis (Gar.)? in Delphinatu prope Ribiers et supra St.-André non longè ab Ebroduno (Vill.), in Helvetiâ ad montem Generosum (Gessn.) et circa Luganum (Hall.), in Carinthiâ et Bavariâ *Hoppe*, in Carniolià circa Praddt in monte Nanas (Scop.), in monte Baldo (Pona), in Græciæ et Cretæ montibus (Sibt.), in Georgiâ (Pall.). ♃. fl. vere et ineunte æst. (v. v. c. et s. sp.)
Frequens colitur in hortis Europæ et etiam Japoniæ *Kæmp.* Caule virescente nec purpureo primâ fronte à P. corallinâ differt, necnon foliorum segmentis oblongis nec ovatis et præcipuè capsulis apice nec ab ipsâ basi divergentibus. Variat, 1°. floribus simplicibus duplicibus plenisve; 2°. petalis integris aut dentato-incisis; 3°. florum colore purpureo, rubro, carneo, albo, ochraceo, aut variegato.
Synonyma et ideò habitationes quædam forsan ad sequentem pertinent, talia sunt synonyma Villarsii, Garidelli, Lapeyrousii, etc.

4. Pæonia peregrina.

P. herbacea, capsulis tomentosis basi erectis apice divergentibus, foliis biternatìm sectis, segmentis omnibus ferè trilobatis subtùs pubescentibus, lobulis ovali-oblongis.

P. quarta aquilinæ folio. *Clus. hist.* 1. *p.* 280?
P. fæmina prior. *Dod. pempt.* 194. *f.* 2. *cor.* 116. *ic.*
P. promiscua seu neutra. *Lob. ic.* 683. *f.* 2.
P. promiscua. *J. Ger. herb.* 982. *f.* 5.
P. fæmina altera. *C. Bauh. pin.* 323. *Tourn. inst.* 274.
P. aquilinæ foliis. *C. Bauh. pin.* 323? *Tourn. inst.* 274?
P. promiscua strictiore folio. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 493.
P. promiscua vormarii folio latiore. *J. Bauh. hist.* 3. *p.* 493. *ic? Moris. hist.* 3. *p.* 454. *s.* 12. *t.* 1. *f.* 3?
P. communis vel fæmina. *Magn. bot.* 197. *Sauv. meth.* 307.
P. tenuis laciniata subtùs non pubescens. *Garid. aix. p.* 369. *t.* 79?
P. officinalis. *Lin! ex herb. non ex syn.*
P. officinalis. *Gouan! fl. monsp.* 266. *Bull. herb. t.* 101. *Savi. bot. etr.* 2. *p.* 118.
P. officinalis hirsuta. *Hort. par.*
P. peregrina. *DC! fl. fr.* 5. *p.* 643. *

β. Foliorum segmentis multò magis dissectis, ovariis glaberrimis.

γ. Foliorum segmentis majoribus, paulò minùs lobatis.
P. peregrina. *Mill! dict. n.* 3. *Sims. bot. mag. t.* 1050. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 315. *Smith. in Rees cycl. n.* 5.

P. officinalis var. γ. *Mart. in Mill. dict n.* 1.

Hab. inter saxa et dumeta in montosis asperis apricis Europæ Mediterraneæ, in Occitaniâ prope Monspelium ad pedem montis Sti.-Lupi, in sylvâ Valène et præsertìm copiosè in monte Serane, in Galloprovinciâ circa Thorame (Ger.)?, in Delphinatu meridionali *Toscan*, in Apennino Mugellano (Savi). ♃. fl. maio. (v. v. sp. et c.)

Species à veteribus cognita, ab hodiernis sæpè cum P. officinali confusa, sed ab eâ certè distincta. Radicis fibræ aliæ teretes in tubercula ovata cylindraceave incrassatæ; caules 1-pedales; folia radicalia abortiva et ad vaginas truncatas reducta; caulina 3-4 sparsa petiolata biternatìm secta subtùs villosa, segmentis ovatis omnibus incisis bi aut trilobatis; flos purpureus simplex minor quàm in P. officinali.

Variat, 1°. caule 1 aut rariùs 2-3-floro; 2°. petalis 5-7, ovatis oblongisve, integris subincisisve; 3°. ovariis sæpiùs 1-2, interdùm 3-5, tomentosis aut in var. β omninò glabris; 4°. foliorum segmentis in plantâ spontaneâ (var. α) minoribus magis lobatis subtùs petiolisque villosis, in plantâ cultâ (var. γ) majoribus minùs lobatis subtùs pubescentibus. — Var. β cum α confusam in monte Serane reperi et hanc sæpè in hortis subnomine P. anomalæ cultam vidi.

5. Pæonia lobata.

P. herbacea, capsulis tomentosis basi erectis apice divergentibus, foliis ternatìm sectis, segmentis glabris decurrentibus pinnatipartitis apice trilobatis.

P. Byzantina 1. *Clus. hist.* 1. *p.* 279. *ic. Cam. hort.* 115. *J. Ger. herb.* 982. *f.* 7. *Moris. hist.* 3. *p.* 455. *s.* 12. *t.* 1. *f.* 11.

P. ochranthemos. *Cam. schol.* 18. *ex herb. Vaill.*

P. Byzantina major et minor. *Besl. eyst. vern.* 6. *t.* 14. *f.* 1. *et* 2.

P. fæmina prior. *Dalech. lugd.* 856. *f.* 3??

P. Byzantina flore simplici sanguineo et albicante. *Floril. nov. t.* 74.

P. peregrina flore dilutè et saturè rubente. *C. Bauh. pin.* 324. *Tourn. inst.* 273.

P. fæmina Byzantina. *Park. par. t.* 342. *f.* 2?

P. Byzantina minor. *Weinm. phyt. t.* 777. *f.* b.

P. Lusitanica. *Juss. ex Mill. dict. n.* 6.

P. lobata. *Desf! cat. h. par. ed.* 1. *p.* 126.

P. officinalis. *Brot. fl. lus.* 2. *p.* 299?

Hab. in Lusitaniâ (Juss.) et circa Byzantium (Clus.). ♃. fl. jun. (v. v. c.)

Media inter P. officinalem et P. anomalam sed à P. peregrinâ abundè distincta! caulis erectus ferè bipedalis glaber ut tota planta; folia 3-6 ternatìm secta, segmentis pinnatìm partitis, lobis ovatis oblongis decurrentibus variè incisis; folia 1-2 sub ipso flore nascentia et eum quasi involucrantia; flos purpureus odoratus; ovaria sæpiùs 2-3 tomento albido cooperta.

6. Pæonia Daurica.

P. herbacea, capsulis tomentosis erectis, foliis biternatìm sectis subtùs glaucis subpubescentibus, segmentis sublobatis, lobulis ovatis obtusis.

P. triternata. *Pall. ind. pl. taur. et georg. in nov. act. petr. v.* [illegible]

P. Daurica. *Andr. bot. rep. t.* 486. *Sims. bot. mag. t.* 1441. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 317. *Smith. in Rees cycl. n.* 6.

Hab. in Dauriâ (Sims), in Tauriâ (Pall.). ♃. fl. maio. (v. v. c.)

Herba erecta pedalis simplex; folia erecta, petiolo ramoso biternatìm secta, segmentis aliis integris ovatis obtusis mucronulatis aut obtusissimis, aliis bi aut trilobatis, lobulis ovatis, subtùs albido-glaucis subpubescentibus; flores terminales solitarii; folia floralia 2 involucralia; petala 6-8 intensè purpurea orbiculata; ovaria 1-2 tomentosa erecta, stigmate rubro arcuato; capsulæ intùs rubræ; semina ∞ rosea.

7. Pæonia albiflora.

P. herbacea, capsulis glabris recurvatis, foliis biternatìm sectis, segmentis glabris nitidis tripartitis, lobis ovato-lanceolatis.

P. lacteo flore foliis utrinque viridantibus et splendentibus. *Amm. ruth.* 77, *n.* 103.

P. flore albo simplici. *Act. nat. cur.* 3. *p.* 355. *n.* 20.

P. fructibus tribus glabris. *Gmel. sib.* 4. *p.* 184. *n.* 13.

P. albiflora. *Pall. fl. ross.* 2. *p.* 90. *t.* 84.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1222. *Andr. bot. rep. t.* 64. *et flore pleno t.* 612. *Smith. in Rees cycl. n.* 7.

β. Flore roseo.

P. edulis. *Salisb! par. lond. t.* 78.* *Ait. h. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 316.

Hab. in Sibiriâ Transbaïcalensi (Gmel.), in Mongoliâ et Daouriâ (Pall.). ♃. (v. v. c.)

Radix in jusculis edulis. Semina in pulverem contusa theæ accessoria (Pall.).

Variat flore albo extùs subroseo, aut intùs extùsque plus minùsve roseo carneove. Conf. eximiam cl. Salisburyi descriptionem.

8. Pæonia Tatarica. †

P. herbacea, capsulis pubescentibus patentibus, foliis biternatìm sectis pubescentibus, segmentis bi-tripartitis, lobis ovali-oblongis integris.

P. foliis difformiter lobatis pubescentibus. *Mill. ic. t.* 199.

P. Tatarica. *Mill. dict. n.* 5.

Hab. in Tatariâ (Mill.). ♃.

Species non satis nota! Differre videtur à P. lobatâ foliis pubescentibus, à P. humili foliis latioribus minùs partitis et patriâ valdè diversâ.

9. Pæonia humilis.

P. herbacea, capsulis subpilosis erectiusculis, foliis biternatìm sectis, segmentis subtùs villosis profundè 5-7-partitis, lobis oblongis integris.

P. Hispanico semine nata sive 11. *Clus. hist.* 1. *p.* 279.

P. pumila fœmina. *Lob. ic.* 683. *f.* 1. *J. Ger. herb.* 982. *f.* 6.

P Hispanica sive pumila. *Cam. hort.* 115.

P. pumilis. *Besl. h. eyst. vern.* 6. *t.* 14. *f.* 3. *passim.*

P. tenuiùs laciniata subtùs pubescens flore purpureo. *C. Bauh. pin.* 323. *Tourn. inst.* 274.

P. fœmina Hispanica pumila. *Park. herb.* 1379. *Moris. hist.* 3. *p.* 455. *s.* 12. *t.* 1. *f.* 8.

P. hirsuta. *Mill. dict. n.* 4?

P. humilis. *Retz. obs.* 3. *p.* 35.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1222. *Sims. bot. mag. t.* 1422. *Ait. h. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 316. *Smith in Rees cycl. n.* 8.

P. villosa. *Desf. cat. h. par. ed.* 1. *p.* 126.

Hab. in Hispaniâ (Clus.). ♃. fl. maio. (v. v. c.).

Differt à P. peregrinâ foliorum lobis longioribus angustioribus, capsulisque pilosiusculis nec tomentosis; à P. anomalâ foliis subtùs villosis nec glabris, capsulis pilosiusculis nec glabris; à P. Tataricâ capsulis erectiusculis nec patentibus, foliorumque lobis angustioribus.

10. Pæonia anomala.

P. herbacea, capsulis 5 glabris depressis obtusis, foliis biternatìm sectis, segmentis glabris pinnatipartitis, lobis lanceolatis acuminatis.

P. fructibus quinque glabris patentibus. *Gmel. sib.* 4. *p.* 184. *t.* 72.*

P. anomala. *Lin! mant.* 247. *Willd. sp.* 2. *p.* 1222. *And. bot. rep. t.* 514. *Schkuhr. handb.* 2. *p.* 81. *n.* 1418. *t.* 144. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 316. *Smith! in Rees cycl. n.* 9.

P. laciniata. *Pall! fl. ross.* 2. *p.* 93. *t.* 85.*

Hab. in Sibiriâ omni *Pall.*, in Alpibus altaicis. *Patrin.* ♃. fl. maio. jun. (v. s. sp.).

Herba omninò glabra; folia biternatìm secta, segmentis ternatìm partitis, partitionibus pinnatipartitis, lobis decurrentibus lanceolatis acuminatis; petala rubicunda calyce paulò longiora; ovaria 5 glabra aut in plantâ spontaneâ oculo armato pubescentia, primùm erecta; capsulæ maturæ stellatìm divergentes, ovatæ, supernè subdepressæ, obtusæ.

11. Pæonia hybrida.

P. herbacea, capsulis pubescentibus, foliis biternatìm sectis, segmentis glabris multipartitis, laciniis linearibus.

P. hybrida. *Pall. fl. ross.* 2. *p.* 94. *t.* 86.* *nov. act. Petrop.* v. x. *Willd. sp.* 2. *p.* 1223. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 316. *Smith. in Rees cycl. n.* 10.

Hab. in Tauriâ (Pall.), ad promontoria septentrionalia Caucasi. *Fischer*, in Sibiriâ (Ait.). ♃. (v. s. sp.)

Differt à P. tenuifoliâ et laciniatâ ovariis pubescentibus nec tomentosis; ab omnibus aliis foliis multipartitis laciniis linearibus angustissimis. — cl. Pallas primùm hanc in horti Petropolitani areolâ quâdam inter P. anomalam et tenuifoliam reperiens, pro hybridâ ex his duabus speciebus orta habuìt, sed postea ipse spontaneam in Tauriâ indicavit et cl. Fischer me in litteris certiorem fecit non esse prolem hybridam, sed genuinam, quod de plerisque plantis vulgò hybridis dictis etiam asseri potest.

12. Pæonia tenuifolia.

P. herbacea, capsulis tomentosis patentibus, foliis biternatìm sectis glabris, segmentis multipartitis, laciniis linearì-subulatis.

P. laciniis foliorum linearibus. *Zinn. gœtt.* 127.
P. foliolis linearibus multipartitis. *Gmel. sib.* 4. *p.* 185. *t.* 73.
P. tenuifolia. *Lin.! sp.* 748. *Lin. f. dec.* 1. *t.* 5.* *Pall.! ross.* 2. *p.* 95. *t.* 87.* *Gœrtn. fruct.* 1. *p.* 309. *t.* 65. *f.* 1. *Sims bot. mag. t.* 926. *Meerb. ic.* 25. *Mart. in Mill. dict. n.* 5. *Ait. h. Kew.* 2. *v.* 3. *p.* 316. *Smith! in Rees cycl. n.* 11. *Willd. sp.* 2. *p.* 1223.
Hab. in Ukraniâ (Zinn.), in Sibiriâ et Verainiâ (Gmel.), prope flumen Tanais Volga et Terek locis riparum præruptis (Sims.), ad Caucasum *Fischer*, in Tauriâ *Beaupré*. ♃. fl. maio. jun. (v. s. sp. et v. c.).
Planta glabra, ante florescentiam Adonidem pyrenaicam ferè simulans; radicis truncus repens; caulis erectus 1-2-pedalis; folia 8-10 sparsa prope florem magis conferta gerens; folia multipartita, laciniis subulatis; flos terminalis, solitarius, P. officinali minor, purpureus; ovaria 2-3 pilos purpureos gerentia; capsulæ patentes ferrugineo-villosæ.

13. Pæonia laciniata. †

P. herbacea, capsulis tomentosis patentibus, foliis biternatìm sectis, segmentis multipartitis, laciniis linearibus.

P. laciniata. *Willd. enum.* 573.
Hab. in Sibiriâ (Willd.). ♃.
Similis P. tenuifoliæ, sed caulis altior et foliorum laciniæ latiores (Willd.). An mera varietas?

†. *Pæoniæ vix notæ.*

14. Pæonia cretica. *Clus. hist.* 1. *p.* 281. — P. folio subtùs incano flore albo vel pallido *C. Bauh. pin.* 323. — Hab. in Cretâ.
15. Pæonia simplex niveo flore. *Clus. hist.* 1. *p.* 281. — P. folio subtùs incano flore albo vel pallido. *Tourn. inst.* 274. — Hab. in regni Navarræ montibus.
16. Pæonia hyemalis pumila rosæ rubræ monoflore. *Hort. cath. ex Tourn. inst.* 274.
17. Pæonia III. *Clus. hist.* 1. *p.* 280. — P. pomi aurantii colore. *C. Bauh. pin.* 323. *Tourn. inst.* 274.

ORDO SECUNDUS.

DILLENIACEÆ.

Incertæ sedis. Lin. — Magnoliarum et Rosacearum gen. Juss. — Dilleniaceæ. DC. *Ann. mus.* 17. *p.* 400. *Theor. p.* 213. *Ess. prop. ed.* 2. *p.* 71. — Ranunculaceis aff. Sims. — Dilleneæ. Salisb. *par. n.* 73.

Car. diff. Sepala 5 persistentia. Petala 5 decidua. Stam. ∞, antheris adnatis, introrsis aut lateralibus. Ovaria 1-styla, ∞ aut abortu coalitioneve solitaria. Albumen carnosum. — Frutices arboresve. Folia simplicia, sæpissimè alterna.

Fruct. Partes floris numero quinario dispositæ; Tegumenta per æstivationem imbricata; Sepala persistentia, 2 exteriora, 3 interiora. Petala decidua 1-serialia hypogyna. Stamina ∞, toro inserta; filamenta filiformia, plana, basi aut apice dilatata, libera aut polyadelpha, regulariter circa ovaria sita aut unilateralia; antheræ adnatæ, loculis rimâ longitudinali sæpiùs dehiscentibus, introrsis lateralibusve nunquàm extrorsis. Ovaria plurima (sæpiùs 2-5), interdùm abortu solitaria aut in unicum coalita, monostyla, stigmatibus simplicibus. Carpella unilocularia, membranacea baccata aut bivalvia, libera coalitave, stylo acuminata; semina ovata, duplici serie ad loculorum angulum interiorem adfixa, plurima aut dua, abortu tantùm solitaria, nunc nuda nunc arillo pulposo cincta. Spermoderma duriusculum; albumen carnosum subcartilagineum semini conforme: embryo minutus erectus inferus ad basim albuminis.

Veg. Arbores frutices suffruticesve. Folia ferè semper alterna, rarissimè opposita, simplicia, penninervia, integra aut dentata, sæpiùs coriacea et persistentia, nunc petiolata, nunc sessilia basi angustata sæpè supra basim amplexicaulem transversè secta parte inferiore persistente, in cunabulis juniora lateribus conduplicata (ex cl. Salisb.). Stipulæ nullæ aut rariùs Magnoliarum more convolutæ. Flores solitarii racemosi aut paniculati, terminales, sæpiùs flavi et Cistorum flores subæmulantes.

Vir. Vix notæ. Folia corticesque astringentes, nec amari nec aromatici.

Hist. Species tempore C. Bauhini et etiam ferè Tourne-

fortii omnes ignotæ, à Linnæo 3, à Willdenowio 21 memoratæ, nunc 96 cognitæ. Ex iis 51 habitant in Australasiâ, 21 in Indiâ regionibusque vicinis, 3 in Africâ æquatoriali, 21 in Americâ æquatoriali, nullæ in Hemisphæræ borealis regionibus temperatis, nam Tigarea tridentata Pursh huic ordini non pertinet et inter Rosaceas memoranda erit sub nomine Pursiæ tridentatæ.

Aff. Ordo non satis notus quoad notas genericas et etiam quoad caracteres ordinales, sed ut videtur distinctissimus. Ex caractere valde ad Ranunculaceas accedit sed differt calyce persistente, antheris non extrorsis et præsertìm habitu! Distinguitur à Magnoliaceis et Annonaceis numero partium floralium quinario nec ternario plurimisque aliis notis. Habitu nunc Cistineis nunc Rosaceis affinis, sed à prioribus ovariorum pluritate seminumque ad angulum interiorem adhærentiâ, à posterioribus petalis et staminibus toro nec calyci insertis abundè distinctus. — Delimaceæ ad Acteam Zanthorizam et Clematidem habitu et flore paululùm accedunt; Dilleneæ et præsertìm Dillenia ovariorum dispositione necnon antherarum structurâ ad Magnoliaceas magis accedunt.

CONSPECTUS GENERUM.

Tribus 1. Delimaceæ.

Staminum filamenta apice dilatata utrinque antheræ loculos discretos subrotundosque gerentia.

1. Tetracera. Flores sæpiùs dioïci aut polygami. ♂ Stam. ∞. ♀ Carpella 3-5, capsularia, sepalis imbricatis cincta.
2. Davilla. Stam. ∞. Carpellum 1 testaceum 1-2-spermum sepalis 2 interioribus accretis concavis oppositis valvæformibus inclusum.
3. Doliocarpus. Stam. ∞. Carpellum 1 baccatum, 1-2-spermum.
4. Delima. Stam. ∞. Carpellum 1 capsulare 1-2-spermum.
5. Curatella. Stam. ∞. Carpella 2 capsularia 1-2-sperma.
6. Trachytella. Stam. ∞. Carpella 1-2 baccata ∞-sperma.
7. Recchia. Stam. 10. Ovaria 2.

Tribus II. Dilleneæ.

Staminum filamenta apice non dilatata, antheræ loculos elongatos oblongosve gerentes.

8. Pachynema. Stam. 7-10 libera; Filamenta basi incrassato-dilatata. Ovaria 2-3; styli subulati.
9. Hemistemma. Stam. ∞ unilateralia, exteriora sterilia squamiformia. Ovaria 2; styli filiformes.
10. Pleurandra. Stam. 5-20 unilateralia, omnia fertilia. Ovaria 2. Styli filiformes.
11. Candollea. Stam. ∞ polyadelpha. Ovaria 2-5; styli filiformes.
12. Adrastæa. Stam. 10 libera æqualia; Filamenta plana margine loculos oblongatos gerentia. Ovaria 2; styli recti conico-subulati.
13. Hibbertia. Stam. ∞ libera filiformia æqualia; antheræ ovali-oblongæ. Ovaria 1-15; styli filiformes inflexi.
14. Wormia. Stam. ∞ libera filiformia æqualia. Ovaria 5 distincta; styli filiformes; stigmata emarginata.
15. Colbertia. Stam. ∞ libera, 10 cæteris multò longiora. Ovaria 5 coalita? stigmata capitata.
16. Dillenia. Stam. ∞ libera æqualia. Carpella 10-20 coalita in baccam-spuriam multilocularem stigmatibusque radiantibus coronatam.

Tribus prima. — DELIMACEÆ.

Car. Staminum filamenta filiformia apice dilatata et utrinque antheræ loculos discretos subrotundos gerentia. Ovaria 1-5; styli filiformes acuti. Carpella capsularia utriculiformia aut baccata, sæpiùs 1-2-sperma. — Arbores fruticesve interdùm scandentes; Folia alterna exstipulata, sæpiùs tactu scabra et ad ligna polienda utilia; Flores racemosi aut paniculati.

I. TETRACERA.

Tetracera. Lin. *gen. n.* 683. Juss. *gen.* 339. Gærtn. *fr.* 1. *p.* 336. *t.* 69. Lam *ill. t.* 485. — Tigarea. Aubl. *guian.* 2. *p.* 290. Juss. *gen.* 339. Lam. *ill. t.* 485. *non* Pursh. — Rhinium. Schreb. *gen. n.* 1545. — Euryandra. Forst. *gen.*

n. 41. Juss. *gen.* 280.— Assa. Houtt. *pflanz.* 4. *p.* 20. — Wahlbomia. Thunb. *act. holm.* 1790. *p.* 215. *t.* 9. Lam. *ill. t.* 485.

Fr. Flores abortu dioïci aut polygami. Calyx 4-6-sepalus, sepalis subrotundis in alabastro imbricatis, persistentibus, post anthesin sæpè accretis concavis, uno ex interioribus alterum marginibus involvente. ♂ Stamina ∞ apice dilatata. ♀ Ovaria 3-5. Styli simplices acuti; capsulæ totidem latere interiori dehiscentes, subbivalves; semina 1-2 ovata nitida arillata.

Veg. Frutices aut arbusculæ, sæpè scandentes; rami teretes; folia alterna petiolata glabriuscula, sæpiùs supernè scabra, ovalia, integra aut dentata, penninervia, coriacea, sempervirentia; flores paniculati aut racemosi.

Hab. Species 18 sylvarum dumetorumve incolæ, omnes ferè ex regionibus æquatorialibus ortæ, 10 ex Americâ, 3 ex Africâ, 4 ex Indiâ, 1 è Novâ-Caledoniâ.

Obs. Nomen Tetraceræ non omninò convenit ob carpella numero variabilia, sed antiquius et ideò servandum. Tigarea Aubletii, et ideò Rhinium Schreberi, est Tetraceræ individuum masculum cujus calyx connivens pro fructu descriptus fuit. Euryandra et Assa nullo modo à Tetraceris veris differunt. Wahlbomia ex caractere Thunbergiano differre videtur sed ejus icon adeò Tetraceræ leiocarpæ similis ut forsan pro eâdem specie habenda nec ullo modo genericè distinguenda. Tigarea Purshii est genus inter Rosaceas proprium mihi Purshia dictum.

1. Tetracera volubilis.

T. foliis obovatis obtusis apice subsinuatis scaberrimis, floribus paniculatis laxiusculis, pedunculis velutinis.

Arbor Americana convolvulacea, *broad-leaf* id est platyphyllos Barbadensibus dicta foliis serratis. *Pluk. alm.* 48. *t.* 146. *f.* 1.

Fagus Americana ulmi amplissimis foliis capsulis bigemellis. *Pluk. amalth.* 87.

Petræa floribus spicatis scabris Lauri foliis. *Anm. h. bos.* 581?

Arbor Brasiliana fagi folio flore racemoso. *Breyn. exot.* 20. *t.* 6.

Tetracera. *Lin! hort. cliff.* 214. *Mill. dict.*

T. volubilis. *Lin! sp.* 617. (*excl. Brown et Sloan. syn.*) *Swarts. obs.* 220. *Vahl. symb.* 3. *p.* 71. *Gærtn. fr.* 1. *p.* 336. *t.* 69. *f.* 3. *Willd. sp.* 2. *p.* 1242.

Hab. in insulis Barbadensibus (Pluk.), Brasiliâ (Breyn.), et in Americâ meridionali circa Panamam. *Joseph de Jussieu.* ♄ ⌒. (v. s. sp. in h. Juss.).

Rami teretes, juniores cum pediculis velutini; folia utrinque scaberrima obtusissima obovata basi cuneata subrugosa, petiolo semi pollicari; Panicula ramosa multiflora; calyx 5-10-sepalus; capsulæ ad apicem pilis nonnullis vestitæ, cæterùm glabræ, stylo acuminatæ.

2. Tetracera oblongata.

T. foliis oblongis obtusis utrinque scabris sinuato-dentatis, floribus in racemum simplicem densum congestis, pediculis glabris.

Hab. in Brasiliâ circa Sebastianopolim. *Commerson.* ♄ ◠. (v. s. sp. in h. Juss. Thouin.).

Affinis T. volubili, sed distincta ramis pedunculisque glaberrimis; foliis potiùs oblongis quàm obovatis, angustioribus, basi magis attenuatis; floribus paucioribus in racemum simplicem congestis; capsulis glaberrimis lævibus. Semina nigra et ex Commersonio arillo tenui rubro obvoluta, et in capsulis bivalvibus solitaria.

3. Tetracera lima.

T. foliis oblongis obtusis basi cuneatis utrinque scabris integris, pedunculis paniculatis pubescentibus.

T. lima. *Willd! ined. in herb. Bonpland.*

Hab. in Brasiliâ. *Willd.* ♄ (v. s. sp. in h. Bonpl.)

Rami juniores tenuissimè pubescentes nec patentim hispidi; folia oblonga obtusa basi attenuata cuneata integra, utrinque aspera, supernè sublucida fuscata, subtùs vix pallidiora, pennatim nervosa, nervulis subreticulata et secus eos subpubescentia, 2 poll. longa, 8-10 lin. lata. Pedunculi axillares ramosi folii circiter longitudine et paniculam foliaceam conficientes, pubescentes, ebracteati. Sepala 5 subrotunda, 2 exteriora patula parva, 3 interiora ante et post anthesin concava conniventia. Petala oblonga obtusa angusta calyce paulò longiora, 3 in specimine, 2 forsan deciduis.

4. Tetracera acuminata.

T. foliis ovali-oblongis acuminatis serrulatis utrinque scabris, pedunculis racemosis pubescentibus.

Hab. in Americâ meridionali? *h. Thibaud.* ♄. ◠ (v. s. sp.).

Rami subscandentes teretes, juniores vix ac ne vix subpubentes, adulti glabri grisei. Folia oblongo elliptica acuminata, basi secus petiolum subattenuata, 3 poll. longa, pollicem lata, penninervia, nervulis lateralibus 10-11 apice in serraturam acutam desinentibus, utrinque scabra, subtùs in sicco subrufescentia, petiolo 4 lin. longo; racemi terminales subramosi tenuissimè pubescentes; alabastra globosa; sepala 2 exteriora brevissima, 3 interiora orbiculata.

5. Tetracera Jamaïcensis.

T. foliis ovali-oblongis acutiusculis basi secus petiolum

longè productis utrinque sublævibus subserrulatis, pedunculis racemosis glabris subasperis.

Hab. in Jamaïcâ. *Wiles* ♄ (v. s. sp. in h. Lamb.).
Rami teretes sublæves pallidè fuscescentes, epidermide in ramulis secedente, circa foliorum originem diutiùs remanente; Ramuli pedunculique tactu subasperi. Folia coriacea, glabra, utrinque tactu vix ac ne vix subaspera, in sicco pallidè viridia, ovali-oblonga, apice acutiuscula, basi attenuata imò secus petiolum ad basim usque decurrentia (et ideò petiolus semi-pollicaris marginatus canaliculatus) penninervia, nervis subtùs prominulis, margine subintegra serraturas scilicet minimas vix notandas ad ramulorum apices gerentia, 6-7 poll. longa, 2-3 lata; pedunculi erecti racemosi parùm ramosi, pedicellis brevibus simplicibus approximatis unifloris aut basi ramosis; calyx persistens, sepalis ovatis obtusis; capsulæ 2-4 læves magnæ stylo remanente aristatæ; flores non vidi.

6. Tetracera ovalifolia.

T. foliis ovalibus obtusis integerrimis utrinque scabriusculis, pedunculis racemosis subvelutinis.

Hab. in Cayennâ. *Patris.* ♄. (v. s. sp.)
Rami teretes glabri subasperi subfusci; petioli semi-teretes supernè canaliculati, pollicem ferè longi; folia coriacea ovalia utrinque obtusiuscula, apice submucronata, integra, ut in Fago penninervia, glabra, tactu subaspera, in sicco fuscescentia, 4-5 poll. longa, 2-3 lata; racemi terminales subramosi, ramulis patentibus brevibus, inferioribus 4-5-floris, superioribus 1-2-floris; flores hermaphroditi aut abortu sexûs unius subpolygami; sepala 5 subrotunda, exteriora dorso subvelutina, interiora margine subciliata; petala calyce longiora; stamina ∞ calyce breviora apice subdilatata, etiam circa capsulas maturas interdùm persistentia; capsulæ 4-5 nitidæ glabræ oblongæ acutæ bivalves, valvis subintroflexis; semina 1-2 nigra ovata nitida, arillo nullo aut caduco, albumine albo duro subcorneo.

7. Tetracera multiflora.

T. foliis ovalibus subobtusis apice sinuato-dentatis secus petiolum subproductis lævibus, paniculâ multiflorâ, pedicellis glabris.

Hab. in Parâ. ♄. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)
Rami teretes glabri læves in sicco fusci; folia alterna, petiolo semi-pollicem longo submarginato instructa, ovalia obtusa aut vix subacuta, omninò lævia, in sicco fuscescentia, nitida, pennatìm nervosa, apice subsinuato-dentata coriacea; panicula ramosa multiflora terminalis; bracteæ oblongo-lineares acutæ petiolis subfoliaceis similes; pedicelli glabri bracteati; sepala 5 orbiculata obtusissima glabra, 3 exteriora parva, 2 interiora magna; petala 5 obovata sepalis interioribus vix longiora caduca; stam. ∞. ♀ Flores ignoti.

8. Tetracera alnifolia.

T. foliis ovali-oblongis obtusis aut subacutis glabris supernè subasperis subtùs lævibus apice subdenticulatis, pedunculis paniculatis subpubescentibus.

T. alnifolia. *Willd. sp.* 2. *p.* 1243.* *Poir. dict.* 7. *p.* 601.

T. potatoria. *Afz! ined.*

Hab. in sylvis Guineæ (Willd.) et Sierræ-Leonæ. *Afz.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.).

Rami teretes glabri, juniores vix ac ne vix tactu asperi; folia breviter petiolata oblonga aut subelliptica, basi angustata, penninervia, nervis ut in Alno prominulis oppositis, apice obtusa aut subacuta, supernè glabra vix ac ne vix aspera viridia venisque impressis notata, subtùs sublævia pallidissimè subferruginea, marginibus serraturas minimas nervos quosque terminantes gerentibus, interdùm saltem in sicco subrevolutis et tunc primâ fronte integris; flores paniculati; calyx 5-sepalus, extùs bracteis 2-3 sepala æmulantibus sed brevioribus arctè stipatus; sepala persistentia imbricata ovato-obtusa, extùs glabra, intùs sericeo-villosa; petala obovata calyce vix longiora decidua; stamina brevissima apice subdilatata; ovaria 4 basi glabra, apice pubescentia, monostyla.

9. Tetracera obovata.

T. foliis obovatis obtusis basi attenuatis lævibus subtùs rufo-subvelutinis integris, floribus paniculatis.

Hab. in Senegaliâ (h. Dupui). ♄. (v. s. sp. in h. Juss. et Deless.).

Folia obovata obtusa basi attenuata breviter petiolata integra plana penninervia, supernè lævia glabra, subtùs rufescentia oculo armato tenuissimè subvelutina, nervis subtùs subprominulis; flores paniculati; bracteolæ minutissimæ; sepala 5 suborbiculata glabra; petala 5 flava orbicularia; stam. ∞; ovaria et styli 3, interdùm 2. — An forsan Curatellæ species?

10. Tetracera Senegalensis.

T. foliis ovalibus subacutis integerrimis lævibus, pedunculis paniculatis multifloris.

Hab. in Senegaliâ. *Adanson. Roussillon.* ♄. (v. s. sp. in h. Juss.).

Arbor 15 pedes alta, virgis elongatis sarmentosis (Adans.); rami teretes fusci; folia alterna, breviter petiolata, palmam longa, ovalia, basi subattenuata, apice obtusa cum acumine, coriacea, penninervia, supernè lævia sublucida, subtùs subfusca vix ac ne vix scabriuscula, integerrima; panicula ex ramis plurimis multifloris, inferioribus axillaribus, composita, elongata; calyx 5-sepalus glaber, sepalis suborbiculatis; petala 3 (Ad.); ovaria 3-4 monostyla.

11. Tetracera lævis.

T. foliis oblongis acuminatis subintegerrimis lævibus, racemis terminalibus simplicibus.

T. lævis. *Vahl. symb.* 3. *p.* 71.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1242. *Poir. dict.* 7. *p.* 602

Hab. in Indiâ orientali (Vahl.). ♄. (v. s. sp. in h. Deless.)

Folia brevissimè petiolata, basi attenuata, supernè subdentata, 2-3 poll. longa, glabra, venosa, lævia; flores subracemosi, pediculo terminali solitario aut gemello, pedicellis 1-2-floris. Cal. sepala 6 subrotunda. Capsulæ 4 subrotundo-ventricosæ mucronatæ glaberrimæ nitidæ 1-spermæ; semen nigrum nitidum arillo albo denticulato semi-tectum. (Vahl.)

12. Tetracera Euryandra.

T. foliis ovalibus obtusis integerrimis lævibus, pedunculis paniculato-racemosis pubescentibus.

Euryandra scandens. *Forst! prod. n.* 228. *gen. n.* 41. *t.* 41. *Lam. ill. t.* 483.

T. Euryandra. *Vahl. symb.* 3. *p.* 71. *Willd. sp.* 2. *p.* 1242.* *Poir. dict.* 7. *p.* 602.

Hab. in Novâ-Caledoniâ. *Forster. Labill.* ♄ ⌒. (v. s. sp.).

Frutex scandens sempervirens ex omni ferè parte glaber; rami tortuosi teretes; folia ovalia basi attenuata obtusa integerrima, breviter petiolata, 4-5 poll. longa, 2-3 lata, utrinquè lævia, supernè atro-viridia sublucida, subtùs subrufescentia, penninervia, nervis lateralibus utrinque 6-8 prominulis; paniculæ terminales racemosæ; pedunculi pubescentes; bracteæ oblongæ pubescentes; flores hermaphroditi; sepala 5 orbiculata glabra aut exteriora minora extùs subpubentia; petala 3 oblonga, calyce longiora; stamina ∞ apice dilatata; ovaria 3; styli brevissimi apice subbifidi; capsulæ 3 ovatæ divaricatæ læves; semina 2 ovata nigra arillo amplo laciniato cincta.

13. Tetracera Rheedii.

T. foliis oblongis utrinquè acuminatis integerrimis lævibus, paniculâ ramosâ subdichotomâ, floribus 4-sepalis.

Acara-pats jotti. *Rheed. malab.* 5. *p.* 15. *t.* 8. *

Hab. in Malabariæ locis montanis et petrosis in Candenata. fl. sept. et octob. ♄ ⌒. (Rh.)

Affinis videtur T. Assæ, sed differt foliis magis oblongis et integerrimis. — Flores candidissimi suaveolentes paniculati numerosi; sepala 4 subrotunda; stamina albicantia; antheræ carneæ; carpella 4 atro-rubentia nitentia (Rheed.). Flores ex icone videntur polygamo-monoïci.

14. Tetracera Assa.

T. foliis ovalibus utrinquè acuminatis subdenticulatis supernè lævibus, subtùs pediculisque pubescentibus, paniculâ 4-5-florâ, sepalis 4 glabriusculis.

Ay-assa. *Rumph. amb.* 7. *p.* 20?? *ex Houtt.*

Assa Indica. *Houtt. pflanz. syst.* 4. *p.* 40. *t.* 26. *f.* 1.

Assa exotica. *Gmel. syst.* 839.

Tetracera Malabarica. *Lam. ill. t.* 485. *f.* 1. *Poir. dict.* 7. *p.* 602. *

Hab. in Indiâ orientali. ♄. (v. s. sp.)

Rami graciles subangulati, juniores pediculique pubescentes; folia ovalia seu oblonga, brevissimè petiolata, utrinquè acuminata, serraturis exsertis paucis à medio ad apicem instructa, supernè lævia glabra subnitida, subtùs subreticulata in nervis pubescentia, 2 poll. longa, pollicem circiter lata; panicula terminalis subcorymbosa ebracteata 4-5-flora; calyx 4-sepalus, sepalis extùs glabris, 2 ovatis, 2 orbiculatis, omnibus concavis margine ciliolatis; petala 4 obovata calyce paululùm longiora; ♂ stamina innumera apice dilatata; ♀ capsulæ 4 compressæ nitidæ glaberrimæ stylo acuminatæ bivalves; semina 3-4 nigra ovata exarillata.

15. Tetracera Wahlbomia. †

T. foliis ellipticis acuminatis apice serratis basi stipulatis? subtùs pediculisque pubescentibus, paniculâ 4-5-florâ, sepalis 4 extùs villosis.

Wahlbomia Indica. *Thunb. act. holm.* 1790. *p.* 215. *t.* 9. * *Lam. ill. t.* 485. *Willd. sp.* 2. *p.* 1244. *Poir. dict.* 8. *p.* 783.

Hab. in Javâ (Thunb.). ♄.

Frutex à solo Thunbergio visus et forsan à priori non satis distinctus. — Rami alterni teretiusculi cinereo-villosi erecto-patuli; folia breviter petiolata elliptico-ovata acuminata, infernè integra, supernè serrata, suprà viridia, subtùs pallidiora parùm villosa, patentia, digitalia; stipulæ 2 lanceolatæ caducæ; flores in pediculis terminales subumbellati; umbella simplex aut composita sub-4-flora; pedicelli filiformes villosi patuli ebracteati; sepala 4 ovata obtusa concava extùs villosa; petala 4 calycis longitudine, ovata flavescentia; stamina ∞ petalis breviora; ovaria 4 oblonga; styli 4 persistentes; carpella 4 stylis rostrata (Thunb.).

16. Tetracera Tigarea.

T. foliis subrotundis subrepandis utrinquè ramulisque scabris, paniculis ramosis multifloris.

Tigarea aspera. *Aubl! guian.* 2. *p.* 920. *t.* 350. * *Lam. ill. t.* 226. *Poir. dict.* 7. *p.* 660.

T. aspera. *Willd. sp.* 2. *p.* 1241.

Hab. in sylvis Guianæ et Cayennæ. *Aublet. Patris.* ♄ ⌒. fl. januar. (v. s. sp.).

Frutex volubilis excelsas arbores scandens ramosissimus undiquè sub tactu pilis minimis uncinatis asper; stipulæ 2 parvæ caducæ; folia alterna, petiolo 4 lin. longo instructa, ovato-orbiculata submucronata penninervia integra aut vix sinuato-repanda, utrinquè scabra, 3 poll. longa, 2½ circiter lata; panicula ramosissima multiflora ex pedunculis aliis axillaribus aliis terminalibus constans; calyx persistens sepalis exterioribus demùm reflexis, interioribus conniventibus, ovatis orbiculatisve, concavis; petala 4-5 alba concava rotundata; ♂ stamina numerossima; ♀ capsulæ 4-5 rufescentes bivalves. — Hæc species cum sequenti à Gallis Cayennensibus dicitur *Liane rouge* ob colorem hujus in aquâ infusionis quæ contra morbos venereos adhibetur.

17. Tetracera ? tomentosa.

T. foliis ovatis acuminatis dentatis, supernè glabris, subtùs ramulisque tomentosis.

Tigarea dentata. *Aubl! Guian.* 2. *p.* 920. *t.* 351.* *Poir. dict.* 7. *p.* 660.
T. tomentosa. *Willd. sp.* 2. *p.* 1241.
Hab. in Cayennæ sylvis. *Aubl.* ♄. (v. s. sp. sine fl. in h. Banks.).
Ramuli et folia utrinquè villis mollibus adpressis subsericeis (non verè tomentosis) onusti; petioli 4-6 lin. longi; folia coriacea ovali-oblonga, 4 poll. longa, 2 poll. lata, acuminata, penninervia, basi integra, apice serrata, serraturis exsertis aristato-acuminatis, subtùs rufescentia, nervis prominulis; flores ignoti.

18. Tetracera erecta.

T. foliis obovatis, apice subobtusis acutè dentatis, basi attenuato-cuneatis, paniculâ ramosissimâ.

T. erecta. *Sessé et Moç. fl. mex. icon. ined.*
Hab. in Mexico. (S. et M.). ♄.
Rami teretes erecti apice subvelutini; folia breviter petiolata, aut potiùs in petiolum attenuata, obovata, penninervia, nervis pallidis subtùs prominulis, ultimis apice ferè productis in dentes acutos paucos exsertos, apice cæterùm obtusato nec acuminato ut in T. tomentosâ cui similis quoad folii formam; panicula terminalis ampla erecta ramosa multiflora; bracteæ parvæ ovales caducæ; pedicelli flore breviores; sepala 5 obtusissima; petala 5 albida ovalia; stam. ∞; ovaria 4-5, 1-styla; capsulæ patentes fuscæ stylo acuminatæ, rimâ supernè dehiscentes; semina solitaria? globosa, arillo magno lacero cincta; flores in icone videntur hermaphroditi aut polygamo-monoici. (Descr. ex. ic. pict.).

II. DAVILLA.

Davilla. VAND. *fl. lus. et bras. prod.* 115. *t.* 2. *f.* 14.

FR. Calyx 5-sepalus, sepalis 3 exterioribus minimis, 2 interioribus magnis concavis, post anthesin fructum staminaque includentibus oppositis valvæformibus. Petala 2-3. Stam. ∞. Ovarium 1. Stylus 1. Stigma capitatum. Capsula testacea 1-sperma subsphærica. Semen subglobosum.

VEG. Arbor Tetraceræ aut Delimæ habitu valdè affinis et inter eas quasi media.

OBS. A Tetracera differt, 1°. floribus hermaphroditis; 2°. ovario unico; 3°. stigmate capitato nec acuto; 4°. sepalis 2 interioribus post anthesin accretis concavis oppositè valvatìmque conniventibus, nec ut in Tetraceris uno alterum involvente.

1. Davilla Brasiliana.

Hab. in Brasiliâ. *Dombey*. ♄. (v. s. sp. in h. Juss.).
Frutex Tetraceræ oblongatæ similis, rami teretes, adulti cortice cinereo rugoso, juniores et pedunculi pilis patentibus in sicco subflavidis hispidi; folia alterna, oblonga, breviter petiolata, basi attenuata et secus petiolum subdecurrentia, obtusa aut subacuminata, integra aut serraturis raris acutis hinc indè notata, supernè glabra aspera, subtùs in nervis pilos patentes gerentia, 2 et ultrà poll. longa, vix pollicem lata; panicula brevis pauciflora terminalis ramosa; pedicelli hispidi ebracteati; flores virescentes aut rufescentes fructum mentientes ob sepala 2 interiora maxima concava capsuliformia genitalia fructumve omninò includentia.

III. DOLIOCARPUS.

Doliocarpus. Roland. *act. holm.* 1756. *p.* 249. *t.* 9. Schreb. *gen. n.* 874. Juss. *gen.* 433. Gmel. *syst.* 305. — Calinea. Aubl. *guian.* 1. *p.* 556. Juss. *gen.* 434. — Soramia. Aubl. *guian.* 1. *p.* 219. Juss. *gen.* 433. — Mappia. Schreb. *gen. n.* 1755. — Tetraceræ sp. Willd.

Fr. Calyx 5-sepalus persistens, sepalis concavis inæqualibus; petala 3-5 subrotunda; stam. ∞ apice dilatata; ovarium 1, globosum; stylus 1 sæpiùs incurvus; bacca subcarnosa indehiscens 1-locularis 2-sperma. Semina arillata. (Rottb.)

Veg. Frutices sæpiùs sarmentosi Tetraceræ facie.

Hab. Species 4 Americæ æquinoxialis incolæ.

1. Doliocarpus Rolandri.

D. caule scandente, foliis oblongis acuminatis apice dentatis, pedunculis lateralibus unifloris, floribus tripetalis.

D. caule scandente foliis ovatis dentatis pedunculis lateralibus unifloris. *Roland. act. holm.* 1756. *p.* 260. *t.* 9. *f.* 1. 2. 3.
D. Rolandri. *Gmel. syst.* 805.
D. scandens. *Poir. suppl.* 2. *p.* 497.
Tetracera doliocarpus. *Willd. sp.* 2. *p.* 1241.
Hab. in Surinamo (Rol.). ♄ ⌒. fl. octob.
Caulis scandens; folia ovata acuminata serraturis paucis acutis exsertis; pedunculi laterales 1-flori; sepala 5 oblongo-rotundata concava inæqualia; petala 3; stam. ∞ calyce longiora; stylus flexuosus; bacca globosa. (Rol.).

2. Doliocarpus strictus.

D. caule stricto, foliis ovato-lanceolatis dentatis deflexis, floribus terminalibus tripetalis.

D. caule stricto, foliis deflexis ovato-lanceolatis dentatis, floribus terminalibus. *Roland. act. holm.* 1756. *p.* 49.

D. major. *Gmel. syst.* 805.
Tetracera stricta. *Willd. sp.* 2. *p.* 1241.
D. strictus. *Poir. suppl.* 2. *p.* 498.
Hab. in Surinamo (Rol.). ♄.

3. Doliocarpus Calinea.

D. caule scandente, foliis oblongis acuminatis integerrimis, pedunculis lateralibus multifloris, floribus tripetalis.

Calinea scandens. *Aubl. Guian.* 1. *p.* 556. *t.* 221.*
D. calinea. *Gmel. syst.* 805.
Soramia. *Lam. ill. t.* 463. *f.* 2.
Tetracera calinea. *Willd. sp.* 2. *p.* 1241.
Hab. in sylvis Guianæ. *Aublet.* ♄ ◠. fl. aprili. (v. s. sp. in h. Desf.)
Frutex super arbores scandens; caules plurimi nodosi ramosi; folia rigida glabra breviter petiolata elliptico-oblonga acuminata integra; racemi axillares folio multò breviores conferti; bracteæ 2 ad singuli pedunculi basim; sepala 5 suborbiculata, 2 exteriora minora; petala 3 alba orbiculata denticulata; stam. ∞ apice dilatata; stylus 1 curvus; stigma concavum infundibuliforme; ovarium 2-spermum. (Aubl.)

4. Doliocarpus ? Soramia.

D. caule scandente, foliis obovatis integerrimis, pedunculis lateralibus subcorymbosis, floribus 5-petalis.

Soramia Guianensis. *Aubl. Guian.* 1. *p.* 552. *t.* 219.* *Lam. ill. t.* 463. *f.* 1. *Poir. dict.* 7. *p.* 233.
Mappia. *Schreb. gen. n.* 1755.*
Tetracera obovata. *Willd. sp.* 2. *p.* 1241.
Hab. in Guianâ ad ripas fluvii Sinemari. *Aublet.* ♄ ◠. fl. maio. (v. s. sp. in h. Desf.).
Frutex super arbores scandens; rami subtuberculosi; folia utrinquè lævia, penninervia, nervis lateralibus oppositis, subcrassa, petiolata, obovata, basi angustata, subobtusa, integerrima; pedunculi axillares subcorymbosi, rubentes, folio breviores, 7-10-flori, ramulis gracilibus; calyx 5-sepalus persistens, extùs viridis, intùs rubens, demùm carnosus; petala 5 alba orbiculata; stam. 60 apice dilatata; ovarium 1 sphæricum; stylus incurvus; stigma latum rotundatum; bacca ovata, cerasi magnitudine et colore, carne firmâ acidulâ; semen 1 album extùs viscosum. (Aubl.).

IV. DELIMA.

Delima. LIN. *amœn.* 1. *p.* 403. SCHREB. *gen. n.* 905. JUSS. *gen.* 339. GÆRTN. *fr.* 2. *p.* 112. *t.* 106. LAM. *ill. t.* 475. — Tetraceræ sp. VAHL. WILLD.

FR. Calyx 5-sepalus persistens. Petala 4-5 subrotunda. Stam. ∞. Ovarium 1 subrotundum. Stylus 1. Stigma capita-

tum. Capsula membranacea bivalvis 1-locularis. Semina arillata, solitaria ex Vahlio, aut duo baccata albumine truncato cartilagineo radiculâ inferâ donata ex Gærtnero.

Veg. Frutices scandentes Tetraceræ aut Doliocarpi facie. Flores interdùm abortu dioïci.

Hab. Species 6 æquatoriales, 3 Indicæ, 3 Americanæ.

1. Delima sarmentosa.

D. foliis ovali-oblongis serratis rigidis scabris, floribus hermaphroditis paniculatis, ovariis capsulisque glabris.

Koroswael. *Herm! zeyl.* 19.
Frutex Indicus sarmentosus foliis hispidis rigidis ad quamvis materiem lævigandam commodissimus. *Burm. zeyl.* 101.
Delima. *Lin. fl. zeyl. n.* 205.*
D. sarmentosa. *Lin. sp.* 736. *amœn.* 1. *p.* 403. *Burm. ind.* 122. *t.* 37. *f.* 1. *Lam. dict.* 2. *p.* 266. *ill. t.* 475.
Tetracera sarmentosa. *Vahl. symb.* 3. *p.* 70. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1240. *excl. syn. Rheed.*
Hab. in Ceylonâ. *Herman.* ♄ ⌒ (v. s. sp.).
Folia ovata, breviter petiolata, apice serrata, rigida, scabra, penninervia, nervis subtùs prominulis supernè impressis, marginibus in sicco subrevolutis; panicula laxa nuda foliis longior, ramulis subvillosis; calyx 5 (Lam.) aut 6 (Vahl.) sepalus; petala 0 (Lin.); stamina calyci æqualia (Lin.); capsula ovata glabra bivalvis stylo acuminata; semen 1 parvum nigrum arillo denticulato infernè cinctum (Vahl.) — Nomina zeylanica *Koroswael* et *Korossawael* à verbo *Korossa* lævigare, ad usum foliorum politorium alludunt.

2. Delima hebecarpa.

D. foliis obovatis subcrenulatis scabris, floribus hermaphroditis paniculatis, ovariis capsulisque pubescentibus.

Hab. in Javâ *Lahaie*, insulis Philippinis *Commerson*, insulâ Principis *S. Jos. Banks.* ♄ ⌒. (v. s. sp.).
In omnibus partibus cum D. sarmentosâ convenit, sed folia obovata nec ovali-oblonga, vix ac ne vix crenulata nec serrata; ovarium et capsula ipsa pubescens; semina semi-arillata. — Stirps à Commersonio *Bois de rape* dicta huic valdè similis est, sed folia ovalia subsinuato-dentata. An species altera?

3. Delima Mexicana.

D. foliis ovalibus obtusiusculis basi subattenuatis glabris serratis, floribus dioïcis paniculatis secus ramulos sessilibus fasciculatis.

D. Mexicana. *Sessé et Moç. fl. mex. ic. ined.*
Hab. in Mexico. ♄ ⌒.

Frutex sarmentosus; rami teretes virides glabri; folia brevissimè petiolata, basi secus petiolum vix ac ne vix producta, ovalia, obtusa, penninervia, serrata, nervis lateralibus nempè in serraturas desinentibus, utrinquè glabra, nervis subtùs subvelutino-rufis, 4 poll. longa, 2 lata; paniculæ terminales erectæ; rachis teres pubescenti-velutina subrufescens; pedunculi gemini, infimi ex axillâ folii superioris, cæteri ex axillâ bracteæ minimæ acutæ, patentes, inæquales, subramosi; flores secus ramulos sessiles subfasciculati aut interruptè conferti; sepala 5 suborbiculata obtusissima subconcava pubescentia, 2 exteriora breviora; petala 5 ovalia ferè obovata alba; ♂ stam. ∞ petalis paulò breviora; antheræ ovatæ; ♀ ovarium ovatum in stylum rectum acutum desinens; fructus 1-locularis 1-spermus ovatus stylo acuminatus subsiccus, bivalvis? semen ovatum crassum reticulatum. (Descr. ex. ic. pict.).

4. Delima Guianensis.

D. foliis oblongis utrinquè acuminatis glabris lævibus subserratis, floribus dioïcis axillaribus breviter pedicellatis, fructibus globosis pubescentibus.

D. Guianensis. *Rich! ined.*
Hab. in Guianâ. *Richard.* ♁ ⌒ (v. s. sp. ♀ in h. Rich.)
Baccæ siccæ duplò majores quàm in D. sarmentosâ velutinæ dispermæ; flores masculi ignoti (Rich.). An potiùs Doliocarpi species?

5. Delima nitida.

D. foliis lanceolato-oblongis scabris integerrimis, floribus hermaphroditis paniculatis.

Tetracera nitida. *Vahl. symb.* 3. *p.* 70.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1242.*
Hab. in insulâ Trinitatis? (Vahl.). ♁.
Rami glabri; ramuli pilosiusculi scabri; folia in nervis subtùs scabra, supernè sulcata vix ac ne vix subdentata, juniora tenuissimè supernè subsquamulosa; racemi ex axillis superioribus orti, ramosi, folio longiores; bractea ovata ad basin pedicellorum; sepala 5 margine ciliata; petala 4; stam. ∞ apice dilatata; ovarium ovatum acutum glabrum; stylus longitudine staminum; stigma subpeltatum. (Vahl.).

6. Delima? piripu.

D? foliis ovali-oblongis margine undulato-crenatis mollibus, floribus paniculatis hermaphroditis pentandris.

Piripu. *Rheed. mal.* 7. *p.* 101. *t.* 54.*
Hab. in Malabariâ culta circa Pananie, Ainacoti, etc. fl. decemb. (Rheed.) ♃.
Frutex; caules teretes geniculati ad genicula foliosi; folia oblongo-rotunda, cuspidata, circa oram crispata et leniter crenata, mollia, lenia, viroris in rectâ parte saturi; costa media in tergo eminet; stipulæ oblongæ magnæ oppositifoliæ? flores parvi, paniculati, candidi, pentapetali; stamina 5; antheræ cæruleæ; florum gemmæ oblongæ nitentes; fructus conici duri fusci; semina 2 nigra. (Rh.). — Certò à D. sarmentosâ (ad

quam à cl. Willdenowio relata fuit) distincta! an hujus generis? an imò hujus ordinis?

V. CURATELLA.

Curatella. Lin. *gen. n.* 679. Juss. *gen.* 282. Lam. *ill. t.* 479.

Fr. Calyx persistens, patens, 4-5-sepalus, sepalis subrotundis inæqualibus; Petala 4-5-subrotunda. Stamina ∞. Ovaria 2 subrotunda basi subcoalita; styli filiformes; stigmata capitata. Capsulæ 2 bivalves introrsùm dehiscentes persistentes hirsutæ 1-loculares 1-2-spermæ. Semina ovata nitida.

Veg. Arbusculæ; folia ovata aspera; petioli alati: flores racemosi aut paniculati.

Obs. Caracter è solâ C. Americanâ; altera species ad hoc genus ex ovariorum numero tantùm relata et forsan aliena.

1. Curatella Americana.

C. foliis ovatis subrepandis subdenticulatis asperrimis secus petiolum decurrentibus, racemis ramosis lateralibus.

C. Americana, polygonum arborescens? Curata vulgò. *Læfl. itin.* 260. *n.* 135.

C. Americanâ. *Lin. sp.* 248. *Aubl! Guian.* 1. *p.* 579. *t.* 232.* *Lam. dict.* 2. *p.* 227. *illustr. t.* 479. *Willd. sp.* 2. *p.* 1223.

Hab. in Americâ meridionali (Læfl.), in montium Guianæ Courou dictorum pratis arenosis. *Aubl.*, in planitiebus Calabozo provinciæ Caracasanæ. *Humb. et Bonpl.* ♃. fl. fr. augusto. (v. s. sp.)

Arbuscula trunco tortuoso apice ramoso 7-8-pedali, cortice scabro, in areas deciduas variè secto; rami sparsi; folia breviter petiolata ovata sinuata undulata, nervis lateralibus ultra marginem mucronatìm subexsertis, glabra supernè asperrima, subtùs pallidiora reticulatìm confertè venosa paulò minùs aspera; racemi ex ramis veteribus orti ramosi laterales; bractea ovata sub quoque racemi ramulo et pedicello; sepala subrotunda extùs pubescentia demùm reflexa; petala alba calycis ferè longitudine; stam. circiter 60 alba, antheris luteis; ovaria subglobosa hispida; styli glabri. — Cayennenses foliis utuntur ad polienda ligna (Aubl.) et ad hunc usum nomen in linguâ caribæâ alludit.

2. Curatella? alata.

C. foliis ovalibus integerrimis lævibus utrinquè obtusis, petiolis alatis, paniculâ terminali.

C. alata. *Vent! choix. p.* 49 *t.* 49.*

Hab. in Guianâ. *Martin.* ♄. (v. s. sp. in h. Deless.)

Rami teretes, juniores adpressè pubescentes, demùm glabri; folia alterna exactè ovalia, utrinque obtusa, subtùs in petiolo et nervis villis ad-

pressis subrufis pubescentia, cæterùm utrinquè glabra lævia, supernè atro-viridia, subtùs glauca, penninervia nervulis subtùs prominentibus supernè impressis, petiolo ala foliacea marginato; panicula terminalis; pedunculi ramosi angulosi bracteolati villis rufis pubescentes; alabastra globosa; sepala 5 orbiculata concava imbricata extùs villis rufis sericeis villosa, intùs glabra; cætera non vidi. — An forsan, suspicante cl. R. Brown, Wormiæ species?

VI. TRACHYTELLA. †

Actæa et Calligonum. Lour. *fl. coch. ed.* Willd. 1. *p.* 405 *et* 418. *non* Lin.

Fr. Calyx persistens 4-5-sepalus. Petala 4-5. Stam. ∞. Ovaria 1-2, monostyla. Baccæ 1-2 polyspermæ.

Veg. Frutices scandentes; folia alterna, aspera; flores albi racemosi.

Obs. Genus omninò dubium et soli Loureiro cognitum; evidenter hæ duæ species hic conflatæ inter se sunt valdè affines, à generibus Linnæi Actæa nempè et Calligono diversissimæ, et ad Delimaceas referendæ; à cæteris Delimaceis differunt tantùm baccis poly nec mono aut dispermis; ambæ Chinam habitant et foliis asperrimis ad polienda opera etiam stannea adhibitis, undè nomen (ex τραχυτης asperitas) generis composui.

1. Trachytella Actæa.

T. foliis lanceolatis subserratis, racemis spicatis linearibus interruptis.

Actæa aspera. *Lour. fl. coch. ed. Willd.* 1. *p.* 405. *
Hab. inculta prope Cantonem Sinarum. ♃ ◠. (Lour.).
« Caulis fruticosus scandens acirrhus inermis multiplex ramosus; folia » lanceolata subserrata aspera alterna; flos albus axillaris, racemis spi- » catis, spicis linearibus interruptis; corolla et calyx 4-fidi aut cal.-4- » sepalus cor. 4-petala; stam. ultra 50 receptaculo inhærentia; stylus obli- » quus; bacca supera gibba exsucca 1-locularis ∞-sperma; foliis, cùm » sint asperrima, utuntur indigenæ ad polienda quælibet opera maximè ex » stanno (Lour.) ».

2. Trachytella Calligonum.

T. foliis ovatis integerrimis, racemis subdivisis.

Calligonum asperum. *Lour. fl. coch. ed. Willd.* 1. *p.* 418. *
Hab. in sylvis Cochinchinæ. ♃ ◠. (Lour.).
« Caulis fruticosus scandens inermis acirrhus longus ramosus; folia ovata » integerrima asperrima glabra alterna; flos albus, racemis subdivisis

» terminalibus; calyx 5-sepalus, albo-viridis, apice ruber, sepalis subro-
» tundis concavis patentibus; corolla sæpiùs 0, aliquoties petala 4 rotunda
» concava patentia; stam. ∞ hypogyna; stigma sessile obtusum pro-
» fundè bipartitum; baccæ 1 aut 2 basi connatæ 1-loculares ∞-spermæ ».
» — Hujus cum Delimæ affinitatem Loureirus ipse memorat.

VII. RECCHIA. †

Recchia. Sessé et Moc. *fl. mex. ic. ined.*

Fr. Calyx 5-sepalus, sepalis ovatis æqualibus patentibus. Petala 5 oblonga, sepalis alterna et longiora, basi attenuata apice subdenticulata; Stamina 10. Ovaria 2 globosa glabra; Styli filiformes breves; Stigmata capitata transverse dilatata fructus. . . . .

Veg. Frutex ramosus, ramis tortuosis, junioribus angulatis; folia alterna ovalia aut oblonga; flores secus ramos superiores subracemosi breviter pedicellati subebracteati; Petala flava.

Obs. Genus soli Curatellæ videtur affine sed differt staminibus 10 nec ∞, stigmatibus dilatatis, ovariis glabris et habitu.

Nom. Dicatum cl. Nardo Antonio Reccho qui Thesaurum Mexicanum Hernandezianum collegit ac in ordinem digessit.

1. Recchia Mexicana.

R. Mexicana. *Sessé et Moc. fl. mex. ic. ined.*
Hab. in Mexico. ♄. (fl. m.).

Tribus secunda. — DILLENEÆ.

Dilleneæ. Salisb. *par. lond. n.* 73.

Car. Staminum filamenta apice non dilatata sed subattenuata; antheræ elongatæ adnatæ; Ovaria, sæpiùs 2-5 distincta, rariùs solitaria, aut 5-20 subcoalita. — Arbores frutices suffruticesve rarissimè scandentes.

VIII. PACHYNEMA.

Pachynema. R. Brown. *ined.*

Fr. Sepala 5 subrotunda concava persistentia; Petala 0; Stam. 7-10, filamentis basi crassissimis erectis apice atte-

nuatis, antheris ovatis terminalibus. Ovaria 2-3 ovata in stylos subulatos desinentia. Fructus. . . . .

VEG. Suffrutex Australasicus glaber ramosissimus aphyllus Ephedræ facie, ramulis compressis, ad margines hinc indè dentiferis, dentibus ex axillâ floriferis.

1. Pachynema complanatum.

P. complanatum. *R. Brown! ined.*
Hab. ad Carpentariam. *R. Brown.* ♃ ♄ (v. s. sp.).
Suffrutex erectus; rami juniores ferè ut in Platylobio scolopendrio compressi fasciati, sed angustiores, hinc indè ad margines denticulis acutis brevibus (foliorum vestigiis) distantibus subdentati; rami veteres subteretes; folia præter denticulos nulla; flores ex denticulorum axillis orti, solitarii aut gemini; pedicelli flore breviores tenuissimi 1-flori; flores 4 lin. diam.

IX. HEMISTEMMA.

Hemistemma. JUSS. *ined.* PETIT-TH. *gen. nov. p.* 18. POIR. *supl.* 3. *p.* 39. — Aglaia. NOR? *ex* PETIT-TH. — Helianthemi sp. PERS.

FR. Calyx 5-sepalus, sepalis ovatis subconcavis extùs velutinis; Petala 5 apice obtusa aut emarginata, 2 inter se paulò remotiora; Stamina innumera, non circulariter sed lineâ rectâ ad unicum pistilli latus inserta; filamenta brevia; antheræ oblongæ; Stam. exteriora sterilia squamiformia. Ovaria 2 villosa libera aut imâ basi subcoalita, 1-styla; Capsulæ 2 oligo aut monospermæ; Semina arillo membranaceo cincta; albumen carnosum.

VEG. Suffrutices elegantes habitu Cistos subæmulantes; Folia oblonga ovalia aut linearia, opposita aut alterna, integerrima, coriacea, supernè glabra nitida, subtùs albida tomento brevissimo confertissimo subvelutina. Pedunculi multiflori, axillares aut inter ramulos oppositos orti; flores secus pedunculos sessiles unilaterales; bracteæ 2-3 sub quoque flore.

AFF. Genus distinctissimum soli Pleurandræ affine!

HAB. E speciebus 6 huc usquè notis, 2 foliis oppositis subtùsque venis glabris reticulatis donatæ in insulâ Madagascariensi habitant, 4 foliis alternis subtùs uniformiter tomentosis in Novâ-Hollandiâ crescunt.

§. I. *Oppositifolia, Madagascariensia, staminibus sterilibus apice spatulatis, petalis emarginatis.*

1. Hemistemma Commersonii.

H. foliis oppositis ovali-oblongis mucronatis, pedunculis tomentosis.

Helianthemum coriaceum, var. *α. Pers! ench.* 2. *p.* 76.
Hab. in Madagascar. *Commerson.* ♄. (v. s. sp.)
Rami teretes fusci; folia pollicem longa, 4-5 lin. lata, ovalia suboblonga mucronata, supernè glabra nitida nervo medio impresso notata, subtùs nervo prominulo penninervio venisque glabris cæterùm confertissimè velutina alba, petiolo brevissimo; pedunculi inter ramulos oppositos orti, calycesque tomentoso-lanati, tomento nempè laxo nec ut in foliis adpressissimo.

2. Hemistemma Aubertii.

H. foliis oppositis oblongo-lanceolatis basi attenuatis apice acutis, pedunculis glabriusculis.

Helianthemum coriaceum var. *β*, angustifolium. *Pers! ench.* 2. *p.* 76.
Hab. in Madagascar. *Aubert du Petit-Thouars.* ♄ (v. s. sp.).
Priori simillimum; folia oblonga sesqui-pollicem longa, 4-5 lin. lata, basi magis attenuata, subtùs paulò minùs alba magis autem rufescentia; pedunculi pubescentes nec tomentosi, sæpè axillares aut inter ramos oppositos orti; calyces adpressè sericeo-pubescentes. — A Madagascariensibus *angzavidi* dicitur (PT.).

§. II. *Alternifolia Australasica, staminibus sterilibus linearibus, petalis obtusis.*

3. Hemistemma dealbatum.

H. foliis alternis obovato-oblongis basi attenuatis apice obtusis mucronatis, subtùs pube adpressissima candicantibus.

H. dealbatum. *R. Brown! ined.*
Hab. in Novæ-Hollandiæ terrâ Arnheimicâ. *R. Brown.* ♄. (v. s. sp.)
Rami juniores angulati pube confertâ brevissimâ cinerascentes, adulti subteretes glabrati; folia alterna, brevissimè petiolata, oblonga subovata, basi attenuata, apice obtusa, mucrone longo acuto recto terminata, supernè glabra lævia, subtùs etiam in nervis pube conferta brevi velutina candicantia, 2 poll. longa, 8-9 lin. lata; pedunculi angulati foliis longiores subpubescentes; bracteolæ persistentes, juxta florem quemque duæ, 1 ovata, altera lineari-subulata; flores 8-12 secundi sessiles; sepala ovali-oblonga concava extùs sericea, pubescentia villosave, intùs glabra nitida; petala ovalia obtusa, basi attenuata, 5 lin. longa, calyce ideò lon-

giora decidua; stamina exteriora linearia sterilia aliis breviora; ovaria 2 tomentoso-hirsuta globosa subcoalita; styli glabri filiformes.

4. Hemistemma Banksii.

H. foliis alternis oblongis basi angustatis apice obtusis subtùs tomentosis.

H. Banksii. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ ad Endeavour-River. *S. Jos. Banks.* ♄. (v. s. sp. comm. à cl. R. Brown.)

Rami teretes, nascentes velutino-tomentosi cinerascentes, adulti glabri subfusci; folia brevissimè petiolata subsessilia alterna oblonga basi attenuata obtusa, mucrone destituta, sesquipollicem longa, 5-6 lin. lata, superna glabra subrugulosa, subtùs tomento denso subrufo etiam in nervis velutino-hirsuta; pedunculi foliis vix longiores, pube rufâ velutino-tomentosi, apice 3-5-flori; flores sessiles secundi; bracteæ calycesque villis sericeis subadpressis velutino-tomentosi; cætera ut in priori.

5. Hemistemma angustifolium.

H. foliis alternis longis linearibus acutis subtùs candicantibus.

H. angustifolium. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ terrâ Arnheimicâ *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Rami teretes gracillimi, juniores vix velutino-pubescentes, adulti glabri rufo-fusci; folia alterna sessilia, exactè linearia, 2 pollices longa, semilineam lata, acuta; supernè glabra, subtùs (nervo medio excepto) pube adpressissimâ candicantia; pedunculi foliorum circiter longitudine, pube rufâ adpressâ subvelutini; flores 6-7 sessiles secundi; bracteæ calycesque pube adpressâ rufâ subsericeâ velutini.

6. Hemistemma? Lechenaultii.

H? foliis alternis oblongis basi attenuatis apice truncatis subemarginatis subtùs candicantibus.

Hab. in Novâ-Hollandiâ et in insulis Sti-Francisci. *Lechenault.* ♄ (v. s. sp.).

Suffrutex erectus ramosissimus, ramis teretibus succo resinoso flavo ferè omninò ad apicem tectis; folia alterna, oblonga, sublinearia, basi attenuata, apice obtuso-truncata aut emarginata, 4-6 lin. longa, 1-2 lata, brevissimè petiolata, supernè glabra succo resinoso sæpè picea, subtùs (nervo medio glabro excepto) tomento niveo adpresso conferto candida; flores minimi axillares solitarii brevissimè pedicellati, in speciminibus mihi obviis nondùm explicati. — Ex speciminum in herb. Musæi Parisiensis servatarum superscriptione à cl. Lechenault scripta, hæc stirps ad Annonaceas esset referenda, undè ovaria plura verosimiliter vidit; sed ex affinitate foliorum summa cum Hemistemmatibus aliis hic dubitanter revoco.

X. PLEURANDRA.

Pleurandra. Labill. *Nov.-Holl.* 2. *p.* 5. *t.* 143 *et* 144.

Fr. Sepala 5 ovalia persistentia. Petala 5 sæpiùs obcordata. Stamina 5-20 unilateralia, omnia fertilia, filamentis filiformibus liberis aut imâ basi subcoalitis, antheris ovalibus; ovaria 2 (rariùs 1), globosa, 1-styla; styli filiformes; carpella membranacea 1-2-sperma.

Veg. Suffrutices ramosissimi; folia sparsa confertave, integra, linearia oblonga obovatave, uninervia, rariùs enervia. Flores flavi, ad apices ramulorum solitarii.

Hab. Species 20 omnes in Novâ-Hollandiâ spontaneæ.

Div. Ex habitu et staminibus petita nempè:

§. 1. *Daphnoïdeæ*, staminibus liberis, foliis oblongis obovatisve majusculis glabris. . . . . Sp. 1-3.

§. 2. *Alyssoïdeæ*, staminibus liberis, foliis oblongis obovatisve pube stellatâ scabris. . . . . Sp. 4-7.

§. 3. *Hibbertianæ*, stam. liberis, foliis linearibus glabris aut pube non stellatâ scabris patulis. . . . . Sp. 8-18.

§. 4. *Candolleanæ*, stam. basi monadelphis, foliis linearibus erectis. . . . . Sp. 19-20.

Obs. Pleurandræ eleutherandræ (§. 1. 2. 3.) videntur Hibbertiæ ad stamina pauca unilateralia cæterorum abortu reductæ: Pleurandræ autem monadelphæ (§. 4.) Candolleæ ad unicam staminum adelphiam cæterorum abortu reductæ; forsan ideò hæc sectio pro genere proprio in posterum habenda erit?

§. I. *Daphnoïdeæ*, staminibus basi liberis, foliis oblongis obovatisve majusculis planis glabris.

1. Pleurandra bracteata.

P. foliis oblongis subglabris mucronulatis, bracteis circa flores sessiles confertis extùs sericeo-villosis, ovariis hirsutissimis.

P. bracteata. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ circa Port-Jackson. *Lechenault. Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Suffrutex elegans, Pultenæam Daphnemve collinam habitu æmulans, erectus, ramosissimus; rami teretes cinereo-fusci, juniores adpressè pubescentes; folia alterna, oblonga, basi subangustata, obtusa cum mucrone

brevi acuto, integerrima, coriacea, margine subrevoluta, supernè glabra subglauca, subtùs pallidè subferruginea, et juniora sub lente adpressè pubescentia, ad apices ramorum sub floribus conferta, 7-8 lin. longa, 2-3 lata; flores terminales sessiles solitarii, foliis superioribus approximatis, summis brevioribus extùs sericeo-villosis bracteati; sepala 5 oblonga apice acuminata aristata (indè alabastrum acuminatissimum) extùs villis sericeis subferrugineis hirsuta; petala 5 calycis longitudine patentia bifida lobis obtusis; stam. 12 unilateralia, petalis breviora, filam. antheræ linearis longitudine; ovaria 2 (rariùs 1) imâ basi subcoalita villis confertis hirsutissima; styli antherarum longitudine. — Variat foliis latioribus obovatis ut in Daphne collinâ, et angustioribus oblongis ferè ut in Daphne cneoro.

2. Pleurandra nitida.

P. foliis oblongis glabris mucronatis, bracteis paucis subscariosis glabris, ovariis tomentosis.

P. nitida. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ circa Port-Jackson. *R. Brown.* ♄. (v. s. sp.)

Priori affinis sed ex omni parte (ovariis exceptis) glaber; rami teretes rufo-fusci; folia oblonga, acuta, mucronata, basi attenuata, integerrima, glabra, lævia, glauca pallidave, 9-10 lin. longa 2-3 lata, uninervia, cæterùm avenia; ramuli floriferi alii axillares brevissimi, alii terminales, omnes foliola 3-5 parva oblongo-linearia subscariosa bracteiformia gerentes; sepala exteriora oblonga aristato-acuminata, interiora ovalia mucronata, 4 lin. longa, glaberrima, rufescentia; petala obcordata calycis longitudine; stamina 7-8 unilateralia; ovaria 2 globosa tomentoso-villosa cana; styli filiformes glabri.

3. Pleurandra cneorum.

P. foliis oblongis basi angustatis obtusis bracteis calycibusque glabris, ovariis subglabris.

Hab. in Novâ-Hollandiâ. *Caley.* ♄ (v. s. sp. in h. Lamb.).

Suffrutex ramosissimus erectus priori affinis; rami fusci, teretes, juniores subpubentes; folia oblonga basi angustata subcuneata obtusa uninervia integerrima glabra, lætè viridia, 6-7 lin. longa, 2 lin. lata, ad apices ramorum subconferta, floralia parva pauca subscariosa; flores ad apices ramulorum sessiles solitarii; alabastra oblonga; sepala glabra oblonga vix acuta, apice summo sub lente ciliolata, 3-4 lin. longa; petala oblonga cuneata calyce vix longiora apice emarginata aut obtusa; stam. 12-15 unilateralia calyce breviora; antheræ ovatæ; ovaria 2 subglabra globosa.

§. II. *Alyssoïdeæ*, staminibus basi liberis, foliis oblongis obovatisve utrinquè aut subtùs pube stellatâ velutinis.

4. Pleurandra sericea.

P. foliis oblongis margine revolutis supernè subpilosis subtùs velutinis, ramis hirsutis, floribus sessilibus.

P. sericea. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ littore orientali et ad fretum Bassii. *Lechenault*, ad portum Philip. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Suffrutex erectus ramosus; rami teretes, villis longis confertis è basi plurimis solitariisve hirsuti, adulti epidermide secedente aut denudatâ glabrati; folia in ramulis floriferis conferta, in aliis sparsa, oblonga, obtusiuscula, marginibus revoluta, 6 lin. longa, 2 lata, supernè pilis sparsis sericeis aliis simplicibus aliis vix substellatis pilosula, nervo medio subtùs prominulo iisdem pilis obsito, paginâ inferiore cæterùm pube conferta brevi stellata tomentoso-velutina candicante; ramuli floriferi brevissimi; folia floralia conferta; flores solitarii, terminales inter folia sessiles, flavi, 5-6 lin. diam.; sepala 5, 2 exteriora oblongo-lanceolata extùs villosa, 3 interiora ovalia mucronata margine membranacea dorso subvillosa; petala obcordata calyce paulò longiora; stam. 7-8 brevia unilateralia; ovarium 1 globosum hirsutissimum.

5. Pleurandra cinerea.

P. foliis oblongis margine revolutis utrinquè velutinis, ramis subvillosis, floribus breviter pedicellatis.

P. cinerea. *Brown! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ orâ australi loco *Memory Cove* dicto. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Suffrutex ramosissimus; rami teretes, pube stellatâ cinereâ confertâ velutini, pilis longioribus subvillosi, adulti epidermide secedente glabri fusci; folia conferta, oblonga aut subobovata, basi angustata, obtusa, margine revoluta, uninervia, integra, 5 lin. longa, 2 lin. lata, utrinquè pube minimâ cinereâ confertâ stellatâ velutina, subtùs paululùm albidiora; flores ad ramulorum apices solitarii, breviter pedicellati, bracteâ subulatâ velutinâ immediatè sub calyce stipati; sepala 5, 3 exteriora oblonga acuminata 2-3 lin. longa, extùs velutina, 2 interiora ovalia obtusa dorso extùs velutina margine membranacea; petala obcordata calyce paulò longiora; stam. 7-8 brevissima unilateralia; ovaria 2 globosa hirsutissima.

6. Pleurandra furfuracea.

P. foliis oblongis planis obtusis supernè subscabris subtùs tomentoso-velutinis, ramis velutinis, floribus pedicellatis.

P. furfuracea. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ loco *King's Georges Sound* anglicè dicto. *R. Brown. Lechenault.* ♄ (v. s. sp.).

Suffrutex ramosus; rami teretes, pube stellatâ confertâ tomentosi, demùm epidermide secedente glabri; folia sparsa oblonga obtusa basi subangustata uninervia, 9-10 lin. longa, 3 lin. lata, plana marginibus nempè vix ac ne vix subrevolutis, supernè juniora villis subsericeis è basi 2-4 stellatis villosa, demùm villis stellatis distantibus evanidisve basibusque subtuberculosis scabra, subtùs villis stellatis confertissimis tomentoso-velutina incana; pedicelli pollicem ferè longi, laterales, 1-flori, pilis stellatis velutini, bracteolam oblongam calyce longiorem foliis similem immediatè sub calyce gerentes; sepala 5, 2 exteriora ovata aut ovato-

oblonga foliis similia patentia, 3 interiora breviora ovata obtusissima margine membranacea dorso velutina, intùs etiam tenuissimè subvelutina; flos 6-7 lin. diam.; petala obcordata, profundè biloba, sepalis interioribus longiora, externis breviora; stam. 8-10 brevissima 1-lateralia, antheræ oblongæ; ovarium 1 globosum hirsutissimum.

7. Pleurandra parviflora.

P. foliis obovatis basi cuneatis supernè scabris subtùs ramisque velutinis, floribus pedicellatis.

P. parviflora. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ littore occidentali prope Port-Jackson. *R. Brown. Lechenault.* ♄. (v. s. sp.)

Suffrutex humilis ramosus; rami gracillimi teretes pube confertâ stellatâ velutini, adulti crassiores fusci glabrati; folia sparsa obovata subcuneata apice obtusa basi angustata 4-5 lin. longa 2-3 lata integra uninervia utrinquè pube stellata villosa, sed stellulis supernè distinctis undè pagina superior scabra, subtùs confertissimis tomentumque albidum constituentibus; ramuli floriferi axillares basi 2-4-folii apice nudi 1-flori; flores parvi 3 lin. circiter diam.; sepala 5 ovalia mucronata extùs pube minima subvelutina; petala. . . . . stamina 3-5 calyce breviora; ovarium 1 globosum hirsutissimum.

§. III. *Hibbertianæ*, staminibus basi liberis, foliis linearibus oblongisve parvulis patentibus glabris aut pilis non stellatìm scabris.

8. Pleurandra ovata.

P. foliis ovatis obtusis supernè subscabris subtùs lævibus, floribus pedicellatis, calycibus pilosiusculis, ovariis pilosis.

P. ovata. *Labill! nov. holl.* 2. *p.* 5. *t.* 143. *

Hab in insulâ Van-Diemen. *Labillardière.* ♄ (v. s. sp.).

Caules diffusi pedales ramosi virgati tenues fusco-brunnei subasperi, juniores subpubentes; folia ovata obtusa integerrima uninervia 3-4 lin. longa, 2-3 lata, supernè glabra subscabra (albis minimisque maculis, Borragineanum more ferè, notata), subtùs glabra; pedicelli terminales gracillimi nudi 1 flori; sepala ovalia vix exteriora acuminata pilis longis sparsis præsertìm juniora hispida; petala obcordata calyce longiora; stam. 9-12 unilateralia calyce breviora; antheræ ovali-oblongæ; ovaria 2 globosa pilosa 2-sperma ex cl. Labill.

9. Pleurandra scabra.

P. foliis oblongis obtusis supernè scabris subtùs subcanescentibus, floribus pedicellatis, calycibus subglabris, ovariis tomentosis.

α. Foliis oblongo-linearibus.

P. scabra. *R Brown ! ined.*

β. Foliis oblongo-ovalibus.

P. ovata var. *Labill. nov. holl.* 2. *p.* 5. *t.* 143 ?

Hab. in Novâ-Hollandiâ propè Port-Jackson. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Var. α frutex humilis erectus ramosissimus ; rami rufo-fusci pube stellatâ brevissimâ et pilis longioribus sparsis scabrelli ; folia oblongo-linearia sparsa integra obtusa marginibus revoluta, supernè pilis minimis squamulisve albidis scabra, subtùs subcanescentia subscabra pilis nempè raris minimis, 4 lin. longa, lineam lata ; pedicelli 4 lin. longi ex apice ramulorum orti nudi gracillimi 1-flori ; sepala 2 exteriora lanceolata acuminata, 3 interiora ovalia obtusa, omnia extùs subglabra pube nempè minimâ ad basim subinstructa ; petala profundè obcordata calyce longiora ; stamina 7-8 unilateralia calyce breviora ; ovaria 2 tomentosa.

Var. β media ferè inter P. scabram et ovatam : ad P. ovatam accedit habitu magis diffuso, foliis ferè ovalibus vix ac ne vix margine revolutis, sed propiùs P. scabræ attinet ob calyces subglabros acuminatos, stamina 7-8 et folia subtùs subcanescentia. An species propria ?

10. Pleurandra riparia.

P. foliis linearibus obtusiusculis margine subrevolutis subglabris, floribus sessilibus, calycibus glabris, ovariis hirsutis.

P. riparia. *R. Brown ! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ *Caley*, ad fluviorum ripas in insulâ Van-Diemen. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Suffruticulus erectus ; rami teretes tenues, juniores subvelutini cinerascentes, epidermide secedente demùm rufi glabri ; folia linearia subobtusa, juniora lentis ope vix ac ne vix velutina, mox glabra, nervo medio lato subtùs prominente, marginibus subrevolutis, subtùs ideò quasi bisulcata, 3-4 lin. longa, vix lineam lata ; flores ad apices ramulorum sessiles solitarii ; sepala oblonga brevissimè mucronata 3-4 lin. longa glabra ; petala obcordata apice emarginata calyce paulò longiora ; stamina 5-7 unilateralia ; antheræ oblongæ filamentis longiores ; ovaria 2 globosa hirsuto-tomentosa.

11. Pleurandra pedunculata.

P. foliis linearibus obtusis glabris margine subrevolutis, floribus pedicellatis, calycibus ovariisque glabris.

P. pedunculata. *R. Brown ! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ orâ australi loco Lucky-Bay dicto. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Suffrutex humillimus ramosissimus, ramis ramulisque glabris, pulvinis tumidulis ; folia linearia obtusa glabra sublævia marginibus revoluta crassiuscula, 3-5 lin. longa, lineam lata ; pedicelli ex apice ramulorum orti, filiformes 1-flori nudi, 6 lin. longi, post anthesin persistentes ; sepala ovali-oblonga obtusa glabra margine membranacea ; petala . . . . stamina 7-8 unilateralia, filamentis longissimis, antheris oblongis ; ovaria 2 glabra subglobosa ; styli longi.

12. Pleurandra empetrifolia.

P. foliis linearibus obtusis margine subrevolutis supernè subnitidis subtùs velutinis, floribus pedicellatis, calycibus subglabris, ovariis hirsutis, staminibus 5.

Hab. in Novâ-Hollandiâ. *Herot.* ♄ (v. s. sp. in h. Lambert.).
Caulis humilis ramosissimus; rami teretes tenues, apice summo velutini, cæterùm glabri; folia linearia suboblonga obtusa marginibus revoluta, 3-4 lin. longa, lineam lata, uninervia, secus ramulos sparsa, supernè adulta glabra nitidula, juniora pilis sparsis instructa, subtùs lentis ope tenuissimè velutina; pedicelli gracillimi foliis paulò longiores, terminales, 1-flori; sepala ovalia mucronulata, margine membranacea, dorso sub lente subpubentia; petala oblongo-cuneata apice bifida calyce longiora; stamina 5, filamentis brevissimis, antheris ovali-oblongis; ovaria 2 globosa hirsuta.

13. Pleurandra intermedia.

P. foliis linearibus obtusis margine revolutis supernè subnitidis subtùs subpubentibus, floribus pedicellatis, calycibus glabris, ovariis hirsutis, staminibus 10-15 subsparsis.

Hab. in montibus Novæ-Hollandiæ. *Caley.* ♄ (v. s. sp. in h. Lamb.).
Caulis erectus ramosus; rami teretes, juniores pubentes, adulti glabri fusci epidermide longitudinaliter secedente; folia linearia, obtusa, marginibus revoluta, supernè lucida subscabra, subtùs juniora saltem subpubentia, 4 lin. longa, patentia, in ramulis conferta; pedicelli 1-flori, graciles, foliis breviores, ex apice ramulorum orti; flores parvi; sepala ovalia obtusa glabra interiora margine membranacea; petala obovata basi cuneata calyce longiora; stamina 10-15 calyce breviora, ad unicum pistilli latus confertiora ad alterum rariora et ideò medium inter Hibbertiam et Pleurandram occupantia; ovaria 2 hirsuta globosa. — Ad Pleurandram hanc adjunxi speciem ob summam cùm P. empetrifoliâ et P. ericifoliâ affinitatem.

14. Pleurandra ericifolia.

P. foliis linearibus obtusiusculis margine revolutis supernè scabris subtùs subpubentibus, floribus sessilibus, calycibus subvillosis, ovariis hirsutis.

Hab. in Novâ-Hollandiâ *Caley.* ♄ (v. s. sp. in h. Lambert.).
Suffrutex ramosissimus; rami teretes tenues, juniores hirsuto-pubescentes, adulti epidermide secedente glabri; folia linearia subacuta integerrima, marginibus revoluta, supernè aspera pilosa, subtùs subpubentia, patentia, 3-4 lin. longa, ad apices ramulorum conferta; flores sessiles solitarii terminales; alabastra ovalia acuminata; sepala oblonga, exteriora acuminata extùs villosula margine ciliata, interiora obtusiora margine membranacea; petala obcordata calyce paulò longiora; stamina 10-12

unilateralia brevia ; antheræ oblongæ filamentis longiores; ovaria 2 globosa hirsuta. — Species affinis Hibbertiæ pedunculatæ, sed floribus sessilibus et notis genericis differt.

15. Pleurandra hypericoïdes.

P. foliis linearibus obtusis margine revolutis supernè scabris subtùs incanis, floribus pedicellatis, calycibus subpubentibus, ovariis velutinis.

Hab. in Novæ-Hollandiæ orâ orientali, ad rivum Cygnorum. *Lechenault.* ♄. (v. s. sp. in h. Mus. Par.).

Suffrutex ramosissimus Rosmarinum Hypericave angustifolia æmulans; rami teretes glabri tenues; folia nunc alterna nunc in iisdem individuis opposita aut ad apices ramulorum conferta subverticillata, linearia, obtusa, marginibus revoluta, supernè atro-viridia scabra, subtùs incana, 5-6 lin. longa, lineam lata; flores terminales solitarii pedicellati, pedicello nudo foliis ferè æquali; sepala ovata aristata extùs vix pubescentia; petala basi lato-cuneata ferè obcordata, nempè bifida, lobis obtusis divaricatis, sinu acuto; stamina 11 unilateralia, filamentis brevissimis, antheris linearibus; ovaria 2 velutina subglobosa.

16. Pleurandra enervia.

P. foliis linearibus subacutis enerviis glabris, floribus sessilibus, calycibus obtusis mucronulatis ovariisque glabris.

Hab. in Novâ-Hollandiâ. *King.* ♄ (v. s. sp. in h. Lamb.).

Caules humiles ramosissimi; rami teretes graciles, etiam juniores glabri; folia linearia, in ramulis conferta, glabra, integra, enervia, vix acuta, 3-4 lin. longa, semi-lineam lata; flores ad apicem ramulorum sessiles solitarii; alabastra ovata; sepala ovalia obtusa glabra mucrone parvo calloso terminata, interiora margine submembranacea, 3 lin. longa, 2 lata; petala basi cuneata subobcordata apice obtusissima seu emarginata calyce paulò longiora; stamina 15-20 brevissima uniserialia, interdùm tamen 1-2 ad alterum pistilli latus inserta; ovaria 2 glabra.

17. Pleurandra acicularis.

P. foliis linearibus apice acuminato-aristatis lævibus, floribus pedicellatis, calycibus subhispidulis mucronatis, ovariis hirsutis.

P. acicularis. *Labill. Nov.-Holl.* 2. *p.* 6. *t.* 144.*

Hab. in capite Van-Diemen (Labill.), in Novæ-Hollandiæ montibus. *Caley in h. Lamb.*, circa Port-Jackson. *R. Brown.* ♄ (v. v. sp.).

Caules virgati ramosi graciles; rami laxi tenues glabri; folia linearia acuminatissima quasi aristata integerrima, ferè enervia nervo nempè vix prominulo, supernè glabra, subtùs tenuissimè oculo armato pubentia, 4-5 lin. longa, laxa patentia sparsa; flores terminales pedicellati solitarii; sepala ovali-oblonga, exteriora mucronato-acuminata basi hispi-

dula, interiora margine membranacea; petala obcordata calycis circiter longitudine; stamina 7-8 calyce paulò breviora; antheræ oblongæ filamentis longiores; ovaria 2 hirsuta 2-sperma.

18. Pleurandra acerosa.

P. foliis lineari-subulatis margine revolutis supernè scabris subtùs lævibus, floribus pedicellatis, calycibus subscabris subacutis, ovariis villosis.

P. acerosa. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ orâ australi loco *Lucky bay* dicto *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Suffrutex humillimus ramosissimus; rami glabri, juniores subsulcati, adulti teretes; folia sparsa, pulvino elevato suffulta, lineari-subulata, 6-lin. longa, semilineam lata, marginibus revoluta, supernè punctulis in sicco albidis scabra, subtùs nervo medio tantùm apparente glabra lævia; pedicelli ex apicibus ramulorum solitarii graciles 1-flori, 4 lin. longi; bracteola 1 subulata immediatè sub calyce; sepala 5 ovalia acuta subæqualia extùs parcè villosa aut apice subscabra, 2 lin. longa; petala . . . . . stamina 6-7 unilateralia, antheris oblongis, filamentis brevissimis; ovaria 2 villosa globosa; carpella membranacea 1-sperma; semina ovata fusca.

§. IV. *Candolleanæ*, staminibus imâ basi monadelphis, foliis linearibus erectis vix patentibus. — An genus proprium?

19. Pleurandra stricta.

P. foliis linearibus subobtusis erectis supernè scabridis subtùs lævibus, floribus sessilibus, calycibus subscabris, ovariis velutinis.

Hibbertia stricta. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ prope Port-Jackson. *R. Brown.* ♄. (v. s. sp.).

Suffrutex erectus strictus ramosus; rami erecti rufo-fusci tuberculis minimis punctiformibus sub lente scabris; folia linearia subobtusa integra erecta, 5 lin. longa, lineam vix lata, supernè tuberculis seu pilis minimis aspera, marginibus subrevoluta, subtùs sublævia nervo medio lato planiusculo donata; flores ad ramorum apices solitarii sessiles; sepala ovali-oblonga, acuta, foliis floralibus longitudine æqualia, pube minimâ substellatâ sub lente scabra; petala obovata calyce vix longiora; stamina 5-7 unilateralia, filamentis imâ basi connatis; antheræ ovales filamentis ferè longiores; ovaria 2 subglobosa velutina.

20. Pleurandra calycina.

P. foliis linearibus acutis erectiusculis supernè scabris subtùs subpubentibus, floribus sessilibus, calycibus sericeo-velutinis, ovariis hirsutis.

Hab. in Novæ-Hollandiæ montibus. *Caley.* ♄ (v. s. sp. in h. Lamb.).

Caulis erectus ramosus; rami teretes fusci, juniores subpubentes, superiores brevissimi; folia linearia ferè subulata acuta, marginibus revoluta, supernè glabra tuberculato-scabra, subtùs (juniora saltem) pubescentia, 5 lin. longa, vix semi-lineam lata, in ramulis conferta erectiuscula; flores ad apicem ramulorum sessiles solitarii; sepala oblonga acuminata, 3-4 lin. longa, extùs velutina subsericea; petala oblonga obtusa basi angustata calyce subbreviora; stamina 5-8 unilateralia, imâ basi monadelpha, ad internum racemi latus inserta, petalis breviora; ovaria 2 hirsuta globosa, basibus subcoalita, 4-5-ovulata; carpella submembranacea 1-2-sperma; semina ovata brunnea lævia subarillata.

X. CANDOLLEA.

Candollea. Labill. *Nov.-Holl.* 2. *p.* 33. *t.* 176. *non* Mirb. (1), *nec* Labill. *ann. mus.* (2), *nec* Batard (3), *nec* Baum. (4).

Fr. Sepala 5 ovalia mucronata persistentia; petala 5 obovata aut subobcordata; Stamina polyadelpha seu connata in adelphias plurimas petalis oppositas; antheræ oblongæ in quâque adelphiâ 4-5. Carpella 3-6 ovata intùs dehiscentia, stylo acuminata, 2-sperma; semina ovata; albumen carnosum; embryo minutissimus.

Veg. Suffrutices è Novâ-Hollandiâ orti, erecti, Pleurandræ et Hibbertiæ facie; folia alterna ad apices ramorum subconferta, integra aut apice dentata, linearia aut cuneata, basi sæpè demùm transversè secta parte inferiore persistente subamplexicauli. Flores flavi ad apices ramorum solitarii.

1. Candollea cuneiformis.

C. foliis glabris obovato-cuneatis apice obtusis integris.

C. cuneiformis. *Labill! Nov.-Holl.* 2. *p.* 34. *t.* 176.* *Poir! supl.* 2. *p.* 76.*
Hibbertia obcuneifolia. *Salisb. par. lond. n.* 73.
Hab. in Novâ-Hollandiâ occidentali, ad terram Van-Leuwin. *Labill.* ad portum regis Georgii. *Lechenault.* ♃. (v. s. sp.)
Frutex sesquiorgyalis, ramis erectiusculis cinereis rugosis, junioribus subpubentibus; folia cuneiformia uninervia, cæterùm avenia, glabra, basi integra, apice subdentata, obtusissima, pollicem et ultrà longa, 4-5 lin. lata, flores solitarii sessiles inter folia floralia, 8-10 lin. diam.; sepala ovalia obtusa mucronata coriacea glabra: petala obovata calyce breviora; ovaria 5-6 glabra; stigmata simplicia truncato-excavata (*Labill.*); semina ovata castanea.

---

(1) Cyclophorus. *Desvaux.*
(2) Stylidium. *Swartz. Willd. non Lour.*
(3) Vilfa. *Adans. Beauv.*
(4) Menziesia pilosa. *Cat. h. monsp.* 1813. *p.* 125.

2. Candollea pedunculata.

C. foliis glabris lineari-cuneatis apice truncatis tridentatis.

C. pedunculata. *R. Brown ! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ loco *King's Georges sound* dicto. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Suffrutex ramosus; rami teretes, juniores parcè villosi, adulti glabri; folia ad apices ramulorum conferta, lineari-cuneata, basi angustata, sed tamen amplexicaulia, apice sensìm dilatata, truncata, obtusè denticulata, sæpiùs tridentata, uninervia, juniora basi villis longis ciliata, adulta subglabra, 6-7 lin. longa, 1-2 lata; pedicelli graciles 1-flori solitarii terminales subpilosiusculi; flores 4 lin. diam.; sepala ovalia obtusa glabra; petala obovata emarginata calyce longiora; stamina polyadelpha, antheris ovali-oblongis; ovaria 3 ?

3. Candollea fasciculata.

C. foliis villosis linearibus integris.

C. fasciculata. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ loco *King's Georges sound* dicto. *R. Brown.* ♄. (v. s. sp.)

Suffrutex ramis teretibus erectis, junioribus villosis, adultis glabris; folia linearia obtusiuscula integra, 8 lin. longa, vix lineam lata, marginibus subrevoluta; supernè glabra, subtùs villis mollibus laxis villosa, apice penicillifera, pilis nempè è paginâ inferiore fasciculatìm ortis; folia floralia circa florem conferta, fasciculata, prioribus paulò latiora et breviora, supernè villosa; flores 4 lin. diam. ad apices ramulorum inter folia sessiles; sepala oblonga acuminata submembranacea; petala oblongo-obovata basi angustata calyce longiora; stamina alia ut in prioribus polyadelpha, alia libera aut imà basi subcoalita; antheræ ovatæ; ovaria 3-4 glabra subglobosa, styli breves acuti.

XI. ADRASTÆA.

FR. Sepala 5 persistentia acuminatissima; Petala 5 ovalia calyce breviora. Stamina 10; filamenta plana, antheræ loculos laterales longos longitudinaliter dehiscentes gerentia, apice subemarginata. Ovaria 2 globosa. Styli recti approximati, basi conici, apice subulati. Carpella membranacea 1-sperma ?

VEG. Suffrutex Australasicus paludosus Hibbertiæ ferè facie.

NOM. Generi ex Oceaniâ seu Australasiâ orto nomen mythologicum Adrasteæ Oceani filiæ imposui.

1. Adrastæa salicifolia.

Hab. in paludibus circa Botany-bay. ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Rami teretes graciles elongati rufo-fusci, tenerrimi pubescentes, dein læves, demùm epidermide longitudinaliter secedente subrugosi; folia linearia subintegra punctis nempè utrinquè 3-5 callosis dentiformibus ad apicem instructa, mucrone calloso terminata, basi subangustata, supernè lævia avenia, subtùs uninervia villis sericeis brevibus confertis incana, sesquipollicem longa, 3 lin. lata, Salicis albæ aut Oleæ folia æmulantia; flores ramulos terminantes, solitarii aut bini, inter folia 3-4 conferta sessiles, iisque breviores; sepala 5 oblongo-lanceolata acuminato-aristata carinata extùs adpressè sericeo-villosa margine membranacea; stamina calyce dimidio breviora; ovaria glabra.

XII. HIBBERTIA.

Hibbertia. Andr. *bot. rep. t.* 126. Salisb. *par. n.* 73. Ait. *h. kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 318. — Dilleniæ sp. Willd. Labill.

Fr. Sepala 5 persistentia; Petala 5; Stamina ∞, libera, inter se subæqualia; antheræ ovales aut oblongæ terminales; Ovaria 1-15, sæpiùs 2-5; styli filiformes, divergentes aut incurvi; Carpella membranacea dehiscentia, sæpiùs 1-2-sperma; rariùs ∞-sperma; semina exarillata.

Veg. Suffrutices ramosi sæpiùs erecti, rariùs procumbentes aut volubiles; folia alterna, subcoriacea, integra aut dentata, brevissimè petiolata. Flores flavi terminales solitarii subsessiles aut pedunculati.

Hab. Species 19 huc usque cognitæ in Novâ-Hollandiâ sunt indigenæ et ut Pleurandræ et aliæ Dilleneæ præsertìm indefessâ cl. Roberti Brown cura nunc cognitæ.

Div. Ex ovariis desumpta et cum habitu non malè conveniens, nempè:

§. 1. Ovariis 10-15 basi glabris apice subpilosis. . Sp. 1.
§. 2. Ovariis 1-8 glabris. . . . . Sp. 2-11.
§. 3. Ovariis 2-4 pube brevi velutinis squamulisve lepidotis. . . . . Sp. 12-19.

§. I. Ovariis 10-15 basi glabris apice pilosis. — An genus proprium? (Burtonia *Salisb.*)

1. Hibbertia grossulariæfolia.

H. foliis suborbiculatis crenato-dentatis, floribus pedunculatis oppositifoliis, caulibus procumbentibus.

Hibbertia crenata. *Andr. Bot. Rep. t.* 472.
Burtonia grossulariæfolia. *Salisb. par. lond. ed.* 1. *n.* 73. *ined.*
Hibbertia grossulariæfolia. *Salisb. par. lond. n.* 73. *t.* 73. * *Bot. mag. t.* 1218. *Ait. hort. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 318.

Hab. in Novâ-Hollandiâ loco dicto *King's Georges sound. R. Brown.* ♄ ♃. (v v. c.) fl. primo vere.

Caules procumbentes debiles teretes apice pubescentes; folia petiolata ovata grossè dentata, dentibus rotundatis tenuissimè mucronulatis, juniora pubescentia, pollicem longa, 9-10 lin. lata; pediculi oppositifolii 1-flori apice pubescentes folio longiores, bracteâ stipulæformi oblongâ acutâ caducâ ad basin stipati; sepala ovata acuminata inæqualia extùs pubescentia; torus infra calycem modioliformis (Salisb.); petala obovata aut subemarginata obtusa patentia; stamina 60-70 brevia; ovaria 10-15 disperma ovata apice pilis longis villosa; styli breves filiformes divergentes; stigmata subcapitata. — An ut cl. Salisbury jam innuerat genus ab Hibbertiâ distinguendum?

§. II. *Ovariis* 1-8 *glabris.*

2. Hibbertia volubilis.

H. foliis obovato-lanceolatis subintegerrimis mucronatis subtùs pubescentibus, floribus sessilibus 5-8-gynis, caule subvolubili.

H. volubilis. *Andr. bot. rep. t.* 126. * *Ait. hort. Kew.* 3. *p.* 318. *Salisb! par. lond. n.* 73.

Dillenia humilis. *Donn. cat. hort. cant.* 64.

Dillenia speciosa. *Curt. bot. mag. t.* 449. *excl. syn.*

Dillenia turneræflora. *Gawl. recens. pl. bot. rep.* 27.

Dillenia scandens. *Willd. sp.* 2. *p.* 1251. *Duham. arb. ed.* 2. *v.* 4. *p.* 239. *t.* 63. *

Dillenia integra. *Mænch. sup. t.* 76. *Magaz. der pflanzenk.* 1. 2. *abt. p.* 60. *t.* 10.

Dillenia volubilis. *Vent! choix. p.* 11. *t.* 11. **Pers. ench.* 2. *p.* 72.

Hab. in Novâ-Hollandiâ juxta Port-Jackson. (Burton ex Salisb.) ♄ ◠ fl. æstate. (v. s. sp. et v. c.)

Suffrutex quadripedalis, ramis volubilibus teretibus, junioribus pubescentibus, demùm glabris; folia biuncialia, obovato-lanceolata submucronata, integra aut vix ac ne vix subserrata, supernè glabra lævia, subtùs pubescentia, juniora tamen utrinquè villosa, basi attenuata in petiolum latum, demùm transversè sectum, parte inferiore persistente; flores solitarii terminales, sessiles, flavi, fætidi, magnitudine ferè Cisti ladaniferi; sepala ex ovato acuminata subtùs sericeo-villosa; petala obovata obtusa calyce longiora; stamina calyce breviora; ovaria 5-8; styli inter stamina divergentes; stigmata subcapitata; capsulæ basi subcoalitæ, 4-5-spermæ; semina nigra pisiformia compressa dura exarillata.

3. Hibbertia dentata.

H. foliis oblongis acuminatis glabris aristulato-serratis, floribus pedunculatis trigynis, caule volubili.

H. dentata. *R. Brown! ined.*

β. Pedicellis glabris.

Hab. in Novâ-Hollandiâ, ad oram orientalem, montes cæruleos, et fretum d'Entrecastreaux. *Lechenault. Brown.* ♃ ⌒ (v. v. c. in hort. kew., s. sp. in h. Mus. Par. et β in h. Lamb.).

Caules sarmentosi teretes glabri; folia petiolata oblonga acuminata, serraturis exsertis aristulatis distantibus hinc indè dentata, coriacea, glabra, juniora subtùs vix ac ne vix pilosa; pedunculi uniflori folio breviores hispidi deflexi; bracteæ lineari-subulatæ membranaceæ; flores paulò minores quàm in H. volubili; sepala ovalia in acumen aristatum desinentia extùs villosula; petala obovata calyce paulò longiora; stamina calyce breviora; ovaria 3 glabra; styli filiformes divergentes acuti. — Var. β non differt nisi foliis magis serratis, pedicellis calycibusque glabris aut vix pilosis.

4. Hibbertia saligna.

H. foliis oblongo-linearibus apice mucronato-acuminatis integerrimis subtùs villosis, floribus sessilibus 2-4-gynis, caule erecto.

Cistomorpha lanceolata. *Caley! ined. in h. Lamb.*

H. saligna. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ. *Caley*, in montibus circa Port-Jacklon. *R. Brown.* ♃. (v. s. sp.).

Suffrutex erectus, ramosissimus, pedalis bipedalisve, epidermide in ramis junioribus velutino, in vetustis longitudinaliter secedente; folia sessilia, oblongo-linearia, basi subattenuata subamplexicaulia, apice acuminata mucrone calloso terminata, integerrima, uninervia, supernè juniora vix pubescentia adulta glabra, subtùs juniora villosa adulta pubescentia, sicca subrufescentia, 15 lin-longa, 3 lin. lata; flores pseudo-laterales, ad ramulorum brevissimorum nempè apices solitarii, inter folia conferta sessiles iisque breviores; sepala ovali-oblonga acuminata, intùs glabra, extùs sericeo-villosa; petala oblonga obovata calyce paulò longiora; stamina 25-30 calyce breviora; ovaria 2-4 glabra globosa; styli longi filiformes.

5. Hibbertia procumbens.

H. foliis linearibus acuminatis crassiusculis glabris aveniis, floribus subsessilibus 3-5-gynis, caulibus procumbentibus.

Dillenia procumbens. *Labill! Nov.-Holl.* 2. *p.* 16. *t.* 156.*.

H. angustifolia. *Salisb. par. lond. n.* 73.

Hab. in capite Van-Diemen. *Labill.* ♃. (v. s. sp.).

Suffrutex depressus humillimus ramosus glaber; folia sparsa, sub floribus approximata, linearia, basi subangustata, apice acuminata, juniora vix ciliata, adulta glabra, crassiuscula avenia, 7-8 lin. longa, vix lineam lata; flores flavi magnitudine Lysimachiæ nummulariæ, terminales, sessiles; sepala oblonga acuminata mucronata; petala suborbiculata calyce paulò breviora; stamina 16-24 corolla breviora; ovaria 3-5 glabra; styli filiformes; capsulæ basi subcoalitæ, stylis acuminatæ, 2-4-spermæ; semina globosa, castanea, in pulpâ carnosâ cum iisdem solubili sicque arillum æmulante ad medium usque immersa (Labill.). — An genus proprium?

6. Hibbertia virgata.

H. foliis linearibus subobtusis glabris, floribus sessilibus 7-8-andris 3-4-gynis, caule erecto.

H. virgata. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ circa Port-Jackson. *R. Brown. Caley.* ♄. (v. s. sp.).

Fruticulus gracilis erectus ramosus glaber, cortice cinereo albido, ramis teretibus; folia distantia linearia basi subangustata apice obtusiuscula integerrima glabra, 6-8 lin. longa, vix lineam lata; flores solitarii inter folia floralia 3-4 conferta sessiles terminales, 6 lin. diam.; bracteæ 2-3 ovatæ mucronatæ membranaceæ, sepalis breviores, margine ciliatæ, extùs interdùm villosæ; sepala ovalia suboblonga mucronata glabra inter se subæqualia; petala obovata aut obcordata sepalis vix longiora; stamina 7-8 libera in fasciculos duos tamen approximata; filamenta filiformia; antheræ ovales; ovaria 3-4 glabra.

7. Hibbertia fasciculata.

H. foliis lineari-subulatis glabris subfasciculatis, ramulis subpilosis, floribus sessilibus 3-4-gynis, caule erecto.

H. fasciculata. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ orâ orientali. *Caley.*, circa Port-Jackson. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp) fl. julio.

Habitus ferè Hyperici fasciculati; caulis erectus ramosissimus; rami juniores pubescentes hispiduli, demùm epidermide secedente glabri; folia lineari-subulata ferè acicularia integerrima, 5-7 lin. longa, juniora subpilosula, adulta glabra, in fasciculos laterales ramulis nempè brevissimis disposita; flores ad ramulorum apicem intra foliorum fasciculum sessiles, 5-6 lin. diam.; sepala ovalia mucronata membranacea glabra; petala obovata calyce paulò longiora; stamina 11-12; filamenta filiformia antheris ovatis longiora; ovaria 3-4 glabra subrotunda; styli longi filiformes subdivergentes.

8. Hibbertia linearis.

H. foliis linearibus acutis integerrimis glabris, floribus sessilibus digynis 20-andris, caule erecto.

H. linearis. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ orâ orientali. *Caley*, circa Port-Jackson. *Brown.* ♄ fl. julio. (v. s. sp.)

Suffrutex erectus ramosissimus; rami teretes graciles, juniores apice subpubescentes, adulti glabri fusci; folia linearia, integerrima, margine subrevoluta, nninervia, acuta, utrinquè glabra, 6-8 lin. longa, vix lineam lata, conferta; ramuli axillares brevissimi, folia 3-4 floremque sessilem terminalem gerentes, flores 5 lin. diam.; sepala ovalia glabra margine subciliata; petala obovata vix calyce longiora; stamina 18-20 calyce ferè breviora; antheræ oblongæ filamentis longiores; ovaria 2 glabra; styli filiformes.

9. Hibbertia obtusifolia.

H. foliis linearibus obtusis apice angustatis glabris, floribus sessilibus 20-andris digynis, caule erecto.

Hab. in arenosis siccis terræ Van-Diemen. *Caley*. ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)
H. lineari simillima et forsan hujus varietas? Differt foliis lineari-cuneatis nempè basi cuneatis apice latioribus obtusis mucronulatis, margine vix ac ne vix revolutis; ramulis paulò magis pubentibus; staminibus forsan paulò numerosioribus.

10. Hibbertia diffusa.

H. foliis cuneatis apice dentatis glabris, floribus sessilibus 2-4-gynis 20-andris, caule diffuso.

H. diffusa. *Brown! ined.*
Dillenia tetragyna. *Lag! ined.*

β. *Oblongata*, foliis oblongo-cuneatis.

Hab. in Novæ-Hollandiæ orâ orientali. ♄ (v. s. sp.).
Suffruticulus humillimus à basi ramosus diffusus; rami caulesve teretes, apice juniores pubescentes, cæterùm glabri; folia obovato-cuneata, basi longè angustata et integra, apice lata obtusa sæpiùs grossè dentata, glabra, atro-viridia, 6-9 lin. longa, 4-5 lata; flores terminales solitarii flavi, magnitudine Potentillæ vernæ et paulò ultrà; sepala ovata aut oblonga obtusiuscula petalis subæqualia; petala obovata calyce longiora; stamina 20-24 corollâ breviora; ovaria 2-4 glabra globosa; styli filiformes divaricati staminibus æquales. Var. β (quam in herbario Lambertiano vidi) à priori differt foliis suboblongis, pollicem et ultrà longis, integris emarginatis aut lateraliter dentes 2-3 gerentibus.

11. Hibbertia monogyna.

H. foliis spatulatis basi cuneatis apice bi-tridentatis glabris, floribus sessilibus monogynis 12-andris, caule erecto.

H. monogyna. *R. Brown! ined.*
Hab. in Novæ Hollandiæ montibus. *Caley*, circa Port-Jackson. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.).
Priori affinis etiamsi caracteribus distinctissima. — Caulis erectus ramosissimus vix pedalis; rami teretes, juniores pubescentes, dein glabri, demùm cortice longitudinaliter dehiscente subrugulosi; ramuli laterales breves numerosi apice floriferi; folia parva glabra, basi cuneata, apice subspathulata ferè obcordata emarginata aut tridentata, dente medio mucroniformi, lateralibus rotundatis, vix 3 lin. longa, in ramulis conferta; flores sessiles parvi; sepala ovalia seu oblonga obtusa membranacea glabra; petala. . . . . stamina 12-13, persistentia, calyce breviora, staminibus filiformibus, antheris oblongis; carpellum unicum globosum membranaceum indehiscens 1-spermum; semen rufum lævе basi arillatum.

§. III. *Ovariis 2-4 pube brevi velutinis squamulisve lepidotis.*

12. Hibbertia pedunculata.

H. foliis linearibus obtusiusculis margine subrevolutis, floribus pedicellatis digynis, ovariis subincanis.

H. pedunculata. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ. *Caley*, circa Port-Jackson. *Brown.* ♄. (v. s. sp.)

Habitus omninò Pleurandræ pedunculatæ, empetrifoliæ aut intermediæ. Caulis gracilis ramosus erectus; rami teretes, tenues, juniores pubescentes; folia linearia integra subobtusa, marginibus subrevoluta, uninervia, 4-5 lin. longa, semi-lineam lata, patentia, in ramulis vix conferta distantia, supernè glabra, subtùs subpubentia; pedicelli nudi uniflori foliis paulò longiores, pubescentes, ex apice ramulorum intra folia subconferta solitarii, 4-6 lin. diam.; sepala ovalia obtusa margine membranacea extùs pubentia; petala obovata calyce paulò longiora; stamina 12-13, filamentis filiformibus, antheris oblongis; ovaria 2 globosa subincana; styli filiformes stamina vix superantes.

13. Hibbertia serpyllifolia.

H. foliis ellipticis obtusis integerrimis glabris, floribus pedicellatis 2-gynis 8-10-andris, ovariis villosis.

H. serpillifolia. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ orâ orientali. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.)

Suffruticulus erectus ramosus gracilis; rami teretes subpubentes, epidermide demùm secedente glabri; folia sparsa, ovalia suboblonga, utrinquè obtusa, brevissimè petiolulata, patentia, coriacea, supernè lævia, subtùs subrufa nervo medio pubente, 2-3 lin. longa, 1-2 lata; flores terminales pedicellati, pedicello bracteolas 3-4 lineares minimas gerente; sepala ovalia acuminata mucronata 2-3 lin. longa, glabra aut oculo armato vix pubentia; petala obovata calyce vix longiora; stamina 8-10; antheræ oblongæ filamentis longiores; ovaria 2 villosa.

14. Hibbertia aspera.

H. foliis oblongis obtusis margine subrevolutis supernè subscabris subtùs cinereo-velutinis, floribus pedicellatis digynis, ovariis hirsutis.

Hab. in Novâ-Hollandiâ. *Caley.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Radix lignosa perpendicularis subsimplex; caules plurimi à basi distincti ramosi erecti pedales; rami juniores velutini demùm epidermide secedente glabri; folia oblonga, basi subattenuata, apice obtusa, marginibus subrevoluta, uninervia, supernè subscabra, subtùs cinereo-canescentia tenuiter velutina, 4 lin. longa, sesquilineam lata; ramuli floriferi elongati; flores terminales breviter pedicellati, parvi, solitarii; sepala ovali-oblonga acuta extùs pubescentia; ovaria 2 globosa hirsuta, cætera ignota! An potiùs Pleurandræ species? sed adeò ex habitu H. tomentosæ similis ut separare noluerim.

15. Hibbertia hermanniæfolia.

H. foliis obovato-cuneatis obtusis utrinquè villoso-tomentosis, villis supernè simplicibus subtùs stellato-ramosis, floribus pedicellatis digynis, ovariis tomentosis.

Hab. in montibus Novæ-Hollandiæ. *Caley*. ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)
Caulis erectus ramosissimus; rami teretes, juniores hirsuto-velutini, pilis fasciculatis à basi ramosis ut in Malvaceis plurimis; folia cuneata obtusa interdùm subemarginata, integerrima, nervo longitudinali supernè impresso subtùs prominulo donata, supernè cinereo-viridia pube molli è villis simplicibus compositâ instructa, subtùs cinereo-canescentia tomento denso villis ramosis instructa, 6-8 lin. longa, 3 lin. lata; flores pedicellati; pedicelli graciles, foliorum longitudine æquales villis ramosis hirsuti, uniflori, primò subterminales, dein ramis elongatis laterales; sepala ovalia 3 exteriora acuta crassiora villis ramosis extùs hirsuta, 2 interiora obtusiora margine magis membranacea pube minimâ simplici vix velutina; petala oblongo-cuneata calycis longitudine; stamina 15-16 petalis breviora, filamenta filiformia; antheræ oblongæ; ovaria 2 tomentosa.

16. Hibbertia oblongata.

H. foliis oblongis integerrimis supernè subglabris subtùs pilis stellatis velutinis, nervulis ad marginem confluentibus, floribus pedicellatis digynis, ovariis lepidotis.

H. oblongata. *R. Brown! ined.*
Hab. in Carpentariâ. *Brown*. ♄ (v. s. sp.)
Suffrutex erectus ramosus; rami virgati, juniores angulati tenuiter velutini, adulti teretes epidermide secedente glabri subfusci; folia sparsa oblonga, pollicem longa, 3 lin. lata, integerrima, supernè juniora subpubentia adulta glabra oculo armato punctulata, subtùs albida pilis stellatis tomentoso-velutina, nervo medio subtùs prominulo pennivervio, nervulis apice confluentibus et nervum accessorium margini parallelum constituentibus; ramuli florentes folia breviora gerentes, apice in pedicellum 1-florum 6-7 lin. longum desinentes; bractea unica oblonga subacuta calyci contigua; sepala 5, nempè 2 exteriora ovato-lanceolata subpatentia bracteæ simillima, 3 interiora ovato-orbiculata obtusissima concava, omnia extùs lepidota intùs glabra; petala. . . . . stamina 20-25 libera, filamentis filiformibus, antheris ovali-oblongis filamentorum longitudine; ovaria 2 lepidota subglobosa; styli filiformes glabri; carpella globosa subtriquetra squamis distantibus parcè lepidota 1-sperma.

17. Hibbertia cistifolia.

H. foliis oblongis integerrimis uninerviis, pilis stellatis supernè pubescentibus subtùs albido-velutinis, floribus pedicellatis digynis, ovariis lepidotis.

H. cistifolia. *R. Brown! ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ terrâ Arnheimicâ. *Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Hibbertiæ oblongatæ simillima. Rami magis elongati pubescentes; folia majora nempè 15-18 lin. longa, 4-6 lata, oblonga, obtusa, supernè pilis stellatis subdistantibus pubescentia, subtùs tomento albido velutina, nervulis ad marginem non confluentibus; ramuli axillares ferè duos pollices longi, ad basim foliola 2-3 oblonga vix 5 lin. longa gerentes, apice in pedicellos filiformes ebracteatos unifloros desinentes; sepala 5, 2 exteriora lanceolata acuminata interiora ferè æquantia extùs villis stellatis brevibus pubentia intùs glabra, 3 interiora ovalia subobtusa extùs lepidota intùs glabra; petala. . . . . stamina 20-25; filamenta filiformia antheris ovalibus triplò quadruplòve longiora; ovaria 2 globosa lepidota; styli longi filiformes inflexi ferè forcipati basi lepidoti apice glabri.

18. Hibbertia tomentosa.

H. foliis oblongo-linearibus uninerviis integerrimis utrinquè tomento brevi velutinis, floribus pedicellatis digynis, calycibus ovariisque lepidotis.

H. tomentosa. *R. Brown! ined.*

Hab. in Carpentariâ. *Brown.* ♄ (v. s. sp.).

Suffruticulus erectus ramosus subpedalis; rami teretes graciles, juniores velutini, adulti epidermide secedente glabri; folia sparsa linearia suboblonga basi attenuata submucronulata uninervia integerrima 3-4 lin. longa 1-2 lata, utrinquè tomento brevi cinerascente conferto velutina; flores terminales solitarii pedicello gracili nudo foliorum longitudine æquali instructi; sepala lanceolata acuminata albida nervo medio donata, extùs sub lente punctata squamulis nempè orbiculatis centro adfixis cooperta, intùs subcolorata glabra; petala obovata ferè spathulata sepalis breviora; stamina 20-24, filamentis filiformibus brevibus, antheris ovatis; ovaria 2 globosa lepidota; styli glabri filiformes.

19. Hibbertia lepidota.

H. foliis linearibus acuminatis integerrimis utrinquè lepidotis, pedicellis confertis unifloris, floribus digynis, ovariis lepidotis.

H. lepidota. *R. Brown! ined.*

Hab. in Carpentariâ. *R. Brown.* ♄ (v. s. sp.)

Suffrutex erectus ramosus pedalis; rami juniores lepidoti nempè squamis orbiculatis centro ferè ut in Elæagno adfixis albidis ferrugineisve cooperti, adulti subfusci glabri; folia sparsa in apicibus ramulorum conferta linearia acuminata, 7 lin. longa, lineam lata, utrinquè lepidota, sicca canaliculato subcomplicata; pedicelli 1-flori, lepidoti, ex apicibus ramorum orti, 3-5 conferti, vix foliorum longitudinem æquantes; sepala extùs lepidota, intùs glabra, ovalia, obtusa, 2 exteriora breviora; petala obcordata; stamina circiter 10, filamentis filiformibus, antheris ovalibus; ovaria 2 globosa lepidota; styli arcuati filiformes glabri.

XIII. WORMIA.

Wormia. Rottb. *nov. act. hafn.* 1783. *v.* 2. *p.* 522. *t.* 3. Salisb. *parad. n.* 73. — Dilleniæ sp Thunb. Willd. — Lenidia. Petit-Th. *gen. mad. p.* 17. *n.* 57.

Fr. Sepala 5 obtusissima persistentia ; Petala 5 decidua. Stam. ∞ inter se æqualia libera ; Antheræ longæ lineares ; Ovaria 5 distincta ; Styli filiformes sensim attenuati ; Stigmata emarginata ; Carpella capsularia intùs dehiscentia 8-12-sperma ; Pulpa seu arillus ad basim seminum. (Salisb.)

Veg. Arbores fruticesve subscandentes glabri ; rami teretes ; folia ovalia, coriacea, sinuato-dentata, penninervia, nervulis transversis laterales jungentibus subareolata, petiolata, petiolo apice interdùm alato, basi pulvino calloso elevato circulari cincto ; stipulæ grandes oblongo-acuminatæ deciduæ, juniores convolutæ ramos ut in Magnoliaceis acùmine conico terminantes ; pedunculi angulati racemosi aut paniculati, juxta ramorum apicem oppositifolii ; racemus sæpè unilateralis ; flores albi aut flavi.

Hab. Species 4 habitant in insulis Indiæ australioris nempè 2 in Ceylonâ, 1 in Madagascariâ et 1 in Novâ-Hollandiâ.

Obs. Wormia alata habet antheras apice poro duplici dehiscentes ; an aliæ species eodem caractere gaudent ? An forsan genus in posterum dividendum ?

1. Wormia Madagascariensis.

W. foliis ovalibus obtusè sinuatis, pedunculis paniculato-racemosis.

Clugnia volupis. *Comm ! herb. et icon. ined.*
Lenidia Madagascariensis. *Poir. supl.* 3. *p.* 330. *

α. Rotundifolia, foliis orbiculatis basi subcordatis.

β. Oblongifolia, foliis oblongis basi non cordatis.

Hab. in Madagascar. *Commerson. Petit-Thouars.* ♃. (v. s. sp. in h. Mus. Par. et Juss.)

Arbor elegans, ramis teretibus crassis ; stipula longa magna foliacea, extùs villosa, caduca, vestigium annulare super ramum relinquens ; folia alterna ovalia aut orbiculata penninervia coriacea glabra, margine sinubus latis obtusis parùm profundis sinuata, petiolo longo supernè canaliculato muricato rimulis nempè transversis minimis subturgidis in sicco notato ; pedunculi suboppositifolii erecti paniculato-racemosi ; pedicelli 1-flori ebracteati ; sepala 5, lobis orbiculatis ; petala 5 obovata calyce triplò

longiora margine undulata ; stamina ∞ calyce breviora ; styli 5 subulati erecti ; capsulæ ∞-spermæ ; semina rotundata.

2. Wormia dentata.

W. foliis ovatis retusis grossè et subacutè dentatis, pedunculis triquetris 3-6-floris.

Dillenia dentata. *Thunb ! act. soc. Lin.* 1. *p.* 201. *t.* 20.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1253. *Poir. dict. enc.* 7. *p.* 151.

Hab. in Ceylonâ. *Thunberg.* ♃ (v. s. sp. in h. Deless.).

Arbor, ramis alternis rugosis cinereis teretibus, sub foliis in annulum circularem elevatis ; folia glabra coriacea longè petiolata ovalia obtusa ferè retusa, grossè imprimis ad apicem serrata, penninervia, nervis lateralibus utrinquè 7-8, 3 poll. sine petiolo, 5 cum petiolo longa, 2 et ultrà lata ; stipula glaberrima longa acuta, junior ut in Magnoliaceis convoluta ; pedunculi erecti triquetri simpliciter racemosi 3-6-flori ; bracteolæ oblongæ caducæ pedicellorum longitudine ; sepala 5 orbiculato-ovata concava ; petala 5 orbiculata ; stamina ∞ ; ovaria 5.

3. Wormia triquetra.

W. foliis ovatis subobtusis obtusè subsinuatis, pedunculis triquetris racemosis.

W. triquetra. *Rottb. nov. act. hafn.* 2. *p.* 532. *t.* 3.*

Hab. in Ceylonâ. *Van-Royen.* ♃ (v. s. sp.).

Rami teretes fusci glabri sub foliorum origine in annulum circularem elevati ; petioli stricti triquetri bipollicares ; folia ovalia aut oblonga basi subattenuata apice obtusa aut submucronata, integra aut obtusissimè subrepanda, penninervia, nervis lateralibus utrinquè 8-10 ; pedunculi suboppositifolii simplices ; sepala coriacea obtusa, 2 interiora paulò majora ; petala concava ; stamina brevissima ; ovaria trigona approximata ; styli reflexi. — An satis à priore distincta ?

4. Wormia alata.

W. foliis ovalibus integerrimis, petiolis alato-marginatis.

Dillenia alata. *Banks ! ined.*

W. alata. *R. Brown ! ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ ad flumen Endeavour. *J. Banks.* ♃ (v. s. sp.).

Rami teretes, glabri, cicatricibus foliorum stipularumque notati ; folia glabra, petiolis canaliculatis apice imprimis alâ foliaceâ marginatis 6-12 lin. longis donata, ovalia utrinquè obtusa integra subtùs fuscescentia, penninervia, nervis utrinquè 7-8 ; pedunculi ultimo rami folio oppositi, subterminales, erecti, folio breviores, triquetri, flores 2-3 subracemosos gerentes ; sepala 5 ovata obtusa inæqualia persistentia apice ciliolata ; petala suborbiculata basi breviter unguiculata ; stamina ∞ ; antheræ longæ lineares apice poro duplici dehiscentes ! ovaria 5-7 approximata ; styli subulati divergentes staminibus longiores.

XIV. COLBERTIA.

Dilleniæ sp. Roxb. Willd. — Colbertia. Salisb. *parad. n.* 73.

Fr. Sepala 5 persistentia subrotunda; Petala 5 decidua; Stamina ∞, decem interiora aliis multò longiora; Antheræ longissimæ; Ovaria 5 coalita in pericarpium subglobosum 5-loculare; Styli 5 divergentes acuti (Roxb.) aut apice capitati (Brown); Semina in quoque loculo plurima reniformia, in pulpâ pellucidâ glutinosâ nidulantia (Roxb.).

Veg. Arbor Coromandeliana; folia oblonga breviter petiolata ampla utrinquè acuminata penninervia, nervis utrinquè ultra 30, margine serrata; pedicelli plurimi uniflori è gemmis floriferis squamosis secus nudos anni præcedentis ramos orti; stipulæ o; gemmæ squamulæ deciduæ; flores lutei.

Nom. Hoc genus cl. Salisbury Colbertiam dixit in memoriam « inclyti Colbert Horti Regii Parisiensis fautoris » qui vites ibidem loco stirpium rariorum consitas ipse » eradicavit. »

1. Colbertia Coromandeliana.

Dillenia pentagyna. *Roxb. fl. corom.* 1. *p.* 21. *t.* 20. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1253. *Ait. hort. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 328.

Hab. in vallibus montium Coromandeliæ. (Roxb.) ♃ fl. mart. apr. (v. s. sp. sine fl. in h. Lamb.)

Arbor ramosa; folia Dilleniæ speciosæ similia sed longiora, glabra, in nervis subtùs villosa, pedem sesquipedemve longa, 6 poll. lata; petioli unciales canaliculati basi subdilatati; pedicelli unciales 5-7 ex eâdem gemmâ; flores flavi vix pollicis diametro; sepala ovalia obtusa; petala ovali-oblonga subacuta; stamina ∞ calycis longitudine, 10 interiora duplò et ultrà longiora; fructus penduli. (Roxb.)

XV. DILLENIA.

Dillenia. Lin. *gen. n.* 688. Salisb. *par. lond. n.* 73. — Syalita. Adans. *fam.* 2. *p.* 364. — Dilleniæ sp. Thunb. Willd.

Fr. Calyx 5-sepalus in fructu valdè ampliatus; Petala 5 persistentia; Stamina ∞ libera, inter se æqualia; Antheræ lineares; Ovaria ∞ (10-20) monostyla, coalita in pericarpium unicum ∞-loculare carnosum, loculis polyspermis, stylis radiantibus supernè per totam longitudinem papillosis.

Veg. Arbores excelsæ; folia petiolata ovalia aut oblonga

breviter petiolata, penninervia, Mespili Japonicæ foliis subsimilia; stipulæ nullæ; pedunculi solitarii uni aut multiflori; flores flavi aut albi.

HAB. Species 6 cognitæ omnes Indicæ.

VIR. Fructus edules acidi.

1. Dillenia speciosa.

D. foliis elliptico-oblongis simpliciter serratis, pedunculis unifloris.

Syalita. *Rheed. mal.* 3. *p.* 39. *t.* 38. 39. *

Malus rosea Malabarica Syalita dicta. *Pluk. mant.* 124. *excl. syn. Damp.*

Arbor Indica flore maximo cui multæ innascuntur siliquæ. *Ray. hist.* 1707.

Catmon. *Camelli ic.* (*in bibl. Juss.*) 76. *Ray. hist.* 3. *app. luz.* 56.

Camontianum arbor magna et excelsa ligno duro, folio amplo subrotundo mucronato. *Ray. hist.* 3. *app. luz.* 91 ?

Ghodaparghaha. *Herm. zeyl.* 49. *Lin. fl. zeyl.* 232?

Arbor Zeylanica fructu acido Ghodapara dicta. *Burm. zeyl.* 30 ?

Dillenia. *Lin. hort. cliff.* 221. *excl. syn. Rumph.*

D. Indica. *Lin. sp.* 745.

D. speciosa. *Thunb. act. soc. Lin.* 1. *p.* 200. *Willd. sp.* 2. *p.* 1251. *Smith! exot. bot. t.* 2. 3. *

Hab. in Malabariâ præsertìm circa Cochin et Moutan (Rh.), in Javâ *h. Deless.*, et Ceylonâ (Herm.)? ♃. fl. . . . . fr. decemb. et jan. (v. s. sp. in h. Mus. Par. Deless. Lamb. Sm. etc.).

Arbor excelsa; rami cinerei expansi rugosi; folia breviter petiolata atroviridia magna, Castaneæ ferè similia, glabra, subtùs juniora pubescentia, elliptico-oblonga nunc acuminata nunc obtusa, penninervia, nervis lateralibus 30 et ultrà approximatis apice in serraturas parvas aristæformes desinentibus; pedunculi versus ramorum apicem solitarii, uniflori, pollicem longi; calyx amplus glaber, sepalis concavis obtusis post anthesin accretis persistentibus; petala alba obovata ferè 2 poll. longa; stam. innumera petalis multò breviora; carpella plurima (20 circiter) coalita in baccam sphæricam sulcatam 20-locularem, stigmatibus 20 radiantibus albis stellatìm patentibus lanceolatis coronatam; semina in quoque loculo ∞, latere externo fimbriata; fructus acidissimi in jusculis et eduliis ab indigenis usitati; ex horum succo cum saccharo mixto syrupus bechicus et refrigerans conficitur. (Rheed.)

2. Dillenia aurea.

D. foliis elliptico-oblongis serratis, floribus sæpiùs solitariis pedunculatis ante folia ortis.

D. aurea. *Smith. exot. bot. t.* 92. 93. *

Hab. in Indiâ orientali prope fluvium Gogra. (Sm.) ♃.

Folia decidua, in descriptione duplò serrata, in icone simpliciter serrata et Castaneæ æmulantia, ad fructûs maturescentis tempus nascentia; fructus 12-locularis, cæterùm D. speciosæ similis; semina margine non fimbriata (Sm.).

3. Dillenia integra.

D. foliis oblongo-obovatis obtusis subintegris, pedunculis unifloris.

D. integra. *Thunb. act. soc. Lin.* 1. *p.* 199. *t.* 18. * *Lam. ill. t.* 492. *f.* 1. *Willd. sp.* 2. *p.* 1251. *Poir. dict.* 7. *p.* 150.

Hab. in Zeylonâ (Th.). ♃.

Arbor ramis rugosis fuscis; folia obovata obtusa, à medio ad apicem serrulata, serraturis vix manifestis, coriacea, glabra, reticulato-venosa, subspithamea, palmam lata; petioli villosi pollicares; flores in ultimis ramis terminales subsolitarii pedunculati (Th.). —An Wormiæ species ?

4. Dillenia elliptica.

D. foliis elliptico-ovatis acutis serratis, pedunculis unifloris.

Songium. *Rumph. amb.* 2. *p.* 140. *t.* 45. *

D. elliptica. *Thunb. act. soc. Lin.* 1. *p.* 200. *Willd. sp.* 2. *p.* 1252.

Hab. in Celebe orientali prope Tambocco et in sylvis ad borealem Hoeamohel partem circa tractum Nassavicum prope Nanat et post Laale in montibus (Rumph.). ♃.

Arbor limoniæ similis, truncus ulnæ crassitie; folia sparsa profundè serrata bipedalia, 7-8 poll. lata, petiolo bipollicari, nervo medio crasso, nervulis prominulis pennatis parallelis; petala albida caduca; fructus magnitudine aurantii, breviter pedunculatus, ex rotundo compressus, 20-locularis, intùs succo croceo et mucoso repletus; semina plana fusca, 8 in quoque loculo; fructus ex acidulo demùm dulcis, crudus editus aut coctus cum pisce adhibetur; lignum recens molle demùm indurescit; è trunco vulnerato succus copiosus effluit (Rumph.).

5. Dillenia serrata.

D. foliis elliptico-ovatis acutis serratis, pedunculis trifloris.

Sangius. *Rumph. amb.* 2. *p.* 142. *t.* 46. *

D. serrata. *Thunb. act. soc. Lin.* 1. *p.* 201. *Willd. sp.* 2. *p.* 1250.

Hab. in Javâ (Th.), in Loehoe regione et in Celebe circa Tambocco, Nacassar et montibus Toletæ (Rumph.). ♃.

Arbor cortice rugoso albido-cinereo, ramis incurvis; folia 9-18 poll. longa, 5-9 poll. lata, breviter petiolata, serrato-spinulosa, nervis pennatis prominulis, sapore acido; flores forsan abortu dioïci; Rumphius distinguit marem et fœminam; fructus aurantii formâ et magnitudine, sapore ex acido dulci donati, edules, extùs in diversis varietatibus flavescentes albescentes aut rubescentes (Rumph.).

6. Dillenia retusa.

D. foliis obovatis apice truncatis remotè dentatis, pedunculis unifloris.

D. retusa. *Thunb. act. soc. Lin.* 1. *p.* 200. *t.* 19. * *Lam. ill. t.* 492. *f.* 2. *Poir. dict.* 7. *p.* 151. *Willd. sp.* 2. *p.* 1253.

Hab. in Zeylonæ sylvis (Th.). ♄.

Arbor ramis rugosis fuscis; folia approximata petiolata infernè attenuata integra, apice remotè serrata, serraturis obsoletis, coriacea, glabra, venosa, patentia, palmam ferè lata, et duplò longiora; petioli basi hirsuti vix pollicares; flores terminales solitarii; petala obovata calyce tertiâ parte tantùm longiora (Th.).

ORDO TERTIUS.

MAGNOLIACEÆ.

Coadunatarum gen. Lin. — Annonarum gen. Adans. — Magnoliarum gen. Juss. *gen.* 280. Jaum. *exp. fam.* 2. *p.* 74. *t.* 83 *et* 84. Batsch. *tab.* 116. — Magnoliaceæ. DC. *theor.* 213. *Ess. prop. ed.* 2. *p.* 72.

Car. diff. Sepala Petalaque decidua, uni aut multiserialia, ordine ternario disposita. Stamina Ovariaque ∞. Antheræ adnatæ. — Arbores fruticesve ; folia alterna simplicia ; Stipulæ (Ficuum more) convolutæ.

Fruct. Partes floris numero ternario dispositæ ; Sepala 3-6 decidua ; Petala 3-27 multiserialia hypogyna ; Stamina ∞ libera, toro infra ovaria inserta ; antheræ filamentis adnatæ, elongatæ ; Ovaria ∞ toro supra stamina inserta, sæpiùs spicatìm disposita, monostyla ; styli breves ; stigmata simplicia ; Carpella totquot ovaria, 1-locularia, 1-∞-sperma, nunc capsularia rimâ superâ dehiscentia, nunc capsularia bivalvia rimâ inferâ dehiscentia, nunc follicularia, nunc subcarnosa indehiscentia, nunc samaræformia, aggregata subcoalitave in strobilum laxum densumve ; semina angulo carpelli interno adnata ; albumen carnosum ; embryo rectus parvulus inferus.

Veg. Arbores fruticesve elegantes. Folia alterna pennatìm nervosa, articulatìm inserta, intra gemmam involutiva ; Stipulæ 2 deciduæ, juniores Ficuum more convolutæ ramosque acumine conico terminantes, vestigium circulare supra ramulos post delapsum relinquentes. Flores pulchri sæpiùs intensè odorati.

Vir. Cortices sine astringentiâ amari, aromatici, subacres febrifugi, stomachici, stimulantes. Pericarpia sæpè aromatica, seminaque amara.

Hist. Species, omnes veteribus ignotæ, 3 à Bauhino vix suspicatæ, 10 à Linnæo, 16 à Willdenowio, 21 à Persoonio recensitæ, 36 nunc cognitæ. Ex istis America borealis alit 13, insulæ Caribeæ et America meridionalis 5, Asia præsertìm India China Japoniave 15, et Australasia 3.

Aff. Ordo affinis 1°. Dilleniaceis sed numero partium floris ternario nec quinario distinctus ; 2°. Annonaceis, sed

albumine continuo nec endoplevri processibus ruminato nec non stipulis facilè distinctus. Affinitates cum aliis ordinibus leves et ideò locus ordinis in serie reticulove naturali certus.

CONSPECTUS GENERUM.

1. Illicium. Carpella stellatìm disposita, capsularia, supernè dehiscentia, 1-sperma.
2. Drimys. Carpella congesta, baccata, polysperma. Staminum filamenta apice crassiora, loculosque discretos gerentia.
3. Tasmannia. Carpella solitaria, membranacea, indehiscentia, polysperma. Flores dioïci.
4. Mayna. Flores dioïci. Carpella plurima?
5. Michelia. Carpella spicatìm laxiusculè disposita, subbaccata, apice dehiscentia, polysperma.
6. Magnolia. Carpella spicatìm confertèque disposita, angulo externo dehiscentia, 1-2-sperma, persistentia.
7. Talauma. Carpella spicatìm disposita, 1-2-sperma, inter se coalita in fructum strobiliformem extùs valvatìm irregulariter dehiscentem.
8. Liriodendron. Carpella spicatìm disposita, 1-2-sperma, indehiscentia, decidua, in alam apice producta.

I. ILLICIUM.

Skimmi. Koempf. *am.* 880. Adans. *fam.* 2. *p.* 364. — Illicium. Lin. *gen.* 611. Juss. *gen.* 281. Gærtn. *fr.* 1. *p.* 339. *t.* 69. Lam. *dict.* 1. *p.* 351. *Illustr. t.* 493.

Fr. Sepala 3-6 petaloïdea. Petala 9-30 interiora minora. Stamina 6-42; Ovaria 6-18 stellatìm disposita. Capsulæ 1-spermæ bivalves stellatæ supernè dehiscentes. Semen nitidum. Albumen carnosum. Embryo rectus minimus.

Veg. Frutices sempervirentes glaberrimi; folia ad apices ramorum confertiora, petiolata, integra, subcoriacea, oblonga; flores pediculati, solitarii ternive è gemmis squamosis propriis ad apices ramorum anni præcedentis orti, dein ramis novellis elongatis laterales evadentes. Stipulæ parvæ convolutæ acuminatæ ramos novellos terminantes.

Vir. Cortices et imprimis Capsulæ valdè aromaticæ Anisum ferè spirantes, subacres, condimentariæ.

Hab. Species 3, 1 ex Japoniâ, 2 ex Americâ boreali ortæ.

Obs. Numerus partium floris varians. Genus à cæteris

Magnoliaceis ovariis capsulisve stellatim ferè ut in Sempervivis nec spicatim dispositis, primâ fronte distinctum.

1. Illicium Floridanum.

I. petalis 27-30 purpureis, exterioribus oblongis, interioribus lanceolatis.

I. floridanum. *Ellis. act. angl.* 1770. *p.* 524. *t.* 12. * *Lin. mant.* 395. *Journ. Phys.* 2 *ann.* 1777. *p.* 62. *t.* 1. * *Lam! dict.* 1. *p.* 352. * *Ill. t.* 493. *f.* 1. *Gærtn. fruct.* 1. *p.* 339. *Willd. sp.* 2. *p.* 1254. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 526. *Duham. arb. ed. nov.* 3. *p.* 190. *t.* 47. * *Sims. bot. mag. t.* 439. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 380.

Hab. in Floridâ occidentali juxtà flumen Mississipi. *Mich.*, ad urbem Pensacola loco paludoso. (Ellis) ♃ fl. ineunte vere. (v. v. c.)

Suffrutex; rami juniores purpurascentes; folia ovali-lanceolata utrinquè acuminata; flores 2-3 ex apice veterum ramorum orti, sed ramis novellis ortis et elongatis fructus laterales videntur; pediculi 1-flori inflexi; alabastra globosa; sepala 6 oblonga hyalino-membranacea caduca basi subsoluta; petala triplici ordine digesta purpurea patentia oblonga, interiora lanceolata; stam. 39-42 purpurea; pollen album; ovaria stylique 18. Numeri partium variantes sed ab indicatis parùm diversi. Folia trita anisum redolentia.

2. Illicium anisatum.

I. petalis 27-30 flavescentibus, exterioribus oblongis, interioribus lineari-subulatis.

Anisum Philippinarum insularum. *Clus. hist.* 2. *p.* 202. *f.* 3.

Anisum peregrinum. *C. Bauh. pin.* 159.

Zingi fructus stellatus sive anisum Indicum. *J. Bauh. hist.* 1. *p.* 485. *ic.*

Evonymo affinis Philippina anisum spirans. *Pluk. alm.* 140.

Somo vulgò Skimmi, Fanna Skimma, et Fanna Skiba. *Kæmpf. amœn.* 880 *et* 881. *ic.*

Anis de la Chine. *Pomet. hist. drog.* 43. *Lemery. dict.* 49.

Badianifera. *Lin. mat. med. p.* 180. *n.* 510.

Illicium anisatum. *Lin. sp.* 664. *Berg. mat. med.* 514. *Regn. bot. t.* 396. *Rozier. journ. phys.* 14. *ann.* 1779. *p.* 249. *Thunb! jap.* 235. * *Lour. coch.* 432. * *Gærtn. fr.* 1. *p.* 338. *t.* 69. *Lam. dict.* 1. *p.* 351. *Ill. t.* 493. *f.* 2. *Willd. sp.* 2. *p.* 1254. *Duham. arb. ed. nov.* 3. *p.* 191.

Hab. in Japonia (Kæmpf.) insulâ Nipon. *Thunb.*, in Chinæ provinciis ad occasum Cantoniensis sitis (Lour.); cultum in Chinæ Japoniæque hortis ornamenti causâ (herb. Lamb.) ♃ seu ♄ fl. aprili. (v. s. sp. in herb. Deless. Lamb.)

Arbor Cerasi altitudine (Kæmpf.); frutex 8-pedalis (Lour.); folia oblonga (obtusa ex Lour.) utrinquè acuta, breviter petiolata, coriacea; squamæ ovatæ breves concavæ deciduæ gemmas florales constituentes; pedicelli è gemmâ solitarii sed ob gemmas approximatas conferti, post gemmæ squamarum lapsum è medio cicatricis annularis orti, 4-5 lin. longi, 1-flori; sepala 6; petala linearia acuta 27-30; ovaria 8-9 verticillata. Capsulæ è Chinâ, sub nomine Anisi Chinensis, adportatæ, suppeditant condimentum aromaticum quo liquores alkoolici grati, præsertim apud Burdigalenses, præparantur.

3. Illicium parviflorum.

I. petalis 9-12 flavescentibus ovato-subrotundis.

I. anisatum. *Bartr. journ. lond.* 1769. *p.* 24. *trav. p.* 24. *ex Pursh.*

I. parviflorum. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 326. *Vent! cels. t.* 22. * *Poir. supl* 1. *p.* 558. *Duham. arb. ed. nov.* 3. *p.* 190. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 380.

Hab. in Floridâ occidentali juxta amnem Sti.-Johannis prope lacum Georgii *Michaux.* ♄. fl. maio-jun. (v. v. c.)

Suffrutex; rami virides; folia oblonga utrinquè angustata obtusiuscula, breviter petiolata, odorata, subtùs pallidiora; flores 1-3 conferti ad apicem ramorum per anthesin elongatorum, pediculati, cernui, inodori, coloris mellei, 4-5 lin. diametro; squamulæ 4-6 minimæ; sepala 3 ovata subciliata; petala 9-12 ovato-subrotunda concava; stam. 6-9; ovaria 12-15.

II. DRIMYS.

Drimys. FORST. *gen. t.* 42. LIN. *f. supl.* 269. JUSS. *gen.* 280. LAM. *dict.* 2. *p.* 330. *Ill. t.* 494. — Wintera. MURR. *syst.* 417. WILLD. *sp.* 2. *p.* 1239.

FR. Calyx aut integer aut 2-3-partitus, deciduus persistensve. Petala 6-24 unica duplicive serie disposita. Filamenta ∞ brevissima apice crassiora; antheræ didymæ apice adnatæ, loculis subdiscretis lateralibus; ovaria 4-8 congesta, stigmate punctiformi terminata; Baccæ totidem 1-loculares ∞-spermæ; semina duplici serie disposita.

VEG. Arbores (fruticesve?) sempervirentes glabræ, cortice acri aromatico, foliis breviter petiolatis, ovalibus oblongisve, integerrimis, pedunculis lateralibus axillaribusve, uni aut multifloris; Floralium partium numerus varians; Stipulæ in foliis adultis nullæ, sed ad apicem ramorum novellorum sitæ mox caducæ convolutæ acuminatæ.

VIR. Cortices (præsertìm D. Winteri) acres amaricantes tonicæ stomachicæ.

HAB. Species 5 huc usquè notæ; una quæ sectionem primam constituit et à cæteris sat diversa, habitat Novam-Zelandiam; cæteræ Americam à Mexico ad fretum Magellanicum usquè.

OBS. Genus structurâ staminum et calycis subpersistentia paululùm ad Delimaceas spectans.

Sect. 1. DRIMYS.

CAR. Calyx integer dehiscens. Flores minimi.

1. Drimys axillaris.

D. foliis oblongis utrinquè acuminatis, pedicellis unifloris.

D. axillaris. *Forst! gen. t.* 42. (*ic. flor.*) *nov. act. ups.* 3. *p.* 182. *Lin. f! supl* 270. *Lam. ill. t.* 494. *f.* 2. *ic. Forst.*
Wintera axillaris. *Willd. sp.* 2. *p.* 1240.
Hab. in Novæ-Zelandiæ nemoribus. *Forster.* ♃. (v. s. sp. in h. Mus. Par. Banks. Lamb.)
Rami teretes purpurei subexasperati; folia obovata seu oblonga utrinquè acuminata petiolata, supernè lucida, ferè 3 poll. longa; pedicelli axillares 1-3 gracillimi 1-flori nudi; flores minimi; calyx ex Forstero integer dehiscens; petala 6 ovata ex descr., oblonga ex icone, patentia; ovaria 4 tetrasperma.

Sect. II. WINTERA.

CAR. Calyx 2-3-partitus aut 2-3-sepalus.

2. Drimys Winteri.

D. foliis oblongis obtusis subtùs glaucis, pediculis subsimplicibus aggregatis, aut brevissimis in pedicellos elongatos divisis.

Cortex Winteranus. *Clus. exot.* 75.
Laurifolia Magellanica cortice acri. *C. Bauh. pin.* 461.
Boigne cinnamomifera olivæ fructu. *Feuill. obs.* 3. *p.* 10. *t.* 6.?
Periclymenum rectum foliis laurinis cortice aromatico. *Sloan. phil. trans. v.* 17. *p.* 923. *t.* 1. *f.* 1. 2. *ex Murr.*
D. Winteri. *Forst. gen. p.* 84. *t.* 42. (*ic. fl.*) *Nov. act. ups.* 3. *p.* 181. *Lin. f! supl.* 269. *Mill. fasc. ic. pulch. Lam. dict.* 2. *p.* 331.
Winterana aromatica. *Sol. med. obs.* 5. *p.* 46. *t.* 1.
Wintera aromatica. *Murr. syst.* 507. *app. med.* 4. *p.* 557. *Willd. sp.* 2. *p.* 1239. *Pers. ench.* 2. *p.* 84. *Bonpl. pl. æquin.* 1. *p.* 209.

β. Punctata.
Magallana. *Comm! herb.*
D. punctata. *Lam! dict.* 2. *p.* 330. *Ill. t.* 494. *f.* 1.

Hab. in Freti Magellanici vallibus soli expositis *Forst. Comm.*, in Staten-Land *Menzies* ♃-♄ fl. decemb. (v. s. sp.)
Arbor quoad altitudinem mirificè varians, pro soli discrimine 6-40 pedalis; rami teretes cicatricibus foliorum exasperati; folia oblonga obtusa, nervo medio donata, cæterùm avenia, subtùs glauca tenuiter punctulata, in var. *β* minùs glauca magis distinctè punctata; pediculi axillares aut subterminales approximati sæpiùs 1-flori simplices, rariùs paulò supra basim in pedicellos elongatos articulatìm divisi; calyx 2-3-sepalus; petala 6 oblonga; baccæ 4-6 obovatæ.
Ex hâc arbore (non confundendâ cum Winteraniâ Canellâ seu Canellâ albâ inter Meliaceas recensendâ) elicitur Cortex Winteranus verus primùm detectus anno 1577 à Johanne Winter qui cum cl. Drake iter fecit; cortex stomachicus antiscorbuticus. (Conf. *Murr. app. med.* 4.

p. 557. *Carth. diss. de cort. wint.* 1760. *Dale. pharm.* 328. *Morris. med. obs.* 5. *p.* 56.)

3. Drimys Granatensis.

D. foliis lanceolato-oblongis utrinquè acutis subtùs glaucis, pedunculis elongatis trifidis.

D. granatensis. *Lin. f! supl.* 269. *Lam. dict.* 2. *p.* 330.
Wintera Granatensis. *Murr. syst.* 507. *Willd. sp.* 2. *p.* 1239. *Pers. ench.* 2. *p.* 84. *Humb. et Bonpl! pl. æquin.* 1. *p.* 205. *t.* 58. *Lozano in sem. nov. gran.* 1809. *p.* 180.
Hab. in Novâ-Granatâ (Lin. f.), Brasiliâ (h. Juss.), in Regni Santa-Fez de Bogotâ montibus ad altitudinem 1500 hexap. *Humb. et Bonpl.* ♃ (v. s. sp.).
Arbor triorgyalis in Novâ-Granadâ vulgò *Agi*, in Popayan et Quitoensi provinciâ *Canela de Paramo* dicta (Lozano); folia petiolata oblonga utrinquè acuminata 3-4 poll. longa vix pollicem lata, supernè intensè viridia, subtùs nervo prominulo excepto albido-glauca; pedunculi axillares solitarii, pollicem et ultrà longi, apice pedicellos 2-3 pollicem longos 1-floros gerentes; petala alba circiter 12.

4. Drimys Chilensis.

D. foliis oblongo-obovatis subtùs glaucis, pedicellis confertis 1-floris aut è pedunculo communi ortis, petalis 6-9 oblongis subobtusis.

Canelo. *Domb ! herb.*
Hab. in Regni Chilensis paludosis. *Dombey.* ♃. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)
Frutex elatus; Cortex valdè aromaticus; rami teretes; folia oblonga basi attenuata ferè obovata coriacea glaberrima, breviter petiolata, subtùs glauca, Magnoliæ glaucæ æmula; pedunculi nunc brevissimi axillares apice pedicellos 4-5 unifloros umbellatos elongatosque gerentes, nunc nulli pedicellis nempè 4-5 ex axillis supremis orti aggregati pollicem ad summum longi; calyx 2-3-sepalus, tardè deciduus, forsan persistens, sepalis ovatis obtusiusculis; petala 6-9 oblonga subobtusa, calyce duplò longiora; stamina brevissima; antheræ didymæ albicantes; ovaria 5-6 ovata super thorum parvum globosum congesta; baccæ ovales subcompressæ obtusæ.

5. Drimys Mexicana.

D. foliis oblongo-lanceolatis utrinquè acuminatis, pedunculis elongatis apice pedicellos 4 elongatos gerentibus, petalis 20-24 acutis.

D. Mexicana. *Moç. et Sessé pl. mexic. ined. ic.*
Hab. in Mexico. (ic. Mex.) ♃. (v. ic. pict.)
Frutex; rami teretes, stipulâ acutâ ut in Magnoliis terminati; folia petiolata oblongo-lanceolata utrinquè attenuata; pedunculi pollicem sesquipollicemve longi, apice umbellatim divisi in pedicellos 4 longos 1-floros; calycis

sepala partitionesve 2 oppositæ concavæ persistentes ; petala alba patentia oblonga acuta 20-24 serie duplici alternatim disposita ; stamina brevissima ; ovaria 4 ; baccæ 4 aut abortu 2-3 obovatæ basi attenuatæ cæruleo violaceæ.

III. TASMANNIA.

Tasmannia. R. Brown. *ined.* — Gen. nov. Lech. *ined.*

Fr. Flores dioïci minimi Drimydis floribus similes ♂..... ♀ sepala..... petalaque decidua; ovarium 1. Fructus membranaceus indehiscens polyspermus 1-locularis ; semina subcurva, testâ nitidâ fragili, albumineque carnoso donata, lateraliter adfixa biserialia ? subhorizontalia.

Veg. Frutices glaberrimi sempervirentes; folia alterna breviter petiolata integerrima ; pedicelli 1-flori ex axillis foliorum supremis confertim orti, foliis breviores, teretes graciles. Rami stipulâ convolutâ acutâ deciduâ parvâ terminati.

Obs. Genus Drimydi valdè affine ex cl. R. Brown, sed differt floribus dioïcis, fæmineis monocarpis.

Hab. Species 2 in Novâ-Hollandiâ.

1. Tasmannia aromatica.

T. foliis oblongis basi in petiolum sensim attenuatis, fructibus globosis subdidymis.

T. aromatica. *R. Brown! prod. Nov.-Holl.* 2. *ined.*

Hab. in Novæ-Hollandiæ frigidioribus, nempè in montibus insulæ Van-Diemen. *R. Br.*, in insulâ King et ad fretum d'Entrecastreaux. *Lechenault.* ♄. (v. s. sp. sine flor.)

Rami teretes ; novelli subfasciculatim ex veterum apicibus orti ; cortex aromaticus ; folia oblonga utrinquè attenuata basi sensim (nec abruptè) angustata in petiolum brevem crassiusculum, integerrima, coriacea, nervo medio basi prominulo pinnatim nervoso, nervulis angulo acutissimo ortis, 2-3 poll. longa, 4-5 lin. lata; pedicelli fæminei ad apices ramulorum conferti; 5-7 lin. longi, 1-flori ; fructus globosi, subdidymi, vix pisi minimi magnitudine, fusco-nigricantes.

Specimina à cl. Lechenault lecta à Brownianis differunt ramulis magis fasciculatim ortis, foliis angustioribus, fructibusque dimidio ferè minoribus.

2. Tasmannia insipida.

T. foliis ovali-oblongis ad apicem petioli brevissimi abruptè subauriculatis, fructibus ovali-oblongis.

T. insipida. *R. Brown! prod. Nov.-Holl. v.* 2. *ined.*

Hab. in Novâ-Hollandiâ circa Port-Jackson. *R. Brown. Caley. Lechenault.* 5. (v. s. sp.)

Rami teretes fusci, cortice lævi insipido! folia petiolo crasso brevissimo submarginato instructa, basi abruptè auriculata, auriculis minimis rotundis subcochleariformibus, ovali-oblonga acuminata glabra semper-virentia, 3-5-poll. longa, 10-12 lin. lata, nervo medio ad apicem usquè subtùs prominulo, verè penninervio, nervulis nempè lateralibus angulo minùs acuto divergentibus; flores dioïci minimi. ♂ pedunculi ex apice ramorum orti brevissimi, divisi in pedicellos 7-8 graciles 1-floros pedunculo longiores subcorymbosos, basi ex bracteæ caducæ membranaceæ ovali-acuminatæ axillâ ortos; alabastra ovata minima; ♀ pedicelli bini 1-flori, 8-10 lin. longi, ex axillâ foliorum superiorum orti; fructus membranaceus, ovato-oblongus, utrinquè obtusus, seminibus subtorulosus, 5-6 lin. longus, 3 lin. diametri.

IV. MAYNA. †

Mayna. AUBL. *guian.* 2. *p.* 922. *t.* 352. JUSS. *gen.* 281. LAM. *dict.* 3. *p.* 680. *t.* 491.

FR. Flores dioïci. ♂. Calyx 3-sepalus 3-partitusve. Petala 8-9 calyce minora. Stamina circiter 30; antheræ oblongæ 4-gonæ apice crassiores; ♀ ignoti.

VEG. Frutex Cayennensis; folia magna breviter petiolata oblonga acuminata integra lævia; stipulæ 2 parvæ deciduæ; flores parvi plurimi axillares odori albi breviter pedicellati; pedicelli 1-flori basi bracteam 1 parvam gerentes calycesque velutini.

OBS. Genus ex solo Aubletio notum, inter Magnoliaceas et Annonaceas medium, fructibus autem ignotis dubium, ob folia stipulacea Magnoliaceis relatum, sed antheris tetragonis, et florescentia forsan ad Annonaceas referendum.

1. Mayna odorata.

M. odorata. *Aubl. guian.* 2. *p.* 922. *t.* 352. *Lam. l. c.*

Hab. Cayennæ prope hortum prædii Loyola. ☽ fl. decembri. (Aubl.)

V. MICHELIA.

Michelia. LIN. *gen.* 691. GÆRTN. *fr.* 2. *p.* 263. *t.* 137. JUSS. *gen.* 280. LAM. *dict.* 1. *p.* 690. *Ill. t.* 493. *non* HOUST. *nec* AMM. — Champaca. ADANS. *fam.* 2. *p.* 365.

FR. Calyx 3-sepalus petaloïdeus deciduus, bracteâ spathaceâ lateraliter dehiscente caducâ cinctus. Petala 6-15 multiserialia, exteriora majora; Stam. ∞ petalis breviora;

antheræ lineares. Ovaria ∞ secus torum pyramidatum spicatìm aggregata. Capsulæ subbaccatæ, apice dehiscentes, bivalves, secus rachin spicatæ, distantes nec imbricatæ, polyspermæ; semina circiter 8 subbaccata.

Veg. Arbores elegantes; folia ovata aut lanceolata integra petiolata penninervia, nervulis reticulatìm anastomosantibus; flores axillares, solitarii aut geminati, breviter stipitati, odorati; Capsulæ maturæ extùs punctatæ, è longinquo Coccolobas reverà diversissimas ferè simulantes; semina rubentia.

Vir. Flores odorati et ideò arbores in Indiâ ornamentarii.

Hab. Species omnes Indicæ, et ab Indis *Champac* generatìm dictæ, à poetis Indis sæpè celebratæ (Jones. *Asiat. res.* 4. *p.* 288.).

Obs. Icon fructus Rheedii et Gærtneri vix congruunt; specimina quæ vidi tabulam Rheedianam optimè referunt; semina ex Gærtnero albumine carnoso gaudent. — Magnoliæ quædam Asiaticæ ad hoc genus forsan sunt referendæ?

1. Michelia Champaca.

M. foliis lanceolatis glabris.

Champe. *C. Bauh. pin.* 470.
Flos Indicus Champaca dictus. *Bont. hist. nat. ind.* 190. *Comm. fl. mal. p.* 29.
Uvifera arbor Orientalis folio oblongo. *Herm. par. bat.* 385. *Comm. fl. mal. p.* 70.
Champaca Philippensis flore et fructu stellato. *Petiv. gaz. t.* 24. *f.* 1.
Tsjampacca inodorum sive arbor uvifera Indica foliis Lauri Americanæ. *Breyn. prod.* 2. *p.* 101.
Hapughaha. *Herm. zeyl.* 64.
Champaca Malabaris, Paufule Lusitanis. *Mus. zeyl. p.* 64.
Arbor procera Hapughaha dicta floribus oblongis luteis odoratis. *Burm! zeyl.* 31.
Champacan. *Rheed. mal.* 1. *p.* 31. *t.* 19. * *Ray. hist.* 1641.
Zampacca in Luzone. *Ray. camell.* 83.
Sampaca, bonga Sjampacca. *Rumph. amb.* 2. *p.* 199. *t.* 67.*
Michelia. *Lin. fl. zeyl. n.* 144. *Osb. it. chin.* 93.
M. champaca. *Lin! sp.* 756. *Lam. ill. t.* 493. *dict.* 1. *p.* 690. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1260.
M. suaveolens. *Pers. ench.* 2. *p.* 94.
Hab. per totam Indiam plurimum in Maleyensibus regionibus locis udis et arenosis, sed ferè ubiquè culta. (*Rumph*). ♃. fl. per totum annum (v. s. sp.).
Arbor cortice cinereo, ligno molli, trunco elato, ramis paucis; folia lætè viridia; flores crocei, per diem unicum suavissimè olentes, decerpti

mox subfætidi; capsulæ baccatæ, pallidè virescentes, subrotundæ, punctis stelliformibus notatæ; semina 6-8 rubentia angulosa (Rumph.).

Folia oblonga lanceolata, utrinquè acuminata, supernè lucida, nervo medio subtùs prominulo, nervulis pinnatis ramosis reticulatìm anastomosantibus; pediculi axillares 1-flori glabri, petiolo breviores, medio cicatriculâ (spathæ vestigio) notati; alabastrum ovato-acuminatum pube tenui sericeâ adpressâ subargenteum; petala oblonga 6-8 lin. longa, 3 lin. lata.

2. Michelia Kisopa.

M. foliis ovato-lanceolatis glabris secus petiolum non attenuatis.

M. Kisopa. *Buchanan! ined.*

Hab. in Napaulià circa Harain-Hetty. ♃ fl. octob. *Buchanan.* (v. s. sp. in h. Lamb.)

Valdè similis M. champacæ, sed differt: foliis magis coriaceis, basi ovatis nec secus petiolum attenuatis, 2 poll. et ultrà latis; ramis junioribus fuscescentibus; cicatricibus stipularum in ramis junioribus obliquis nec horizontalibus; gemmis subfuscis paulò majoribus; pediculis brevioribus crassioribus; petalis 9 oblongioribus acutioribus.

3. Michelia Doltsopa.

M. foliis ovali-oblongis acuminatissimis glabris subtùs glaucescentibus.

M. Doltsopa. *Buchanan! ined.*

Hab. in Napaulià circa Harain-Hetty. ♃. fl. febr. *Buchanan.* (v. s. sp. in h. Lamb.)

Arbor; rami teretes crassiusculi, cortice fuscescente, stipularum cicatricibus tenuibus circulariter notati; stipulæ extùs fusco-velutinæ, mox deciduæ, in gemmam terminalem oblongam subacuminatam convolutæ; folia ampla glaberrima coriacea ovali-oblonga acuminatissima integerrima, utrinquè reticulatìm subnervosa, subtùs glaucescentia, petiolo 10-12 lin. longo, limbo 6-9 poll. longo, 2-3 poll. lato; flores axillares solitarii subsessiles, pedunculo nempè brevissimo crasso, tomentum velutinum fusco-cinnamomeum densum gerente, spathæ cicatrice circulariter notato; spathæ 2 oblongæ convolutæ extùs tomento fusco-cinnamomeo hirsutæ, deciduæ; alabastrum oblongum, formâ magnitudine et habitu subsericeo Chrysalidem Bombycis æmulans, colore autem discrepans; petala 6-9, exteriora oblonga ferè obovata 12-15 lin. longa 6-8-lata glabra, interiora angustiora; stam. petalis triplò ferè breviora; antheræ lineares adnatæ introrsæ; ovaria in conum oblongum aggregata, velutina, stylo filiformi glabro uncinato aristata.

4. Michelia Tsjampaca.

M. foliis lanceolato-ovatis, junioribus subtùs pube adpressa sericeis.

Sampacca sylvestris. *Rumph. amb. 2. p. 202. t. 68.* *

M. evonymoïdes. *Burm! ind.* 124.
M. Tsiampaca. *Lin! mant.* 78. *Lam. dict.* 1. *p.* 691. *Willd. sp.* 2. *p.* 1260.
M. sericea. *Pers. ench.* 2. *p.* 94.
Hab. in sylvis Amboinensibus locis umbrosis. ♃. (v. s. sp. in h. Deless. et Lin.)
Arbor M. Champacâ elatior ; folia majora , juniora subtùs ferè lanuginosa ; flores ex albo straminei parùm odorati ; semina in quâque capsulâ 2-7 pallidè rubentia (Rumph.).
Planta in herbario Burmanni, nunc Delessertii, sub nomine M. evonymoïdis seu *Tsjampaca coenung* servata, habet folia ovato-lanceolata acuminata, adulta glabra , juniora subtùs nitidè villis adpressis sericea ; flores 4 in pedunculo corymbosos , juniores extùs subsericeos. Planta herbarii Linnæani habet alabastra glabra. An plures hic confusæ species ?

5. Michelia rufinervis. †

M. foliis elliptico-oblongis utrinquè acuminatis subtùs in nervis petiolis turionibusque pube flavo-rufâ velutinis.

Hab. culta in insulis Mauritianis. *Commerson.* ♃. (v. s. sine fl.)
Ramuli floribus destituti in herb. Commersoniano sub nomine *Champac* servati , ab omnibus suprà enumeratis Micheliis differre videntur ob pubem velutinam flavo-rufam ramulos juniores stipulas petiolos nervosque paginæ foliorum inferioris tegentem ; folia membranacea , 6-7 poll. longa , 2-3 poll. lata, elliptica, utrinquè sed apice imprimis acuminata, penninervia , nervulis reticulatìm anastomosantibus.

†. *Micheliæ vix notæ.*

6. Michelia cærulea. *Rumph. amb.* 2. *p.* 199.
Hab. in Javâ ubi vocatur *Tsjampacca Biru.* Flos cæruleus et debilis coloris (Rumph.).
7. Michelia alba. *Rumph. l. c.*
Hab. in Javâ et Baleyâ ; flos albus minor et odoris quàm M. champacæ jucundioris (Rumph.).
8. Michelia parviflora. *Rumph. l. c.*
Hab. in Ternatâ ; flos croceus ut in M. champacâ, sed minor.

VI. MAGNOLIA.

Magnolia. Lin. *gen. n.* 690. Gærtn. *fr.* 1. *p.* 343. *t.* 70. Juss. *gen.* 281. Lam. *ill. t.* 490. *non Plum.*

Fr. Calyx 3-sepalus , deciduus , interdùm nullus (sepalis forsan omninò petaloïdeis et pro petalis externis habitis). Petala 6-12, bi-tri-quadruplicive ordine disposita, decidua. Stam. ∞ antheris extrorsis. Capsulæ ∞ spicatìm secùs rachin cylindricam in conum imbricatæ, liberæ , bivalves , dispermæ , extrorsùm dehiscentes. Semina baccata , subcordata , funiculi umbilicalis longissimi ope extrà capsulam pendula.

Veg. Arbores pulcherrimæ; folia integra; stipulæ 2 oppositæ, folia juniora tegentes, in gemmam acuminatam convolutæ, citò caducæ; flores ad apices ramorum terminales, solitarii, breviter pedunculati; bractea unica lateraliter fissa aut duæ oppositæ alabastrum includentes mox cadúcæ et lineam circularem super pediculum, ut stipulæ secus ramulos, relinquentes.

Obs. Tegumenta floralia caduca, numero varia, apice pedunculi seu tori basi scrobiculatæ inserta. Torus elongatus basi stamina multiserialia articulatìm inserta, apice ovaria imbricata gerens. Fructus in speciebus Americanis solis notus; semina in iis omnibus rubra bina aut abortu solitaria; funiculus longissimus tracheis plurimis fasciculatis (teste Schkuhrio) constans. Fructus specierum Asiaticarum omnium ignotus verosimiliter diversus et genus ideò in posterum dividendum. Caracter genericus è solis speciebus Americanus erutus.

Vir. Cortices amaræ aromaticæ, tannino acidoque gallico carentes, tonicæ febrifugæ. Semina etiam amaricantia sæpè febrifuga. Capsulæ aromaticæ.

Hab. in Guianâ ad ripas amnis Galibiensis. *Aubl.* ♃ (v. s. sp. sine fl.). fl. et fr. maio.
Frutex 15-pedalis; folia brevissimè petiolata deflexa elongato-oblonga

utrinquè (apice præsertim), acuminata, penninervia, nervis supernè impressis, subtùs omnibus prominulis, lateralibus apice in nervum margini parallelum coalitis; pedunculi petiolis multoties longiores; flos magnus purpurascens; petala ovato-oblonga, omnia acuta, interiora minora; bacca carnosa subrotunda punctata reticulata incarnata gelatinosa edulis (Aubl.).

8. Anona punctata.

A. foliis ovato-oblongis acutis glabris, floribus axillaribus solitariis subsessilibus, petalis omnibus acutis, fructibus subglobosis leviter punctatis.

A. punctata. *Aubl. guian.* 1. *p.* 614. *t.* 247. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1267. *Dunal. monogr. p.* 67.

A. palustris var. *β. Lam. dict.* 2. *p.* 125.

Hab. in Cayennæ sylvis Sinemariensibus et prope amnem Galibiensem (Aubl.). ♃ fl. novemb. fr. apr.-maio.

Frutex 20-pedalis, ramis sparsis; folia alterna, breviter petiolata, apice angustata, acuta, glabra; pedunculi solitarii, axillares, uniflori, longitudine petiolorum; flos parvus subluteus; petala acuta; bacca ovato-subrotunda, punctata, obscurè rufa, carnosa, intùs rubescens, edulis (Aubl.).

9. Anona Peruviana.

A. foliis oblongo-ellipticis acutis subcoriaceis subdecurrentibus, pedunculis axillaribus bracteolatis, petalis omnibus acutis, fructibus globosis reticulatis.

A. Peruviana. *Humb. et Bonpl! ined. Dunal! monogr. p.* 67. *

Hab. in Peruviæ uliginosis circa Guyaquil. *Humb. et Bonpl.* ♄. (v. s. sp. in h. H. B.)

Rami rugosi, foliorum decurrentiâ subcostati; folia super ramos articulata, petiolis decurrentibus donata, subcoriacea, apice subfalcata, marginibus subrevoluta, supernè nitida, subtùs pallidiora, utrinquè venosa, venis parallelis; pedunculi pollicares solitarii uniflori crassi, bracteâ acutâ ad basim amplexi; calyx tripartitus, laciniis ovatis acutis reflexis; petala 6 flava ovata acuta crassiuscula, 3 exteriora intùs ad basim maculâ rubrâ notata, 3 interiora breviora; fructus globosus reticulatus lævis diametro 4-pollicari, non edulis (Humb. et Bonpl. mss.).

10. Anona Ambotay.

A. foliis oblongo-ellipticis acutis subtùs ferrugineo-tomentosis, floribus axillaribus solitariis brevissimè pedunculatis, petalis acutis.

A. Ambotay. *Aubl. guian.* 1. *p.* 616. *t.* 249. * *Lam. dict.* 2. *p.* 126. *Willd. sp.* 2. *p.* 1268. *Dunal. monogr. p.* 67.

Hab. in Cayennæ sylvis Sinemariensibus (Aubl.). ♃ fl. nov.

Frutex 8-pedalis, caulibus tortuosis ramosis; folia brevissimè petiolata,

supernè glabra; pedunculi graciles longitudine petiolorum; flores exigui subvirides solitarii axillares; fructus ignoti (Aubl.)

11. Anona paludosa.

A. foliis oblongis acutis supernè subtomentosis subtùs tomentoso-sericeis rufescentibus nervosis, floribus breviter pedunculatis, petalis omnibus acutis, fructibus ovatis tuberculatis.

Guanabanus fructu turbinato minori luteo. *Barr. æquin.* 53.
A. paludosa. *Aubl. guian.* 1. *p.* 611. *t.* 246. * *Lam. dict.* 2. *p.* 126. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1265. *Dunal! monogr. p.* 68. *
Hab. in Guianæ pratis paludosis Courou et Timoutou. *Aubl.* ♃. fl. nov. fr. apr. (v. s. sp.)
Frutex 4-5-pedalis supernè ramosus; rami tomentoso-rufescentes; folia breviter petiolata, marginata, supernè atro-viridia subvelutina, subtùs nervis pennatis nervulisque parallelis ornata, pilisque sericeis rufo-ferrugineis tomentosa; flores axillares, solitarii aut bini breviter pedunculati; petala extùs subsericea, subcordata ovata acuta viridia, exteriora coriacea, interiora minora; bacca lutea ovata tuberculis acutis retrorsùm uncinatis muricata.

§. II. *Petalis exterioribus ovatis concavis acutis coriaceis, interioribus nullis. — Fructus non satis noti et ideò sectio ad Anonæ genus ex habitu tantùm relata.*

12. Anona echinata.

A. foliis ovato-lanceolatis acutiusculis supernè glaberrimis subtùs tomentosis, ramis rugosis, pedunculis solitariis unifloris, floribus 3-petalis, fructibus ovoïdeis echinatis.

A. echinata. *Dunal! monog. p.* 68. *tab.* 4. *
Hab. in Cayennâ. *Patris.* ♄. (v. s. sp.).
Rami rugosi tuberculati nigrescentes glabri divaricati; folia breviter petiolata ovato-lanceolata acutiuscula, supernè glaberrima obscurè viridia, subtùs nervosa parcè tomentosa cinereo-ferruginea; pedunculi petiolis triplò longiores, tomentosi, post anthesin incrassati; calyx 3-partitus; petala 3 subcordato-ovata coriacea intùs concava, interiora nulla.

13. Anona sericea.

A. foliis ovato-oblongis acuminatis supernè glabris subtùs ramulisque ferrugineo-tomentosis sericeis, floribus 3-petalis solitariis axillaribus pedunculatis extùs ferrugineis.

A. sericea. *Dunal! monogr. p.* 69. *t.* 5. *
Hab. in Cayennâ *Patris.* ♄. (v. s. sp.).

Rami teretes tomentoso-sericei rufescentes; folia breviter petiolata, petiolis rufescentibus, ovato-oblonga, acuminata, interdùm emarginata, supernè glabra obscurè viridia, subtùs sericeo-tomentosa, pilis mollissimis rufo-ferrugineis; pedunculi uniflori teretes rufo-pubescentes; flores ferè A. echinatæ; calyx 3-partitus; petala exteriora ovata extùs ferruginea, interiora nulla.

§. III. *Petalis exterioribus lineari-oblongis angustis apice triquetris basi tantùm concavis sæpè clausis genitalia occultantibus, interioribus minutissimis.*

14. Anona squamosa.

A. foliis lanceolatis glabris pellucido-punctatis, petalis exterioribus subclausis, fructibus ovoïdeis squamosis.

Guanabano. *Ovied. l.* 8. *c.* 17. *ex Marcg.*
Guanabani fructus, Oviedo. *Dalech. lugd.* 1835.
Ate vel ahate de Panucho. *Hern. mex.* 348. *f.* 2. *et* 454. *f.* 2.
Atamaram. *Rheed. mal.* 3. *p.* 21. *t.* 29.*
Guanabanus fructu subcæruleo. *Plum. mss.* 6. *t.* 113? *ex Lam.*
A. Indica fructu è viridi luteo cortice squamato aspero nucleis nigricantibus parvis. *Pluk. alm.* 31. *t.* 134. *f.* 3.
A. foliis odoratis minoribus fructu conoideo squamoso parvo dulci. *Sloan. jam.* 205. *hist.* 2. *p.* 168. *t.* 227. *Ray. dendr.* 77.
A. tuberosa. *Rumph. amb.* 1. *p.* 138. *t.* 46.*
A. 2, foliis oblongo-ovatis undulatis venosis floribus tripetalis fructibus mammillatis. *Brown. jam.* 256.
A. squamosa. *Lin! sp.* 757. *Mill. dict. n.* 3.* *Jacq. obs.* 1. *p.* 13. *t.* 6. *f.* 1.* *Swartz. obs.* 221.* *Lam! dict.* 2. *p.* 123.* *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 3. *p.* 334. *Gærtn. fruct.* 2. *p.* 193. *t.* 138.* *Moç. et Sessé. fl. mex. ic. ined. Dunal! monogr. p.* 69.*
Hab. culta in Indiâ utrâque inter tropicos, verosimiliter ex Americâ orta. ♄. (v. s.).
Arbor 20-pedalis, cortice fungoso; folia lanceolata acuminata pellucido-punctata glabra; petioli semipollicares; pedunculi uni seu biflori, nunc solitarii oppositi-folii, nunc 3-4 aggregati laterales folio non oppositi; pedunculi longitudine petiolorum; calyx 3-partitus, laciniis latis brevibus obtusiusculis; flores vix dehiscentes oblongi apice obtusiusculi; baccæ edules conoideæ subovoideæ carnosæ, squamis extùs tuberculatis; semina elliptica compressa seu obsoletè angulata sublucida castanea seu nigricantia.

15. Anona Forskahlii.

A. foliis oblongis subellipticis glabris punctatis subtùs glaucis, petalis exterioribus oblongis subclausis.

A. glabra. *Forsk. Ægypt. descr.* 102.* *Icon. t.* 15.
A. Asiatica. *Vahl. symb.* 3. *p.* 73.
A. squamosa. *Delile. ill. fl. æg.* 17.

A. Asiatica var. *β. Dunal. monogr. p.* 71.
Hab. in Ægypto. *Forsk.* 5. (v. s. sp.).
An ab A. squamosâ satis distincta? specimen meum ab amic. Coquebert in Ægypto lectum, differt foliis potius elliptico-oblongis quàm lanceolatis, minùs acuminatis, magis papyraceis, distinctiùs punctatis subtùs glaucis; speciem Ægyptiacam ad A. Asiaticam Linnæi retulit cl. Vahl; sed specimen A. Asiaticæ à me in herbario Linnæano visum à nostrâ A. Forskahlii differt foliis impunctatis subtùs pubescentibus.

16. Anona cinerea.

A. foliis oblongo-ellipticis sublanceolatis pellucido-punctatis subtùs pubescentibus, petalis exterioribus subclausis, fructibus ovato-globosis squamosis.

A. cinerea. *Dunal! monogr. p.* 71. *t.* 8.*
Hab. culta? in insulâ S. Thomas. *Ledru.* 5. (v. s. sp.).
Rami rugosi tuberculati subglabri dilutè rufescentes; ramuli folia pedunculi floresque cinereo-pubescentes; folia petiolata, pellucido-punctata, præcipuè subtùs cinerea et pubescentia, 2-3 pollices longa, oblongo-elliptica, obtusiuscula; pedunculi uniflori, 2-3 aggregati; flos oblongus pyramidalis basi gibbosus; calyx parvus tripartitus; petala exteriora basi concava supernè triquetra coriacea, interiora ovata concavitate exteriorum minora; fructus (immaturus) ovato-globosus è plurimis squamis carnosis obtusis constans et A. squamosæ fructum juniorem referens.

17. Anona Cherimolia.

A. foliis ovato-lanceolatis impunctatis subtùs tenuissimè tomentoso-sericeis, petalis exterioribus subclausis extùs tomentosis, fructibus subglobosis subsquamosis.

Guanabanus Perseæ folio flore intùs albo extùs virescente fructu nigricante squamato, vulgò Cherimolia. *Feuill. per. obs.* 3. *p.* 24. *t.* 17.*
A. foliis ovatis acutis flore albido ungue purpureo fructu coniformi tuberoso nigricante. *Trew. ehret. p.* 16. *t.* 49.
A. cherimolia. *Mill. dict. n.* 5.* *Lam! dict.* 2. *p.* 124.* *Dunal! monogr. p.* 72.*
A. tripetala. *Ait. Kew.* 2. *p.* 252. *Wendl. obs.* 24. *t.* 3. *f.* 24. *Willd. sp.* 2. *p.* 1264.
Hab. in Peruviâ. *Feuill.* 5. (v. v. c. et s. sp.).
Arbor 3-4-orgyalis, ramis pendulis (Humb. et Bonpl.); folia ovata mollia petiolata, subtùs tomentoso-sericea dilutè ferruginea graveolentia, ovata sublanceolata, 4-5 poll. longa, 2-2½ lata; pedunculi oppositifolii uniflori solitarii, interdùm terni quaternive, villoso-ferruginei; petala 6, nempè 3 exteriora oblonga coriacea, extùs tomentoso-ferruginea, supernè subteretia, basi concava, maculâ nigrâ notata, 3 interiora minutissima; fructus gratissimi.

18. Anona reticulata.

A. foliis oblongo-lanceolatis acutis glabris subpunctatis,

petalis exterioribus oblongis subclausis, fructibus ovato-globosis reticulato-areolatis.

A. foliis oblongis undulatis venosis fructibus areolatis. *Brown. jam.* 3, *p.* 256.

A reticulata. *Lin. sp.* 757 (*excl. Rumph. syn.*). *Mill. dict. n.* 1. *Swartz! obs.* 222.* *Ait. Kew.* 2. *p.* 253. *ed.* 2. *v.* 3. *p.* 334. *Lam. dict.* 2. *p.* 124.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1265. (*excl. syn. Rumph. et Plum.*). *Dunal! monogr. p.* 72.*

α. Areolis squamoso-rotundatis. *Dunal. l. c.*

Anona-maram. *Rheed-mal.* 3. *p.* 23. *t.* 30. 31.*

Guanabanus fructu purpureo. *Plum. ed. Burm. t.* 43. *f.* 2.*

A. maxima foliis oblongis angustis fructu maximo luteo conoideo cortice glabro in areolas angulares distincto. *Sloan. jam.* 264. *hist.* 2. *p.* 167. *t.* 226. *Ray. dendr.* 77. *Catesb. car.* 2. *p.* 84. *t.* 86.

β. Areolis angularibus subpentagonis. *Dunal. l. c.*

A. reticulata. *Jacq. obs.* 1. *p.* 14. *t.* 6. *f.* 2.*

Hab. spontanea in insulis Caribæis (*Br. Sl.*), in Malabariâ culta (Rh.) ♄ (v. s. sp.).

Arbor comosa, A. squamosæ similis, sed multò amplior et procerior, odoreque magis nauseoso donata; rami patuli teretes subfusci, juniores tenuissimè et adpressè pubescentes; folia breviter petiolata, oblongo-lanceolata, juniora subtùs subpubescentia, adulta glabra, minutissimè pellucido-punctata; pedunculi laterales, à basi ramosi; 3-4-flori; calyx 3-partitus, laciniis triangularibus basi latis apice acutis; petala exteriora 3 linearia crassa triquetra obtusa, extùs inæqualia fusca, intùs albo-lutescentia, basi excavata, maculis atro-purpureis notata; 3 interiora minutissima calyce minora oblonga obtusa; bacca fusca nitens matura flavescens interdùm subrubella edulis.

Huc plures forsan confusæ species? A. reticulata herb. Dombeyi quæ *Anona* vulgò in Peruviâ dicitur differre videtur foliis amplioribus magis regulariter penninerviis, nervis prominulis, parenchimate pellucido non punctato-pellucido.

19. Anona mucosa.

A. foliis oblongo-lanceolatis glabris, petalis exterioribus apice patulis, fructibus areolatis, areolis gibbis.

Manoa. *Rumph. amb.* 1. *p.* 136. *t.* 45.*

A. angustifolia fructu cancellato maximo. *Rumph. l. c.*

A. muscosa. *Aubl. guian.* 1. *p.* 618.

A. mucosa. *Jacq obs.* 1. *p.* 16.* *Dunal. monogr. p.* 74.

Hab. in Martinicæ sylvis (Jacq.), in Guianâ (Aubl.); culta in insulis Moluccanis (Rumph.). ♄.

A. reticulatæ simillima et habitu et caracteribus; differt petalis exterioribus basi coalitis, apice patulis, fructuumque areolis gibbosis, foliis tandem paulò angustioribus; carnis fructus magis mucosæ, sapor nihil grati possidet (Jacq.); undè nomina apud Gallos Guianenses vernacula *Cachiman morveux* seu *C. sauvage* (Aubl.).

§. IV. *Petalis exterioribus oblongo-ellipticis obtusis, interioribus minoribus lanceolatis obtusiusculis; calyce coriaceo trifido magno subcampanulato; fructibus conoïdeis lævibus?*

20. Anona glabra.

A. foliis ovato-lanceolatis glabris, pedunculis oppositifoliis bifloris, fructibus conoïdeis obtusis lævibus.

A. maxima foliis latis fructu maximo luteo conoïde cortice glabro. *Catesb. car.* 2. *p.* 64. *t.* 64.

A. glabra. *Lin. sp.* 758. *Lam! dict.* 2. *p.* 125. * (*excl. syn.*) *Duroi harbk.* 1. *p.* 62. *Willd. sp.* 2. *p.* 1267. *Dunal. monogr. p.* 74.

Hab. in Carolinâ (Cat.); in insulis Caribæis forsan culta (*herb. Mus. Par.*). 5. (v. s. in h. Mus. Par.)

Arbor 16-pedalis; folia ovato-lanceolata glabra, foliis Citri medicæ ferè similia, petiolo tereti 4-5 lin. longo; pedicelli oppositifolii bifidi biflori, bracteas 2-3 latas orbiculares concavas deciduas gerentes, apice rufescentes; calyx extùs rufus, campanulatus, trilobus, lobis latis brevissimis, interdùm ferè truncatis; petala 6 oblonga ferè obovata, obtusa calyce duplò longiora; fructus conoïdeus ovatus obtusus, extùs lævis viridi-lutescens; semina fusca (Cat. Lam.).

21. Anona grandiflora.

A. foliis ovato-lanceolatis glabris coriaceis suprà nitidis, pedunculis axillaribus solitariis, fructibus ovoïdeis glabris subpunctatis.

A. foliis maximis. *Commers! herb.*

A. grandiflora. *Lam! dict.* 2. *p.* 126. * *Vahl! symb.* 3. *p.* 73. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1269. *Dunal! monogr. p.* 75. *t.* 6 *et* 6. a. *

β. Madagascariensis. *Pers. ench.* 2. *p.* 95.

Hab. α in insulis Mauritianis, β in Madagascar. *Commerson.* 5. (v. s. sp.)

Rami teretes glabri punctati rugulosi; petioli crassi brevissimi rugosi; folia coriacea, palmaria, ovalia aut ovato-oblonga, alia acuminata, alia subobtusa, utrinquè glabra, venoso-reticulata, supernè nitida, subtùs glaucescentia; pedunculi solitarii brevissimi crassi axillares uniflori, basi bracteas minutas caducas gerentes seu earum cicatricibus notati, supernè subvelutini; calyx subcampanulatus, extùs subvelutinus, coriaceus, trifidus, lobis latis brevibus acutiusculis; petala 6 oblonga obtusa basi angusta coriacea, exteriora paulò latiora et longiora, interiora angustiora, pollicem circiter longa, omnia extùs velutina albido-cinerea intùs glabra; stamina innumera; fructus mediocris ovoïdeus leviter rugosus; semina oblonga acuta pulposa.

22. Anona amplexicaulis.

A. foliis cordato-oblongis amplexicaulibus acutis glabris, pedunculis axillaribus solitariis unifloris.

A. amplexicaulis. *Lam! dict.* 2. *p.* 127. * *Vahl! symb.* 3. *p.* 73. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1269. *Dunal. monogr. p.* 76. *t.* 7.

Hab. in insulis Madagascar et Mauritii. *Commerson.* ♄. (v. s. sp. in h. Juss. et Mus. Par.)

Rami lignosi teretes glabri, cortice cinereo rimoso; folia sessilia, amplexicaulia, basi cordata, oblonga, acuta, utrinquè glabra, venoso-reticulata, subtùs (in sicco saltem) glauco-purpurascentia; pedunculi axillares breves glabri uniflori solitarii; flores pollicem et ultrà longi; calycis laciniæ 3 acutiusculæ; petala exteriora oblongo-elliptica obtusa, interiora parùm minora lanceolata, omnia basi incrassata intùs concavitate atro-purpureâ notata.

§. V. *Anonæ non satis notæ.*

23. Anona Asiatica. †

A. foliis oblongis acuminatis impunctatis, junioribus pubescentibus, adultis glabris.

A. sylvestris. *Burm. zeyl.* 21. *Mus. zeyl.* 59.

A. foliis lanceolatis glabris nitidis secundum nervos sulcatis. *Lin. hort. cliff.* 222. *fl. zeyl.* 100. *n.* 225.

A. Asiatica. *Lin.! sp.* 2. *p.* 758. *Mill. dict. n.* 7. *Lam. dict.* 2. *p.* 126. *Willd. sp.* 2. *p.* 1267. *excl. syn. Plum.*

A. Asiatica var. *α. Dunal. monogr. p.* 71.

Hab. in Zeylonâ (Lin.). ♄. (v. s. in h. Linn.)

Frustulum sine flore et fructu tantùm vidi; folia 4 poll. longa 9-10 lin. lata. An A. squamosæ, an A. Forskahlii varietas?

24. Anona Senegalensis.

A. foliis latis ovatis subcordatis coriaceis glabris subtùs glaucis, petiolis subvelutinis, pedunculis geminis ternisve intràfoliaceis.

A. Senegalensis. *Pers! ench.* 2. *p.* 95. *Dunal. monogr. p.* 76.

Hab. in Senegaliâ *Roussillon*, in Guineâ *Vahl.* ♄. (v. s. sp. in h. Juss.).

Rami teretes, juniores tenuiter velutini; petioli 3-4 lin. longi subvelutini; folia ovata subcordata, obtusa aut subacuta, basi secus petiolum minimè producta, supernè glabra obscurè glaucescentia, subtùs glauca pallida, penninervia, nervis elevatis rufis pubescentibus utrinquè circiter duodenis ad basim approximatis; pedunculi 2-3 approximati, intra folia lateraliter orti, subcurvi, 5-6 lin. longi, uniflori; flores parvuli; calyx 3-partitus lobis obtusis; petala 3 exteriora ovata obtusa crassa calyce triplò longiora.

25. Anona? uniflora.

A. foliis oblongis acuminatis glabris subtùs glaucis, pedunculis oppositifoliis tomentosis candicantibus.

A? uniflora. *Dunal. monogr. p.* 76.

Hab. in Parâ Brasiliæ. ♄. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Rami teretes, juniores pube adpressâ tomentosâ candicantes, adulti glabri cinereo-fusci; folia brevissimè petiolata, oblonga, apice acuminata, basi parùm attenuata, palmam et ultrà longa, 2-3 poll. lata, penninervia,

supernè glabra, subtùs juniora pube tenui adpressâ candicantia, adulta glabra glauca; pediculi ultimo cujusque rami folio oppositi, uniflori, teretes, tomento candicantes, 6 lin. longi; bracteæ 1-2 orbiculatæ foliaceæ obtusæ subtùs candicantes, supernè subglabræ; flos solitarius; calyx 3-partitus, lobis magnis ovatis vix acutis coriaceis extùs candicantibus; petala nondùm explicata, calycinis lobis similia videntur. Species pulcherrima sed genus dubium!

26. Anona ? exsucca.

A. foliis ovato-oblongis coriaceis supernè lucidis utrinquè ramisque glaberrimis, pedunculis suboppositifoliis simplicibus aut bipartitis.

A ? exsucca. *Dunal. monogr. p.* 77.
Hab. in sylvis Guianæ. *Alex. Anderson.* ♃. (v. s. sp. in h. Lamb.)
Arbor pulchra; fructus parvus omninò exsuccus (Anders.). Rami teretes, etiam nascentes glaberrimi; petioli supernè canaliculati, 3 lin. longi; folia glaberrima, ovali-oblonga, basi ovata, apice obtusa aut subacuta, 2 ½-4 poll. longa, 12-18 lin. lata, coriacea, supernè lucida, penninervia, nervo medio subtùs tantùm prominulo, lateralibus supernè reticulatim subelevatis; pedicelli suboppositifolii, simplices aut ex imâ basi bifidi, tenues, 8-10 lin. longi; alabastra triloba!

27. Anona Africana. ††

A. foliis lanceolatis pubescentibus.

A. foliis lanceolatis pubescentibus. *Lin. h. cliff.* 222. *Roy. lugd.-b.* 494. *Mill. dict. n.* 6.
A. Africana. *Lin. sp.* 758. *Willd. sp.* 2. *p.* 1268. *excl. syn.*
Hab. in Americâ (Lin.). ♃.
Species omninò obscura deest in herbario Linnæano.

III. MONODORA.

Monodora. Dunal. *monogr. p.* 79. — Anonæ sp. Gærtn. Jacq.

Fr. Calyx 3-sepalus. Petala 6 biserialia, exteriora lanceolata, interiora ovata; antheræ ∞ subsessiles; Ovarium 1 ovatum stigmate sessili coronatum; Bacca lævis subglobosa 1-locularis ∞-sperma; semina in pulpâ nidulantia.

Veg. Arbores seu Frutices foliis alternis; pedunculi laterales uniflori, basi aut medio aut supra medium bracteati.

Obs. An fructus verè unicus aut alterius abortu aut plurium intimâ coalitione solitarius evadens?

1. Monodora myristica.

M. baccis subglobosis magnis.

Annona myristica. *Gærtn. fr.* 2. *p.* 194. *t.* 125. *f.* 1. *Hort. Jam.* 2. *ex Lamb. herb.*

M. myristica. *Dunal. monogr. p.* 80.
Hab. in Jamaïcâ. *Wiles.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)
Rami teretes etiam juniores glabri; folia alterna, petiolo brevi crasso instructa, etiam juniora glabra, oblonga, paululùm obovata, basi abruptè ovata, ferè subcordata, vix acuta, supernè nitida, subtùs (præsertim juniora) glaucescentia, coriacea, 7-8 poll. longa, 2-2 ½ poll. lata, penninervia; pedunculi laterales, 3 poll. longi, graciles, uniflori, glabri, basi aut medio aut suprà medium bractea ovata sessili pedicello triplò quadruplòve breviore instructi; flos magnus Unonam undulatam ferè æmulans; calyx 3-sepalus, sepalis ovatis subobtusis patentibus demùm reflexis glabris 6 lin. longis; petala 6, 3 exteriora oblongo-lanceolata acuta valdè undulata 8-9 lin. longa, 3 interiora ovata crassiora, supra basim dilatata, intùs ad marginem ciliato-tomentosa, exterioribus paulò breviora, erecto-conniventia; antheræ subsessiles, confertissimæ, circa ovarium adpressæ, ovarioque dimidio breviores; ovarium unicum ovatum apice attenuatum glabrum, stigmate sessili coronatum; bacca ex Gærtnero simplex subglobosa grandis 1-locularis glabra corticata; semina ferruginea, in pulpâ nidulantia, ovato-oblonga, à pressione vicinorum variè angulata.

2. Monodora microcarpa.

M. baccis turbinatis parvis.

Annona microcarpa. *Jacq. fragm. p.* 40. *t.* 44. *f.* 7.
M. microcarpa. *Dunal. monogr. p.* 80.
Hab. in Novâ-Hollandiâ (Jacq.). ♄.
Fructus solus cognitus; bacca turbinata Avellanæ nuci vix major, obtusissima, in sicco fusca, intùs pulposa, ∞-sperma; semina oblonga, in pulpâ nidulantia (Jacq.).

IV. ASIMINA.

Annonæ sp. Cat. Lin. Juss. *gen.* — Asimina. Adans. *fam.* 2. *p.* 365. Dunal. *monogr. p.* 81. — Orchidocarpum. Michx. *fl. bor. am.* 1. *p.* 329. — Porceliæ sp. Pers. — Asiminæ sp. Juss. *ann. mus.* 16. *p.* 339.

Fr. Calyx 3-partitus. Petala 6 patentia ovato-oblonga, interiora minora; antheræ ∞ subsessiles. Ovaria plurima, plerumque 3, ovata seu oblonga; carpella totidem baccata sessilia; semina plurima unicâ ? serie disposita.

Veg. Frutices; folia oblonga sæpè cuneata decidua; flores axillares subsolitarii sessiles aut pedunculati, interdùm ante folia nascentes.

Hab. Species 4 cognitæ habitant in Americâ boreali.

1. Asimina parviflora.

A. foliis cuneato-obovatis mucronatis subtùs ramulisque

rufo-pubescentibus, floribus sessilibus, petalis exterioribus calyce vix duplò longioribus.

Orchidocarpum parviflorum. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 329.
Porcelia parviflora. *Pers. ench.* 2. *p.* 95. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 383.
Asimina parviflora. *Dunal! monog. p.* 82. *t.* 9. *
Hab. in sylvis umbrosis secus flumina et lacus à Virginiâ ad Georgiam (Pursh), in Carolinâ *Michx.* ♃. fl. apr. maio. (v. s. sp.).
Dumetum humile interdùm etiam fructifer bipedale tantùm (Pursh), rami glabri leviter rugosi; ramuli foliacei rufo-pubescentes; folia brevissimè petiolata, cuneato-obovata, basi acuta, subtùs nervosa et rufo-pubescentia, supernè glabra viridia; flores sessiles aut subsessiles, parvi, ante folia nascentes in foliorum veterum deciduorum axillis; pedunculi calyces corollæque extùs tomentoso-rufescentes; petala vix calyce duplò longiora, ovalia, intùs atro-purpurea; baccæ 2-3 aggregatæ, sessiles, ovatæ, læves, subcarnosæ, Pruni magnitudine.

2. Asimina triloba.

A. foliis oblongo-cuneatis acuminatis ramulisque glabriusculis, floribus breviter pedunculatis, petalis exterioribus calyce quadruplò longioribus subrotundo-ovatis.

Annona fructu lutescente lævi scrotum arietis referente. *Catesb. car.* 2. *p.* 85. *t.* 85. *Trew. ehret. p.* 1. *t.* 5. *Duham. arb. ed.* 1. *v.* 1. *p.* 56. *t.* 19. *
Annona triloba. *Lin! sp.* 758. *Mill. dict. n.* 8. *Icon.* 1. *t.* 35. *Ait. Kew.* 2. *p.* 254. *Duroi. Hardk.* 1. *p.* 59. *ex Willd. sp.* 2. *p.* 1267. *Lam! dict.* 2. *p.* 125. *Duham. arb. ed.* 2. *v.* 2. *p.* 83. *t.* 25. * *Michx. f! arb. amer.* 3. *p.* 161. *t.* 9. * *Schkuhr. handb.* 2. *p.* 95. *t.* 149.
Orchidocarpum arietinum. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 329.
Porcelia triloba. *Pers. ench.* 2. *p.* 95. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 383.
Asimina triloba. *Dunal! monog. p.* 83. *
Hab. juxtà inundatas amnium ripas à Pensylvaniâ ad Floridam. (Pursh.), in Virginiâ, Carolinâ *Michx.* ♃-5. fl. mart. apr. (v. v. c. et s. sp.).
Arbor parva (Pursh.) seu frutex; rami teretes cinerei cicatriculis notati; folia magna, breviter petiolata, ovato-oblonga, cuneata, acuminata, supernè glaberrima, subtùs glabriuscula, nervosa; pedunculi breves, solitarii, uniflori, subrecurvi, virides, pilis mollibus brevibus simplicibus purpureis velutini; flores subcampanulati, ante folia nascentes; calyx 3-partitus, laciniis subæqualibus concavis ovatis extùs pilosis, pilis atro-purpureis brevibus; petala 6 subrotundo-ovata obtusa rugosiuscula primùm erecta demùm retroflexa, 3 exteriora pallidè purpurea, 3 interiora minora extùs purpurea, intùs basi purpurea, medio lutea, supernè purpurea; antheræ ∞ sessiles, primùm luteæ subcoalitæ, dein fulvæ sub apice dehiscentes; ovaria 3 oblonga; stigmata sessilia; baccæ luteæ ovato-oblongæ lutescentes, edules (Pursh.) fœtidæ (Duham.) semina 8-10 duplici serie disposita (Trew.). — Icon Trewiana delineata fuit ex ipsissimo specimine in alcohole servato è quo Catesby suam eruit; differt tamen floribus minoribus, et fructibus longioribus.

3. Asimina pygmæa.

A. caule suffruticoso, foliis oblongo-linearibus longè cu-

neatis obtusis ramulisque glabris, floribus breviter pedunculatis, petalis exterioribus calyce multotiès majoribus obovato-oblongis.

Annona pygmæa. *Bartr. itin. ed. germ. p.* 21. *t.* 1. *ex Willd. sp.* 2. *p.* 1268. *

Orchidocarpum pygmæum. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 330.

Porcelia pygmæa. *Pers. ench.* 2. *p.* 95. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 383.

Asimina pygmæa. *Dunal! monog. p.* 84. *t.* 10.*

Hab. in agris arenosis Georgiæ et Floridæ. *Michx. Pursh.* ♄. (v. s. sp.).

Fruticulus totus glaber, vix supra pedem altus; rami virgati; folia prælonga, lanceolata, cuneata, obtusa; pedunculi breves solitarii uniflori bracteati; bracteæ lineares obtusæ; calyx 3-partitus, laciniis concavis ovatis acutiusculis; petala exteriora ampliora obovato-oblonga alba, interiora minora subelliptica obtusa.

4. Asimina grandiflora.

A. foliis cuneato-obovatis obtusis subtùs ramulisque rufo-pubescentibus, floribus sessilibus, petalis exterioribus obovatis calyce multotiès amplioribus.

Annona grandiflora. *Bartr. trav.* 18. *ed. germ.* 20. *t.* 2. *ex Willd.*

Annona obovata. *Willd. sp.* 2. *p.* 1269.*

Orchidocarpum grandiflorum. *Michx! fl. bor. am.* 1. *p.* 330.

Porcelia grandiflora. *Pers. ench.* 2. *p.* 95. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 383.

Asimina grandiflora. *Dunal! monogr. p.* 84. *t.* 11.*

Hab. in sylvis arenosis umbrosis Georgiæ et Floridæ. *Michx. Pursh.* ♄. fl. maio. (v. s. sp.).

Dumetum parvum (Pursh.); rami glabri; ramuli, folia subtùs, calycesque rufo-pubescentes; folia cuneato-obovata obtusa supernè glabra; pedunculi brevissimi; flos præ plantæ magnitudine amplus, albus (Pursh.); calyx 3-partitus, laciniis concavis ovato-ellipticis acutiusculis; petala exteriora multotiès ampliora obovata, interiora lineari-oblonga; baccæ glabræ oblongo-obovatæ.

V. PORCELIA.

Porcelia. RUIZ et PAV. *syst.* 1. *p.* 144. *prod.* 84. *t.* 16. * DUNAL. *monogr. p.* 85. — Asiminæ sp. JUSS. — Porceliæ sp. PERS.

FR. Calyx subtripartitus. Petala 6, interiora paulò majora. Antheræ ∞ subsessiles. Ovaria 3-6. Carpella totidem sessilia coriacea vix subcarnosa cylindrica subtorulosa ∞-sperma; semina gemino ordine superimposita.

VEG. Arbor Peruviana foliis ovato-lanceolatis, floribus fructibusque nutantibus.

1. Porcelia nitidifolia.

P. nitidifolia. *Ruiz et Pav! syst.* 1. *p.* 144. *Pers. ench.* 2. *p.* 96. *Dunal! monogr. p.* 85.*

Hab. in Peruviæ nemoribus montanis versus Chincao vicum et Macora præ dium. R. *et P.* ♃. (v. s. sp.).

Arbor procera, 40-ulnaris, pulcherrima; rami subcinerei, rugosi, punctati, punctis minutis; folia breviter petiolata, basi rotundata, oblongo-lanceolata, acuminata glaberrima, suprà nitida, utrinquè venosa; pedunculi axillares, uni aut pauciflori, plures aggregati, apice incrassati, penduli; calyx subtripartitus, laciniis acutis apice recurvis; petala ovata albido-subflavescentia acutiuscula, crassiuscula, 4-5 lin. longa; antheræ lineares; baccæ (ex icon. fl. per.) extùs suturâ longitudinali notatæ, edules, receptaculo plano insidentes; semina oblongo-reniformia compressa.

Folia colorem luteum suppeditant (fl. per.).

VI. UVARIA.

Uvaria. Lin. *gen.* 692. Gærtn. *fr.* 2. *p.* 155 *et* 157. Dunal. *monogr. p.* 86. — Uvariæ sp. Juss. *gen.* 284. *ann. mus.* 16. *p.* 340. Willd. sp. 2. *p.* 1261.

Fr. Calyx 3-partitus, laciniis ovato-cordatis. Petala 6 ovalia, 3 exteriora minora? Antheræ ∞ receptaculum hemisphæricum obtegentes. Ovaria ∞ sæpè villosa. Carpella ∞ baccata carnosa, plus minùsve stipitata, ovato-globosa, ∞-locularia, ∞-sperma. Semina duplici serie disposita.

Veg. Arbores fruticesve; caules erecti aut sarmentosi; pedunculi axillares, oppositifolii aut laterales, 1-4-flori, solitarii gemini ternive, sæpè bracteolati vel medio articulati.

Hab. Species omnes ritè cognitæ habitant in Indiâ orientali aut insulis vicinis.

Obs. Pleræque Uvariæ auctorum ad Unonam aut Guatteriam sunt repellendæ, sed nostrum genus, ad paucas etiamsi species reductum, Uvariæ nomen retinere debet, non tantùm ob jus antiquitatis, sed adhuc ex eo quod hoc nomen ex uvâ diminutivum generi carpellis baccatis, non verò Unonæ fructu sicco donatæ, convenit.

1. Uvaria Zeylanica.

U. sarmentosa, foliis ovato-lanceolatis glabris, baccis pluribus in stipitem attenuatis ovato-cylindricis, seminum integumenti processibus internis lamellosis.

Uva Zeylanica sylvestris mali Armeniacæ sapore. *Mus. Zeyl. p.* 8. *et* 31. *ex Burm. thes. Zeyl.* 231. * (*excl. syn.*)

Uvaria. *Lin. fl. Zeyl.* 234. (*excl. Rai et Rheed. syn.*)

U. Zeylanica. *Lin. sp.* 2. *p.* 756, (*excl. Rheed. et Rumph. syn.*) *Gærtn.*

fr. 2. *p.* 155. *t.* 114. *f.* 2. *Lam. illustr. t.* 495. *f.* 2. *Dunal. monogr. p.* 88. *non Willd. nec Lam. dict.*

Hab. in Ceylonâ. (Burm.) ♄. (v. s. in h. Juss.)?

Frutex sarmentosus; rami rugosi; folia ovato-lanceolata glabra acuminata petiolata; flores punicei stellati; baccæ 6-7 subhirsutæ molles cinereæ parvæ teretes semi-unciales, sapore vinoso mali Armeniacæ saporem æmulante (Lin. Burm.). Baccæ communi receptaculo insistentes, breviter stipitatæ, ovato-cylindricæ, ad seminum sedem nodulosæ, cinereo-albidæ, intùs in totidem loculamenta horizontalia gemino ordine posita divisæ quot sunt semina; semina in loculis solitaria, in totâ autem baccâ duodena circiter aut pauciora, semi-circularia, utrinquè plana, glaberrima, castanea. (Gærtn.)

U. Zeylanica à cl. Brugmans missa et in herb. Jussiæano servata, est specimen unicum flore destitutum, ab omnibus speciebus sub eodem nomine in herbario Burmanni servatis diversum. Rami teretes, grisei, glabri, apice summo vix pubescentes; folia oblonga, breviter petiolata, dependentia, glabra, utrinquè acuminata, coriacea, nervo medio subtùs prominulo, cæterùm vix venosa. — An sequentis ramulus?

2. Uvaria Gærtneri.

U. baccis ovatis in stipitem attenuatis, seminum integumenti processibus internis subulatis et ferè acicularibus.

U. trifoliata. *Gærtn. fr.* 2. *p.* 167. *t.* 114. *f.* 2. *Lam. ill. t.* 495. *f.* 3. *Dunal. monogr. p.* 89.

Hab. verosimiliter in Ceylonâ; semina in coll. hort. Lugd-b. vidit Gærtner sub nomine U. Zeylanicæ ♄.

Baccæ ovatæ, baccis U. Zeylanicæ majores, sensim in stipitem attenuatæ, carnosæ; dissepimenta transversalia crassa carnosa; semina duplici serie posita, 8 aut plura, obovata, lenticulari-compressa, obsoletis foveolis oblongis rugosa, è cinereo spadicea; integumenti processus interni non lamellosi, sed subulati et ferè aciculares, quare etiam albumen loco rimarum contiguis foraminulis exsculptum. (Gærtn.)

3. Uvaria lutea.

U. arborea, foliis oblongis acuminatis glabris nitidis, pedunculis solitariis 1-6-floris, baccis oblongis 6-spermis.

U. lutea. *Roxb! corom.* 1. *p.* 32. *t.* 36.* *Willd. sp.* 2. *p.* 1263. *Poir. suppl.* 2. *p.* 71. *Dunal. monogr. p.* 89.

U. coriacea. *Vahl. symb.* 3. *p.* 72?

Hab. in montibus Coromandeliæ. *Roxb.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.) fl. tempestate calidâ.

Arbor erecta, cortice intensè colorato, lævi; folia horizontalia, disticha, breviter petiolata, ovalia seu oblonga, lævia, nitida, firma, integra, 3 poll. longa, 1½ lata; pedunculi sæpiùs folio oppositi, brevissimi, 1-6 flori; flores parvuli è viridi rufo-flavescentes; carpella 4-6 baccata, breviter stipitata, stellatim patentia, pulposa, lævia, lutea, ovata, 4-6-sperma; semina reniformia, in pulpâ nidulantia (Roxb.); ramuli glabri tenues cinerascentes.

4. Uvaria tomentosa.

U. arborea, foliis oblongis acutis tomentosis, pedunculis 1-floris subsolitariis, baccis globosis 4-spermis.

U. tomentosa. *Roxb. fl. corom.* 1. *p.* 31. *t.* 35. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1262. *Poir. supl.* 2. *p.* 71. *Dunal. monogr. p.* 90.
Hab. in Coromandeliæ montibus Circariensibus (Roxb.) ♄.
Arbor excelsa; rami horizontales numerosi, comam amplam conficientes; ramuli foliaque alterni bifarii; folia breviter petiolata, oblonga aut ovalia, molliter tomentosa, integra, 2-3 poll. longa, 1-2 lata; pedunculi sæpiùs solitarii, teneri, tomentosi, 1-flori, folio dimidio breviores; calyx 3-partitus, laciniis triangularibus acutis; petala 6, 3 exteriora minima lineari-subulata, 3 interiora ovalia subacuta multò majora, rufescentia; antheræ angulatæ truncatæ; carpella 10-15 baccata, super receptaculum globosum inserta, stipitata, ovata, juniora virescentia, adulta violaceo-purpurea, colore et ferè magnitudine Prunum gallicè *Monsieur* dictum, referentia, 4-sperma; semina Phaseoli ferè formâ et magnitudine, in pulpâ armeniaceâ nidulante. (Roxb.)

5. Uvaria dulcis.

U. foliis oblongo-ellipticis basi attenuatis cordatis subtùs ramulisque velutinis, pedunculis geminis axillaribus aut oppositifoliis, medio bracteatis articulatisve.

U. Zeylanica *herb. Deless!*
U. dulcis. *Dunal! monogr. p.* 90. *t.* 13.*
Hab. in Javâ. *herb. Deless.* ♄. (v. s. sp. in h. Deless.)
Rami teretes leviter rugosi, basi glabri, supernè villosi ferruginei; folia brevissimè petiolata, 2-4 poll. longa, oblonga, elliptica, basi attenuata, cordata, apice nunc acuminata, nunc obtusa, nunc subovata, margine subundulata, subtùs penninervia velutina rufo-cinerea nervo longitudinali rufescente donata, supernè glabriuscula aut pilosiuscula, pilis minutissimis oculo armato tantùm conspicuis; pedunculi villosi ferruginei, axillares vel oppositifolii, gemini, medio articulati vel bracteam unicam amplexicaulem gerentes; calyx profundè trifidus, villosus, ferrugineus, laciniis latis ovatis acutiusculis; petala villosa, margine subundulata, exteriora extùs ferruginea, intùs cinerea obtusiuscula, interioribus latiora paulò minora, interiora acutiuscula oblonga basi attenuata, utrinquè (intùs præsertìm) cinerea; pistilla villosa. (Dunal.).

6. Uvaria Javana.

U. foliis oblongo-ellipticis basi cordatis subtùs ramulisque tomentoso-ferrugineis, pedunculis axillaribus aut oppositifoliis paucifloris, pedicellis subumbellatis medio bracteolatis.

U. Javana. *Dunal! monogr. p.* 91. *t.* 14. *
Hab. in Javâ. *Lahaie.* ♄. (v. s. sp. in. h. Deless.)

Rami teretes, punctis cinereo-albidis notati, apice tomentoso-ferruginei; folia brevissimè petiolata, basi attenuata, cordata, oblongo-elliptica, margine undulata, subfalcata, apice nunc acuminata nunc obtusa, subtùs tomentoso-ferruginea, penninervia, supernè subnitida glabriuscula vel pilosiuscula, pilis minutis lentis ope conspicuis, nervo longitudinali suprà tomentoso; pedunculi pauciflori, solitarii vel gemini, villoso-ferruginei; pedicelli 2-4 subumbellati 1-flori, basi articulati, medio bracteam unicam amplexicaulem gerentes; calyx profundè 3-fidus, laciniis lato-ovatis acutiusculis; petala 6, 3 exteriora rotundato-ovata acutiuscula intùs cinerea interioribus paulò minora, 3 interiora ovato-oblonga acutiuscula rufo-cinerea; pistilla villosa. (Dun.)

7. Uvaria velutina.

U. foliis subsessilibus ovatis basi cordatis acuminatis ramisque velutinis, pedunculis lateralibus ramosis velutinis, pedicellis corymbosis unifloris.

U. villosa. *Roxb! ined. Dunal. monogr. p.* 91.

Hab. in Indiâ orientali *Roxburgh.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.).

Ramuli, folia utrinquè, petioli, pedunculi, calycesque tomento brevissimo molli subcinerascente velutini; rami teretes; folia brevissimè petiolata, ferè sessilia, ovata, basi cordata, acuminata, 2-3 poll. longa, 1 ½-2 poll. lata, penninervia, nervis subtùs prominulis magis velutinis; pedunculi laterales ramosi, pedicellis 3-4 subcorimbosis elongatis 1-floris; calyx parvus 3-partitus; petala 3 ovata, subobtusa, crassa, extùs velutina, intùs glabra fuscata; an 3 alia decidua? antheræ ∞ brevissimæ subsessiles; ovaria confertissima subvelutina.

8. Uvaria? spectabilis.

U. foliis oblongis acuminatis subglabris, junioribus ramisque ferrugineo-velutinis, pedunculis unifloris lateralibus aut oppositifoliis, petalis obovatis interioribus apice bifidis.

Hab. in Guianâ. *Martin.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Rami teretes, juniores ferrugineo-velutini; petioli brevissimi callosi; folia 6-8 poll. longa, 2 poll. lata, oblonga, integerrima, basi vix attenuata, apice abruptè acuminata, penninervia, nervis lateralibus alternis subtùs prominulis omnibus in nervulum margini parallelum confluentibus, nascentia subtùs rufo-velutina, demùm glabra, nervo medio subtùs basi velutino; pedicelli brevissimi, ferrugineo-velutini, uniflori, laterales aut oppositifolii; flores ampli; calyx 3-partitus, lobis ovatis coriaceis 3-4 lin. longis extùs pubescentibus, intùs glabris; petala 6, obovata, basi subangustata, 9-10 lin. longa, coriacea, utrinquè pube sericeâ adpressâ candicantia, 3 exteriora paulò minora apice integra, 3 interiora apice bifida, lobulo altero rarissimè subbifido; stamina seriei exterioris abortiva, coriacea, oblonga, fusca, glabra, super stamina fertilia subincumbentia, iis paulò longiora, intùs apice bisulcata; stam. fertilia ∞ multiserialia conferta compressa; ovaria confertissima vix distincta; fructus ignotus; an genus proprium?

VII. UNONA.

Unona. Lin. *supl.* 270. Juss. *gen.* 283. *ann. mus.* 16. *p.* 340. (*excl. Neck. syn.*) Poir. *dict.* 8. *p.* 186. Willd. *sp.* 2. *p.* 1271. Dunal. *monogr. p.* 94. — Uvariæ sp. Lam. *dict.* 1. *p.* 595. — Krokeria. Neck. *fund. n.* 1097. — Marenteria. Petit-Th. *gen. mad. p.* 18. — Desmos et Melodorum. Lour. *fl. coch.* 1. *p.* 430. 431.

Fr. Calyx 3-lobus, rarissimè 4-lobus, lobis ovatis acutiusculis. Petala 6 biserialia, 3 interiora minora. Stamina Ovariaque ∞ ; carpella ∞ sicca ? indehiscentia stipitata ovata aut oblonga, 1-∞-locularia, lævia aut torulosa, ∞-sperma. Semina simplici serie disposita.

Veg. Arbores seu frutices, ramis interdùm scandentibus ; folia integerrima, breviter petiolata, pedunculi sæpiùs axillares, uni aut multiflori, sæpè bracteolati.

Vir. Cortices fructusque intensè aromatici subacres stimulantes.

Hab. Species 36 cognitæ omnes ferè æquinoxiales, 7 in Americâ, 5 in Africâ, cæteræ in Asiâ, insulisque Asiæ australis habitant.

Obs. Petala formâ in variis generis speciebus diversa ; nunc patentia ovata aut oblonga, nunc subclausa linearioblonga acuta triangularia basi concava genitaliaque foventia.

Div. Ex Petalorum Fructuumque formis combinatis deducta et à cl. Dunalio mutuata, nempè :

Sect. I. Unonaria. Flores patentes ; carpella sublævia aut leviter torulosa. . . . . Sp. 1-20.

§. 1. Petalis ovatis oblongisve subæqualibus (*Marenteria*). . . . . Sp. 1-10.

§. 2. Petalis exterioribus ovatis acutis, interioribus minutissimis (*Œtania*). . . . . Sp. 11.

§. 3. Petalis lineari-lanceolatis longis angustisque interdùm basi clausis (*Cananga*). . . . . Sp. 12-20.

Sect. II. Desmos. Petala lanceolata oblonga vel linearia interdùm subclausa ; carpella torulosa plus minusve moniliformia. . . . . Sp. 21-29.

Sect. III. Melodorum. Flores pyramidati angusti ; Petala lineari-triangularia acuta sæpè clausa basi genitalia foventia. Carpella sublævia aut vix torulosa. . . . . Sp. 30-36.

Sect. I. UNONARIA.

Car. Flores patentes; carpella sublævia aut leviter torulosa.

§. I. *Petalis ovatis oblongisve subæqualibus.* Marenteria.

1. Unona Narum.

U. caule sarmentoso, foliis lanceolatis acuminatis, pedunculis lateralibus solitariis unifloris, petalis subrotundo-ovatis subæqualibus inflexis, carpellis longè stipitatis sublævibus.

Narum-panel. *Rheed. mal.* 2. *p.* 11. *t.* 9.*
Funis musarius, angustifolia species. *Rumph. amb.* 5. *p.* 78?
Frutex baccifer fructu ad singulos flores multiplici. *Ray. hist.* 1636.
Uvaria Zeylanica. *Lam. dict.* 1. *p.* 596. (*excl. syn. Rumph. et Lin.*) *Willd. sp.* 2. *p.* 1261. *non Lin.*
U. narum. *Dunal. monogr. p.* 99.
Hab. in Malabariâ (Rheed.), et forsan in Moluccis (Rumph.). ♄.
Frutex arbores scandens; rami teretes virgati nigrescentes; radix fibrosa cortice nigricante; folia brevissimè petiolata, oblongo-lanceolata acuta venosa glabra, supernè viridiora et nitidiora; flores breviter pedunculati solitarii laterales patentes; petala 6 subrotundo-ovata inflexa intùs concava crassa, primùm è viridi fusca, posteà rubentia, demùm rubro-sanguinea; antheræ aggregatæ humorem unctuosum exsudantes, primùm albido-flavescentes, dein rufescentes, imò fusci; carpella stipitata ovato-oblonga sublævia, matura flavo-rubentia, pollicem ferè longa, semi-pollicem lata; semina subovoidea. — Ex radicibus per distillationem elicitur oleum viridescens odoratum, quò ut radice ipsâ Malabari in variis morbis utuntur. (Rheed.).

2. Unona musaria.

U. caule sarmentoso, foliis elliptico-lanceolatis basi cordatis acuminatis, pedunculis unifloris solitariis axillaribus, petalis subrotundo-ovatis subæqualibus reflexis, carpellis stipitatis subtorulosis.

Funis musarius, latifolia species. *Rumph. amb.* 5. *p.* 78. *t.* 42.*
U. musaria. *Dunal. monogr. p.* 100.
Hab. in Amboinæ, Baleyæ et Soloræ campis præcipuè ad altorum montium oras. (Rumph.) ♄.
Priori affinis, sed differt foliis basi cordatis nec attenuatis, floribus axillaribus nec lateralibus, petalis reflexis nec inflexis, carpellis magis teretibus subtorulosis. Frutex sarmentosus, ramis lentis fusco-nigricantibus; folia oblongo-lanceolata acuta basi subcordata palmaria intensè viridia; pedunculi breves bracteati? flores patentes fusci seu san-

guinei; stamina viscosa; carpella circiter 10 stipitata oblongo-teretia subtorulosa, lineâ longitudinali prominente notata; semina rubra. Radicis cortex contra colicam ventosam à Moluccanis adhibetur (Rumph.).

3. Unona penduliflora.

U. caule arborescente, foliis subsessilibus subcordatis oblongo-lanceolatis undulatis, pedunculis longis unifloris pendulis, petalis inflexis, carpellis longis substipitatis.

U. penduliflora. *Moç. et Sessé pl. mex. ic. pict. ined. Dunal. monogr. p.* 100. *t.* 28.

Hab. in Mexico. (M. et S.) ♄.

Caulis arborescens fuscus; rami teretes; folia brevissimè petiolata, ferè sessilia, subcordata, oblonga, acuta, undulata; pedunculi axillares longissimi, apice incrassati, penduli, basi ferè reflexi; flores patentes; calyx 3-partitus; petala 6, 3 exteriora subrotundo-ovata mucronata intùs luteo-virescentia, 3 interiora paulò minora lata inflexa subemarginata, extùs luteo-virescentia, intùs rubro-lutea; carpella circiter 7 substipitata incurva, leguminiformia, polysperma, utrinquè sulcata; semina 9-10 oblongo-elliptica, primùm luteo-alba, dein rubro-fusca et nigricantia (ic. mex.).

4. Unona Marenteria.

U. ramulis scandentibus, foliis ovalibus obtusis glaberrimis, pedunculis erectis unifloris subterminalibus, petalis ovalibus extùs velutinis subinæqualibus, carpellis substipitatis ventricosis.

Marenteria. *Nor. ex Petit-th! gen. nov. Mad. p.* 18. *n.* 60.

Hab. in Madagascar. *Petit-th.* ♄ ◡ (v. s. sp.).

Fruticulus, ramulis scandentibus (P. T.); folia brevissimè petiolata, ovalia, obtusissima interdùm subemarginata, basi attenuata, utrinquè glabra et lævia, pollicem longa, 7-9 lin. lata; pedunculi 1-flori erecti nudi, folio breviores, terminales aut ultimo folio oppositi; calyx 3-partitus, lobis obtusissimis; petala 6 extùs rufo-velutina ovalia, 3 exteriora patentia majora et 3 interiora erecta (ex P. T.), omnia subæqualia subinflexa in sicco specimine; carpella (ex P. T.) baccata, 4-5, subpedicellata horizontalia scabra ventricosa inæqualia; semina plura supernè affixa simplici ordine.

5. Unona crassipetala.

U. foliis oblongo-ellipticis acuminatis glabris, pedunculis axillaribus unifloris pilosis erectis petiolo longioribus, petalis oblongis crassis.

U. crassipetala. *Dunal! monogr. p.* 101. *t.* 24. *

Hab. in Cayennâ. *Patris.* ♄. (v. s. sp.).

Rami teretes rugosiusculi; folia brevissimè petiolata, 6-7 poll. longa, 2-3 lata, supernè nitida, subtùs nervosa, utrinquè glabra; petioli pilosius-

culi brevissimi callosi; pedunculi axillares, 6 lin. longi, petiolo longiores, solitarii, apice incrassati, uniflori, erecti, pilis rufis pilosi; calix 3-partitus, laciniis coriaceis ovatis acutiusculis; petala 6 coriacea oblonga obtusiuscula rufo-fusca pollicem longa patentia subæqualia, 3 exteriora interioribus paulò breviora; stamina ovariaque confertissima; fructus ignotus.

6. Unona fuscata.

U. foliis glabris oblongis acuminatis, pedunculis axillaribus unifloris pilosis erectis, petiolo subbrevioribus, petalis ovali-oblongis acutiusculis.

Hab. in Guianâ. *Martin.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Rami teretes glabri fusci læviusculi; folia petiolo brevissimo calloso instructa, oblonga, in acumen subobtusum apice attenuata, integerrima, adulta glabra, nervo medio vix basi pubescente, penninervia, nervis lateralibus subtùs prominulis apice subconfluentibus, 6-8 poll. longa, 2 poll. lata; pedunculi axillares, petiolo subbreviores, uniflori, pilos fuscos gerentes; calyx 3-partitus, lobis latis, ovato-cordatis, obtusis, coriaceis, extùs pubescentibus, margine subtomentosis; petala 6 fusco-rufescentia, adpressè subvelutina, ovalia aut suboblonga, æqualia, subacuta, 4-5 lin. longa, 2 ½ lata; stamina brevia confertissima subangulata; ovaria densè approximata, staminum longitudine æqualia; fructus ignotus.

7. Unona obtusiflora.

U. foliis glabris ovali-oblongis utrinquè acuminatis, pedunculis axillaribus unifloris adpressè vix pubentibus petiolo longioribus, petalis oblongo-obovatis obtusissimis.

Hab. in Guianâ. *Martin.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Rami teretes glabri læviusculi; petioli callosi 4-5 lin. longi; folia ovali-oblonga, basi acutissimè secus petiolum attenuata, apice in acumen obtusiusculum abruptè desinentia, glabra, nervo medio subtùs prominulo basi sub lente vix pubescente instructa, penninervia, nervis lateralibus paulò infra apicem confluentibus; pedunculi axillares, solitarii, 9-12 lin. longi, 1-flori, graciles, adpressè vix pubescentes, bracteis deciduis ad basim stipati; calyx 3-partitus, laciniis brevibus obtusis; petala 6 coriacea, fusco-cinerascentia, adpressè velutina, basi intùs subglabra, oblonga aut obovata, obtusissima, apice latiora, inter se subæqualia, 4-5 lin. longa, 2-3 lata; genitalia ut in U. fuscatâ cui affinis.

8. Unona acuminata.

U. foliis glabris oblongis utrinquè acuminatis, pedunculis axillaribus unifloris vix pubentibus petiolo multò longioribus, petalis oblongis acutis.

Hab. in Guianâ. *Martin.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Rami teretes glabri virentes læviusculi; petioli callosi 2 lin. longi; folia oblonga, basi acutissimè secus petiolum attenuata, apice magis abruptè

in acumen longum acutum ferè lineare desinentia, 5-7 poll. longa, sesquipoll. lata, glabra, lætè viridia, penninervia, nervis apice subconfluentibus; pedunculi axillares, solitarii, pollicem longi, graciles, uniflori, vix lentis ope adpressè pubescentes, prope basim bracteolas caducas 2 gerentes; flores minores quàm in U. obtusiflorâ cui affinis; calyx 3-partitus, lobis ovatis acutis; petala 6 oblonga acuta coriacea fusco-cinerascentia, adpressè velutina, subæqualia, 3-4 lin. longa; stamina et ovaria ut in U. fuscatâ.

9. Unona macrocarpa.

U. foliis ovalibus utrinquè obtusis glaberrimis coriaceis, pedunculis lateralibus brevibus ramosis 2-3-floris, petalis ovali-oblongis acutiusculis.

Uvaria macrocarpa. *Vahl! ined.*

Hab. in Guineâ. *Vahl.* ♄. (v. s. sp. in h. Juss.)

Rami teretes fusci glabri, nascentes pilis nonnullis adpressis subpubescentes; folia ovalia, utrinquè obtusa, 1 $\frac{1}{2}$-2 poll. longa, adulta glaberrima, juniora subtùs pilis adpressis raris subpubescentia, coriacea, nervo medio subtùs prominulo, venis lateralibus vix distinctis, petiolo brevissimo; pedunculi laterales breves ramosi 2-3-flori; bracteæ ovato-rotundæ, obtusæ, caducæ; calyx campanulatus extùs rufo-velutinus, 3-lobus, dentibus latis brevissimis; petala 6, ovali-oblonga, subcoriacea, inter se æqualia, pube tenuissimâ subvelutina; cætera mihi ignota.

10. Unona ovata.

U. foliis ovatis acutis supernè glabris subtùs in nervo medio ramulisque ferrugineo-tomentosis, pedunculis bifloris brevissimis oppositifoliis, petalis ovali-oblongis acutiusculis.

Uvaria ovata. *Vahl! ined.*

β. Afzeliana.

Hab. in Guineâ *Vahl.* *β.* in Sierrâ-Leonâ. *Afzelius.* ♄. (v. s. sp. *α.* in h. Juss. *β.* in h. Lamb.)

Rami teretes tenues, juniores villis ferrugineis subtomentosis hispidi; folia ovata acuta, pollicem longa, supernè glabra et in nervo medio tomentum ferrugineum gerentia, subtùs juniora undiquè villis sericeis ferrugineis adpressis onusta, adulta in nervo medio rufo-tomentosa, cæterùm pilos sparsos hinc indè gerentia; petioli brevissimi rufo-tomentosi; flores 2 subpedicellati oppositifolii; calyx rufo-velutinus; petala 6 subæqualia ovali-oblonga acutiuscula purpurea subcoriacea, tenuissimâ pube subvelutina; cætera mihi ignota.

Var. *β* priori ferè similis, sed folia adulta omninò (excepto nervo longitudinali) glabra fusco-ferruginea; carpella 3-4 brevissimè stipitata, ovata, obtusa, non torosa, tomento brevi denso ferrugineo onusta, 9-10 lin. longa, 6 lin. lata, intùs 3-4-sperma; semina ovato-oblonga subcompressa brunnea lævia. An eadem? an species affinis?

§. II. *Petalis exterioribus ovatis acutis, interioribus minutissimis.* Ætania.

11. Unona tripetaloïdea.

U. foliis lanceolatis supernè rugosis subtùs subtomentosis, carpellis stipitatis ovatis subtriquetris 3-spermis punctato-granulatis.

Cananga sylvestris prima seu trifolia. *Rumph. amb.* 2. *p.* 197. *t.* 66. *f.* 1. *

Uvaria tripetala. *Lam. dict.* 1. *p.* 597. *

U. tripetaloidea. *Dunal. monogr. p.* 104.

Hab. in planitiebus et collibus Amboinæ. (Rumph.) ♄.

Arbor habitu Micheliæ Champacæ, cortice gummoso; rami glabri; folia breviter petiolata, 9 poll. longa, lanceolata, supernè subgranulosa, subtùs subtomentosa; flores pedunculati subsolitatii suavè olentes; calyx parvus trilobus; petala 3 exteriora magna ovata acuta striata virentia; 3 interiora minutissima stamina tegentia; carpella stipitata ovato-angulata acuta sulcata granulosa 3-sperma, Pruni magnitudine; semina mucosâ carne obducta. (Rumph.) — Malaicè dicitur *Cananga-Ætan*, unde nomen sectionis.

§. III. *Petalis lineari-lanceolatis longis angustis.* Cananga.

12. Unona violacea.

U. foliis ellipticis obtusiusculis glabris ? pedunculis oppositifoliis cernuis unifloris bracteâ unicâ amplexis, petalis lanceolato-oblongis.

Uvaria sp. nov. *Moç. et Sessé pl. mex. ic. pict. ined.*

U. violacea. *Dunal. monogr. p.* 105. *t.* 25.*

Hab. in Mexico. (M. et S.) ♄.

Rami teretes punctati; folia breviter petiolata elliptica-obtusiuscula; pedunculi uniflori oppositifolii cernui, foliolo unico sessili ovato acuto amplexi; calyx 3-partitus, laciniis ovatis concavis acutis; petala 6 bipollicaria lineari-lanceolata purpureo-fusca, 3 interiora sublongiora basi intùs alba sulcata. (ic. mex.)

13. Unona uncinata.

U. foliis oblongo-lanceolatis acuminatis glabris nitidis, pedunculis oppositifoliis infra medium uncinatis, carpellis ovato-rotundatis.

Modira-Walli. *Rheed. mal.* 7. *p.* 86. *t.* 46 ?

Anona hexapetala. *Lin. f. supl.* 270 ? *Ait. Kew.* 2. *p.* 253 ? *Willd. sp.* 2. *p.* 1266 ?

Anona uncinata. *Lam! dict.* 2. *p.* 127. *

Unona uncinata. *Dunal! monogr. p.* 105. *t.* 12. *et* 12. *a.**

β. Pedunculis simplicibus arcuatis.

Hab. in Insulâ Mauritii et insulis Indiæ orientalis. *Sonnerat*; in arenosis Malabariæ (Rheed.)? in Chinâ *Poivre*. ♄. (v. s. sp. in h. Juss. flor. et Deless. fruct.)

Rami teretes glabri divaricati; folia nitida breviter petiolata; pedunculi uniflori sæpè oppositifolii infra medium uncos subcompressos gerentes; flos satis magnus; calyx 3-partitus, laciniis ovatis acutis; petala ovato-lanceolata; supernè rubro-fusca unguiculata, unguibus latis tomentosis intùs concavis supernè angustis, exteriora majora (Lam.); carpella 3-4 carnosa ovato-rotundata 1-∞-sperma, magnitudine nucis Juglandis, lævia, leviter punctata; semina magna oblonga solitaria vel secundum fructus longitudinem disposita (Dun.).

14. Unona hamata.

U. ramis subscandentibus, foliis oblongis acuminatis glabris nitidis, pedunculis solitariis uncinatis, petalis lanceolatis basi constrictis, carpellis ovatis utrinquè acuminatis.

Uvaria uncata. *Lour. fl. coch.* 1. *p.* 426.* *Poir. supl.* 2. *p.* 71.

Uvaria Zeylanica. *Deless! herb.*

U. hamata. *Dunal! monogr. p.* 106. *t.* 27.*

Hab. circa Cantonem Sinarum ubi ad vestiendos parietes pulchrè aptatur et absque violentiâ extenditur (Lour.). ♄. (v. s. in h. Deless. ex Ceylonâ, in h. Lamb. ex Chinâ sp.)

Frutex magnus, caule erecto, ramis glabris longis scandentibus, junioribus subangulatis, demùm teretibus cinerascentibus; folia oblonga acuminata glabra nitida, brevissimè petiolata, 3-4 poll. longa, 10-12 lin. lata; petioli glabri; pedunculi solitarii, uniflori, deorsùm uncinati; calyx 3-partitus, laciniis parvis reflexis; petala 6 lanceolata erecta, ad basim constricta, genitalibus incumbentia; antheræ circiter 80 oblongæ sessiles; ovaria ferè 30 oblonga; stigmata linearia sessilia erecta; carpella ovata utrinquè acuminata lutea glabra 1-locularia, 2-sperma; semina intùs plana, extùs convexo-ovata (Lour.).

15. Unona esculenta.

U. caule scandente, foliis ovato-lanceolatis glabris, ramis apice cirrhosis, pedunculis unifloris, petalis lanceolatis.

Uvaria esculenta. *Roxb. Rottl. et Willd. in nov. act. nat. cur. berol.* 4. *p.* 201.

U. esculenta. *Dunal. monogr. p.* 107.

Hab. in Indiâ circa Madras. fl. novemb. (Rottl.) ♄.

Frutex scandens; folia ovato-lanceolata integerrima glabra; cirrhi terminales incurvati, ramorum apice quasi producto incurvato bifidi, ramulo altero in pedunculum recurvum 1-florum, altero in foliationis novæ initium terminato; fructus edules (Rottl.); folia petalaque lanceolata; pedunculi 1-flori (Willd.). Hæc videtur Uvaria odoratissima Roxb. ined. ex herb. Lamb. et forsan à priori non differt?

16. Unona Lessertiana.

U. foliis oblongo-ellipticis, supernè glabris nitidis, pedunculis lateralibus unifloris bracteatis, petalis oblongis subcrispis.

Uvaria uncata. *Vahl! in h. Deless.*
U. Lessertiana. *Dunal. monogr. p.* 107. *t.* 26.*
Hab. verosimiliter in Chinâ aut Indiâ ♄. (v. s. in h. Deless.)
Rami teretes fusci vix punctati glabri, nascentes vix pubescentes; petioli breves leviter velutini; folia oblongo-elliptica, apice sæpè acuminata rariùs obtusa, basi rotundiora, supernè glabra nitida, subtùs pallidiora subrufescentia, pilis leprosis adpressis oculo armato tantùm conspicuis; pedunculi graciles laterales infrâfoliacei uniflori, bracteolam oblongam acutam sessilem infra medium gerentes, post anthesin intorti persistentes cirrhiformes, 8-10 lin. longi; calyx 3-partitus, lobis ovalibus acutiusculis adpressis aut patulis nec reflexis; petala 6 erecta oblonga subcrispa æqualia subvelutina dilutè rufescentia.

17. Unona odorata.

U. foliis oblongo-lanceolatis acuminatis glabris, pedunculis lateralibus 1-4-floris, petalis lineari-lanceolatis, carpellis stipitatis ovato-teretibus apice umbilicatis.

Cananga. *Rumph. amb.* 2. *p.* 195. *t.* 65.*
Arbor saguisan. *Ray. supl. luz.* 83.
Uvaria odorata. *Lam! dict.* 1. *p.* 595.* *illustr. t.* 495. *f.* 1. *Willd. sp.* 2. *p.* 1262.
U. odorata. *Dunal! monogr. p.* 108.*
Hab. in Javâ *h. Deless.*, insulis Moluccanis (Rumph.) et Chinâ (Sonn.) sæpè culta. ♄. (v. s. sp.)
Arbor elata; caulis teres erectus lævis cinereus; ramuli fusci glabri; folia disticha, breviter petiolata ovato-lanceolata acuminata basi rotundata, interdùm subcordata, supernè glabra, subtùs vix ac ne vix subpubescentia; pedunculi laterales 1-4-flori; calyx 3-partitus (4-partitus in icone Rumph.) lobis ovatis obtusis, extùs adpressè velutinis; petala 6 viridescentia seu flavescentia suaveolentia linearia acuta, in icone Rumphianâ sesquipollicaria, in specimine sicco vix pollicaria, inter se æqualia; antheræ subsessiles confertæ apice acuminato-mucronatæ; carpella circiter 9 ex Rumphio, stipitata, ovata, subteretia, polysperma, obtusa, apice umbilicata, obscurè fusca; semina pallidè fusca nitida, in pulpâ dulci suaveolente nidulantia.

18. Unona longifolia.

U. foliis oblongo-linearibus acuminatis margine undulatis glabris, pedunculis lateralibus confertis subumbellatis, petalis lineari-lanceolatis acutis, carpellis stipitatis ovoïdeis.

Arbre de mature. *Sonner! voy. ind.* 4. *p* 399. *t.* 131;

Uvaria longifolia. *Lam! dict.* 1. *p.* 597. * *Vahl. symb.* 3. *p.* 72. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1263. *Gmel. syst.* 868.
U. longifolia. *Dunal. monogr. p.* 109.
Hab. in Bengalo *Roxburgh*, in Javâ *Commerson*, in Coromandeliâ *Sonnerat*, sæpè in Pondicheryanis ambulacris culta. *Sonn.* ♄. (v. s. sp.)
Arbor altissima erecta, cortice lævi, ramis glabris purpureo-fuscis apice subflexuosis; folia petiolata, spithamæa, vix pollicem lata, membranacea, penninervia, glaberrima, lineari-lanceolata, acuminata, integra, margine undulata; pedunculi laterales plures aggregati brevissimi subvelutini, pedicellos 6-7 unifloros gracillimos subumbellatos pubescentes gerentes; bracteola unica ovato-lanceolata subtomentosa parva, in medio pedicellorum; calyx 3-partitus lobis obtusis subvelutinis; petala 6 lanceolato-linearia acuminata, 6-8 lin. longa, lutea; carpella stipitata ovoïdea glabra 1-locularia ∞-sperma.

19. Unona nitidissima.

U. foliis oblongo-ellipticis utrinquè acuminatis glabris nitidis, pedunculis axillaribus brevibus unifloris, petalis linearibus obtusiusculis.

Uvaria lucida. *Vent! in herb. Deless.*
U. nitidissima. *Dunal! monogr. p.* 109. *t.* 23. *
Hab. in Novâ-Caledoniâ *Ventenat.* ♄. (v. s. sp.)
Rami teretes è cinereo-fusci subrugosi cicatricibus subelevatis exasperati; petioli brevissimi demùm transversè rugosi; folia elliptica, basi et apice attenuata, apice obtusiuscula, basi acuta, utrinquè glabra nitida, 3-4 poll. longa, 1-1 ½ lata; pedicelli axillares solitarii erecti uniflori graciles, 5-6 lin. vix longi, basi bracteolati; calyx parvus 3-partitus, laciniis ovatis acutis; petala oblongo-linearia, obtusiuscula, 5-6 lin. longa, lineam lata; antheræ circiter 20 subsessiles angulatæ apice truncatæ; fructus ignoti.

20. Unona ligularis.

U. foliis ovato-lanceolatis acutis, pedunculis lateralibus multifloris, petalis longis linearibus, carpellis stipitatis subglobosis.

Cananga sylvestris secunda sive angustifolia. *Rumph. amb.* 2. *p.* 198. *t.* 66. *f.* 2. *
Uvaria ligularis. *Lam. dict.* 1. *p.* 597. *Willd. sp.* 2. *p.* 1263.
U. ligularis. *Dunal. monogr. p.* 110.
Hab. in Amboinâ (Rumph.) ♄.
Arbor U. odoratæ affinis; folia ovato-lanceolata acuta, 9 poll. longa, 2-3 lata; pedunculi laterales multiflori, ferè ut in U. longifoliâ dispositi; pedicelli subcorymbosi 1-flori pedunculo longiores; petala 6 linearia acuta elongata subæqualia; carpella circiter 10, baccata, stipitata, subglobosa, nucis avellanæ magnitudine; semina tenuia plana sub molli putamine plurima odorata (Rumph.).

Sect. II. DESMOS.

Car. Petala lanceolata, oblonga vel linearia, interdùm

subclausa ; carpella baccata torulosa subarticulata multilocularia ? plus minùsve moniliformia.

21. Unona discreta.

U. foliis oblongo-lanceolatis angustis subtùs sericeis, carpellis moniliformibus longè stipitatis.

U. discreta. *Lin. f. supl.* 270. * *Vahl. symb.* 2. *p.* 63. *Willd. sp.* 2. *p.* 1271. *Poir. dict.* 8. *p.* 186. *Dunal. monogr. p.* 110.
Uvaria monilifera. *Gærtn. fr.* 2. *p.* 156. *t.* 114? *Lam. ill. t.* 495. *f.* 4?
Hab. in Surinam (Dalberg ex Willd.). ♄.
Arbor ramis virgatis angustis flexilibus pubescentibus ; folia vix petiolata sesquipollicaria glabra integerrima angusta Salicina seu Ligustrina ; flos Anonæ ; pedicelli baccarum umbellati ; baccæ purpureæ sapidæ aromaticæ (Lin. f. Vahl.), oblongo-lineares, longè stipitatæ, moniliformes 1-3-loculares, loculis ovatis 1-spermis ; semina ovato-globosa nitida è luteo spadicea (Gærtn.).

22. Unona undulata.

U. foliis ovato-oblongis glabris, pedunculis axillaribus unifloris, petalis oblongo-linearibus longis, exterioribus undulatis, carpellis oblongis submoniliformibus.

Xylopia undulata. *Pal. Beauv! fl. owar.* 1. *p.* 27. *t.* 16. * *Pers. ench.* 2. *p.* 96. *Poir. dict.* 8. *p.* 812.
U. undulata. *Dunal! monogr. p.* 111.
Hab. in regno Owariensi. *Beauvois.* ♃ (v. s. sp.).
Frutex ramis teretibus glabris ; folia ovato-oblonga acuminata glabra brevissimè petiolata ; pedunculi axillares solitarii uniflori, medio bracteâ sessili obtusâ concavâ subrotundâ amplexi ; petala exteriora longissima, eleganter ad margines undulata, interiora dimidio breviora ; baccæ oblongæ obtusæ stipitatæ subarticulatæ, articulis 1-2-spermis. — Fructus ex cl. Beauvois aromatici et apud Owarienses condimentarii.

23. Unona discolor.

U. foliis ovato-oblongis acuminatis glabris subtùs glaucis, pedunculis lateralibus 1-floris elongatis, carpellis moniliformibus breviter stipitatis.

U. discolor. *Vahl. symb.* 2. *p.* 63. *t.* 36. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1271. *Dunal. monogr. p.* 111. *
Hab. in Indiâ orientali (Vahl.), in Javâ. *Lahaie.* ♄. (v. s. sp. sine fl. in h. Deless.). fr. junio.
Arbor floribus albis donata et oleum (verosimiliter volatile DC.) fundens (Lahaie) ; rami teretes purpurascentes glabri apice summo vix villosi ; folia 3-poll. longa, 2 ferè poll. lata, obovato-oblonga, apice acuminata, basi rotundata, imo in specimine nostro ferè subcordata, utrinquè glabra, penninervia, supernè intensè viridia, subtùs glauca pallida, tenella subsericea ; petioli brevissimi pubescentes ; pedunculi laterales sesqui-

pollicares uniflori bracteâ lanceolatâ sessili obtusâ medio stipati ; calyx 3-partitus, extùs villosus, laciniis ovatis acutis ; petala coriacea tomentosa lanceolata pollicaria, 3 interiora angustiora (Vahl.); carpella stipitata umbellata baccata moniliformia, articulis 2-3 globosis piso subminoribus, ultimo mucronato.

24. Unona Chinensis. †

U. foliis ovato-lanceolatis glabris, floribus solitariis patentibus longè pedunculatis, carpellis toruloso-moniliformibus subsessilibus.

Desmos Chinensis. *Lour. fl. coch.* 1. *p.* 431. *
Hab. in Chinâ prope Cantonem (Lour.). ♄.
Species non satis nota sed verosimiliter distincta ab U. discolore quâcum conjunxit cl. Willdenow ; differt caule fruticoso 5-pedali nec arboreo et forsan plurimis aliis notis ; cl. Loureiro suspicatur hanc esse sequentis varietatem, sed evidenter differe videtur caracteribus in hoc ordine momentosis, nempè : foliis glabris nec tomentosis, floribusque patentibus nec clausis.

25. Unona Cochinchinensis.

U. foliis lanceolatis tomentosis, floribus solitariis clausis longè pedunculatis, carpellis subsessilibus toruloso-moniliformibus.

Desmos Cochinchinensis. *Lour. fl. coch.* 1. *p.* 431. *
Unona tomentosa. *Willd. sp.* 2. *p.* 1271. *Poir. dict.* 8. *p.* 186.
Unona desmos. *Dunal. monogr. p.* 112.
Hab. in dumetis Cochinchinæ (Lour.). ♄.
Frutex 5-pedalis, caule erecto, ramis debilibus reclinatis ; folia lanceolata integerrima tomentosa alterna petiolata ; flos luteo-viridis terminalis solitarius, pedunculo longissimo pendulus ; baccæ rubro-virides, subsessiles, receptaculo hæmisphærico adhærentes (Lour.).

26. Unona aromatica.

U. foliis oblongis acuminatis glabris, pedunculis axillaribus 1-2-floris, carpellis oblongo-teretibus torulosis subsessilibus.

Waria Zeylanica. *Aubl. guian.* 2. *p.* 605. *t.* 243. * *excl. syn.*
Uvaria aromatica. *Lam. dict.* 1. *p.* 596. *excl. Pluk. syn.*
Unona concolor. *Willd. sp.* 2. *p.* 1271. *Poir. dict.* 8. *p.* 187.
Unona aromatica. *Dunal. monogr. p.* 112.
Hab. in sylvis Guianæ et præcipuè loco Timoutou dicto (Aubl.). ♄.
Arbor trunco 20-pedali et ultrà, ramis sparsis comam amplam constituentibus ; folia ovata acuta glabra integerrima subsessilia ; pedunculi axillares simplices 1-flori aut bifidi biflori 4-5 lin. longi ; calyx 3-partitus, laciniis carnosis subrotundo-ovatis acutis concavis ; petala 6 ; 3 exteriora longiora ovato-oblonga, extùs villosa cinerea, intùs glabra violacea ; 3

interiora minora glabra violacea unguibus latis concavis; baccæ 12-15 rufescentes oblongæ subteretes, breviter stipitatæ, uno latere longitudinaliter sulcatæ, uniloculares; semina 3-6 orbiculata rufescentia. — Cum hâc specie conferantur arbores Mauritianæ *Bois blanc à grandes et à petites feuilles* dictæ (Aubl.). Fructus apud Guianenses condimentarii.

27. Unona Æthiopica.

U. foliis ovato-lanceolatis acutis glabris subtùs glaucis, carpellis teretibus torulosis subsessilibus.

Piper Æthiopicum. *Math. comm.* 1. *p.* 434. *ic. fr. Lob. ic.* 2. *p.* 205. *Dalech. lugd.* 1809. *ic. Tabern.* 917. *ic. fr. Cast. Dur.* 344. *ic. fr.*
Carpesium. *Cord. hist. lib.* 4. *p.* 195.
Piper oblongum nigrum. *C. Bauh. pin.* 412.
Piper Æthiopicum siliquosum. *J. Bauh.* 2. *p.* 187.
Acacia procera non aculeata flore albo siliquis teretibus piperatis racematim congestis. *Barr. fr. æquin.*? *ex Aubl.*
Unona Æthiopica. *Dunal! monogr. p.* 113.*
Hab. in Æthiopiâ (Math.), in Sierrâ-Leonâ. *Smeathman. Afzelius.* ♄. (v. s. sp.).
Rami teretes glabri fusco-cinerascentes; folia brevissimè petiolata ovali-oblonga acuminata, adulta glabra excepto nervo medio subtùs pubescente, subtùs glauca; pedunculi brevissimi; flores ignoti; fructus constans ex toro subgloboso, areolis seu cicatricibus circiter 20 demùm notato, et carpellis umbellatis teretibus torulosis glabris 5-6-spermis fuscis aromatico et pungente sapore donatis; hi fructus in officinis, olim frequentiùs nunc rariùs prostant sub nomine *Piperis Æthiopici.*

28. Unona oxypetala.

U. foliis ovali-oblongis acuminatis supernè lævibus subtùs subglaucis, pedunculis axillaribus brevissimis 1-floris, petalis linearibus acuminatis.

Hab. in Sierrâ-Leonâ. *Afzelius.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.).
Rami teretes fusco-cinerascentes, juniores pilis patulis subferrugineis hispidi, adulti glabri; folia ovali-oblonga acuminata, brevissimè petiolata, 2-3 poll. longa, 6-12 lin. lata, juniora subtùs in nervo adpressè pubentia, adulta glaberrima, supernè lævia, subtùs subglauca; flores axillares solitarii; pedunculi brevissimi pubescentes uniflori, bracteis 2-3 latis brevibus obtusissimis deciduis onusti; calycis 3-partiti lobi lati breves obtusi subvillosi; alabastra conica elongata gracilia pubescentia; petala linearia acuminata, inter se æqualia, basi lineam lata, extùs pubescentia, ferè pollicem longa; torus post anthesin dilatatus depressus cicatricibus 15-20 ferè ut in U. Æthiopicâ notatus; carpella ignota. An ad sequentem sectionem amandanda?

29. Unona ? leptopetala.

U. foliis ovali-oblongis acuminatis ramisque glabris, pedunculis axillaribus ramosis, petalis oblongo-linearibus acuminatis.

Hab. in insulâ Timor. *Lechenault.* ♄. (v. s. sp. in h. Mus. Par.).

Rami teretes glabri fusci; petioli 4-6 lin. longi; folia ovali-oblonga acuminatissima glaberrima, supernè nitida, penninervia, nervis subtùs prominulis, palmam et ultrà longa; pedunculi axillares teretes pube tenui cinereo-velutini ramosi; pedicelli 5-8 subumbellati tenues uniflori, pedunculo ferè longiores, velutino-cinerei; calyx 3-partitus velutinus, lobis ovatis sub-acutis margine interdùm basi revolutis; petala 6 æqualia oblongo-linearia acuminata, calyce sextuplò longiora, pollicem et ultrà longa, vix basi 3 lin. lata, pube tenuissimâ subvelutina.

Sect. III. MELODORUM.

Car. Flores pyramidati angusti elongati; petala linearitriangularia acuta, sæpè clausa, basi genitalia tegentia; carpella baccata sublævia vel leviter torulosa.

30. Unona latifolia. †

U. foliis latè oblongo-lanceolatis subtùs lanuginosis, floribus racemosis, baccis numerosis 2-3-spermis.

Cananga sylvestris tertia sive latifolia. *Rumph. amb.* 2. *p.* 198. *
U. latifolia. *Dunal. monogr. p.* 115.
Hab. in Moluccis (Rumph.). ♄.
Folia ferè Micheliæ Champacæ subtùs nempè lanuginosa, multò tamen majora et superiùs rotundata, 8 poll. longa, 4 lata; flores racemosi; petala 6 clausa, 3 interiora genitalia tegentia; ovaria 20-25, plura abortiva; baccæ maturæ magnitudine nucis avellanæ, primùm albescentes, dein rubescentes, demùm nigræ; semina 2-3 odorata (Rumph.).

31. Unona sylvatica.

U. foliis ovato-oblongis subtùs tomentosis, floribus solitariis breviter pedicellatis carnosis, baccis subsessilibus ovato-oblongis asperis.

Melodorum arboreum. *Lour. fl. coch.* 1. *p.* 430. *
U. sylvatica. *Dunal. monogr. p.* 115.
Hab. in sylvis Cochinchinæ. (Lour.) ♄.
Arbor magna ramis ascendentibus; folia ovato-oblonga acuminata integerrima petiolata subtùs tomentosa; flos albo-viridis carnosus tomentosus solitarius sparsus, pedunculis brevissimis, antheris et stigmatibus plurimis sessilibus; baccæ ∞ ovato-oblongæ subteretes asperæ 1-loculares ∞-spermæ non edules. Arbor ad ædificia exstruenda à Cochinchinensibus cæditur. (Lour.)

32. Unona dumetorum.

U. foliis lanceolatis glabris, floribus solitariis, baccis subsessilibus ovato-oblongis asperis.

Melodorum fruticosum. *Lour. fl. coch.* 1. *p.* 430. *
U. dumetorum. *Dunal. monogr. p.* 116.
Hab. in dumetis Cochinchinæ. (Lour.) ♄.
Frutex 4-pedalis erectus, ramis diffusis; folia lanceolata glabra integerrima odora; flos luteo-fuscus solitarius sparsus; baccæ 10 ejusdem co-

loris, sesquipollicem longæ, ovato-oblongæ subteretes asperæ 1-loculares, seminibus plurimis, pulpâ parcâ, sed gratissimâ (Lour.).

33. Unona lucida.

U. foliis ovali-oblongis utrinquè acuminatis glaberrimis supernè nitidis, pedunculis simplicibus, baccis oblongis obtusis subcompressis subtorulosis breviter stipitatis.

Hab. in Peruviâ. *Jos. de Jussieu.* ♄. (v. s. sp. in h. Juss.)

Ex fructu affinis U. acutifloræ; rami teretes glabri, nascentes vix apice rufo-velutini; folia ovali-oblonga, supernè nitida, utrinquè et apice imprimis acuminata, glaberrima, nervis lateralibus vix perspicuis, 3-4 poll. longa, pollicem lata, petiolo vix 2 lin. longo; flores ignoti; pedunculi breves simplices uniflori videntur; pericarpia 6-7, subbaccata, indehiscentia, oblonga, obtusa, subcompressa, subtorulosa, stipiti gracili 2-3 lin. longo insidentia, 5-6-locularia; semina simplici ordine disposita.

34. Unona acutiflora.

U. foliis ovato-lanceolatis acutis rigidiusculis glabris, pedunculis brevissimis unifloris, baccis ovato-oblongis breviter stipitatis.

U. acutiflora. *Dunal! monogr. p.* 116. *t.* 22.*

Hab. in Caribæis insulis aut in Sierrâ-Leonâ? ♄. (v. s. sp.).

Rami teretes subrugosi tuberculis minimis; ramuli pilis simplicibus rufescentibus pilosi; folia breviter petiolata; pedunculi solitarii axillares brevissimi, vix petiolorum longitudine, uniflori, bracteati; calyx 3-lobus, lobis ovatis acutiusculis extùs sericeis; petala extùs sericea oblonga acuta clausa, 3 exteriora basi concava, 3 interiora basi utrinquè emarginata; baccæ 9-10 in stipitem brevem attenuatæ, ovato-oblongæ, leviter incurvæ, mucronatæ, multiloculares; semina simplici ordine disposita.

35. Unona xylopioïdes.

U. foliis oblongis acuminatis subtùs sericeis nitidis, margine ad basim præcipuè revolutis, pedunculis 2-4 axillaribus brevibus.

Uvaria febrifuga. *Humb. et Bonpl! ined.*

U. xylopioides. *Dunal! monogr. p.* 117. *t.* 21.*

Hab. in Americâ meridionali ad flumen Orenocum. *Humb. et Bonpl.* ♄ (v. s. sp. in h. H. B.).

Arbor 70-pedalis; rami penduli glabri rugosi, apice juniores pilis luteo-rufis sericei; folia breviter petiolata oblonga acuminata, basi rotundata et marginibus revoluta, subtùs sericea, pilis sericeis adpressis nitidis rufescentibus, penninervia, nervo medio prominente, nervulis lateralibus minutis, supernè viridia glabra subnitida, nervo medio piloso; pedunculi 2-4 axillares bracteolati, bracteis subrotundis; calyx urceolatus 3-4-fidus, extùs sericeus; petala 6, 3 exteriora oblongo-linearia acuminata longiora extùs fusco-sericea intùs alba basi concava, 3 interiora linearia alba basi rubra apice subtriquetra; ovaria ∞; baccæ siccæ

oblongæ subcurvatæ multiloculares, loculis 1-spermis. (Humb. Bonpl. Dunal.)

36. Unona ? polycarpa.

U. foliis oblongis acuminatis subglaucis glabratis, nervo medio basi subtomentoso, baccis longè stipitatis.

Hab. in Sierrâ-Leonâ. *Afzelius.* ♄. (v. s. sp. sine fl. in h. Lamb.).

Rami teretes, nascentes apice vix pubentes, demùm glabri; folia oblonga acuminata brevissimè petiolata subglauca, nascentia subtùs lente visa subpubentia, dein glabra excepto nervo medio ad basim utrinquè subtomentoso, 4 poll. longa, 12-15 lin. lata; pedunculi semipollicares uniflori; flores ignoti; torus planiusculus pedicellos circiter 30 pollicem et paulò ultrà longos teretes apice subclavatos umbellatos nudos gerens; hi pedicelli cum toro continui in specimine mihi obvio post anthesin perstiterunt et carpella apice pedicelli articulata deciderunt omnia; an potiùs Guatteriæ species? an genus proprium?

VIII. XYLOPIA.

Xylopicron. Brown. *jam.* 250. Adans. *fam.* 2. *p.* 365. — Xylopia. Lin. *gen.* 1027. Aubl. *guian.* 1. *p.* 602. Juss. *gen.* 283. Lam. *ill. t.* 495. Poir. *dict.* 8. *p.* 810. Dunal. *monogr. p.* 48 *et* 118. — Bulliarda. Neck. *fund. n.* 1103. *non DC.*

Fr. Calyx 3-5-lobus, laciniis ovatis coriaceis acutiusculis. Petala 6, exteriora majora. Stam. ∞ receptaculo sæpiùs globoso inserta. Carpella 2-15 breviter stipitata compressa 1-locularia 1-2-sperma nunc dehiscentia, nunc subbaccata. Semina obovata nitida, interdùm arillata.

Veg. Arbores seu frutices; folia oblonga vel lanceolata; pedunculi axillares bracteati 1-∞-flori; ligna amara (undè Brownianum nomen, à Linnæo abbreviatum et nunc sensu destitutum); cortices fructusque aromatici.

Hab. Species 8 in insulis Caribæis aut in Americâ calidiori habitant.

1. Xylopia muricata.

X. foliis lanceolatis acuminatis subtùs strigosis apice barbatis, pedunculis multifloris, carpellis muricatis.

Xylopicron fruticosum, foliis ovatis acuminatis productis alternis capsulis punctatis floribus confertis ad alas. *Brown. jam.* 250. *t.* 5. *f.* 2.

X. muricata. *Lin! sp.* 1367. *Willd. sp.* 2. *p.* 1270. *Poir. dict.* 8. *p.* 811. *Dunal. monogr. p.* 120.

X. frutescens. *Gærtn. fr.* 1. *p.* 339. *t.* 69. *f.* 7. *excl. syn. Aubl.*

Hab. in montibus Jamaicæ. (Br.). ♄. (v. s. in h. Lin.)

Frutex; rami glabri virgati subtortuosi; folia breviter petiolata, apice barbata, subtùs nervosa, 3 poll. et ultrà longa, pollicem ferè lata; pedunculi breves ramosi multiflori; calyx 3-5 lobus; petala lanceolata (Poir.);

capsulæ breviter stipitatæ ovato-globosæ punctato-muricatæ coriaceæ bivalves biloculares 2-spermæ (Gærtn.).

2. Xylopia frutescens.

X. foliis oblongo-lanceolatis acuminatis subtùs sericeis, pedunculis 1-3 brevissimis, carpellis lævibus.

Embira seu Pindaiba. *Pis. bras.* 71. *ic.*

Ibira. *Marcg. bras.* 99. *ic.*

X. frutescens. *Aubl. Guian.* 1. *p.* 602. *t.* 292.* *excl. syn. Willd. sp.* 2. *p.* 1270. *Lam. ill. t.* 495. *Poir. dict.* 8. *p.* 811. *Dunal! monogr. p.* 120.*

X. setosa. *Poir! dict.* 8. *p.* 812.*

Hab. in Brasiliâ (Marcg.) et Guianâ. *Aublet.* ♃ ? (v. s. sp.)

Rami distichi, punctis albis notati, juniores pilis flavo-rufis sericeis adpressis villosi, adulti subglabri; folia oblongo-lanceolata, acumine obtusiusculo terminata, margine subrevoluta, 2-3 poll. longa, 7-8 lin. lata, brevissimè subpetiolata, supernè glabra viridia, subtùs glauca et setis sericeis adpressis albis demùm interdùm deciduis vestita; pedunculi 1-3, axillares, brevissimi, pilosi; calyx pilosus, laciniis ovatis acutis; petala oblonga subclausa extùs sericea; flores 4 lin. longi.

3. Xylopia salicifolia.

X. foliis oblongis acuminatis obtusiusculis subtùs sericeis, pedunculis brevibus unifloris? bracteolatis.

X. salicifolia. *Humb. et Bonpl! ined. Dunal! monogr. p.* 121. *t.* 17.*

Hab. in Americâ meridionali prope Espinal. *Humb. et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. H. B.)

Arbor; rami nigricantes, punctis albidis notati; folia breviter petiolata, angusta, sesqui aut bipollicaria, 3-4 lin. lata, oblongo-acuminata, uninervia, cæterùm avenia, acumine obtuso terminata, supernè glabra viridia, subtùs pilis adpressis cinereo-rufescentibus sericeis villosa; pedunculi breves bracteolati; capsulæ 5-7, indehiscentes gibbosæ submucronatæ 1-2-spermæ.

4. Xylopia ligustrifolia.

X. foliis oblongis acutiusculis utrinquè glabris, pedunculis brevibus paucifloris bracteolatis.

X. ruscifolia. *Humb. et Bonpl! ined.*

X. ligustrifolia. *Dunal! monogr. p.* 121. *t.* 18.*

Hab. in Bugâ Americæ meridionalis. *Humb. et Bonpl.* ♃. (v. s. sp. in h. H. B.)

Rami teretes nigricantes rugosi, punctis subalbidis exasperati; folia parva, sesquipollicem longa, 4 lin. lata, oblonga, acutiuscula, brevissimè petiolata, utrinquè glabra, juniora subtùs sericea, supernè subnitida, subtùs pallidiora, uninervia, cæterùm subavenia; pedunculi breves axillares 3-4-flori, bracteolis sessilibus concavis subrotundis; calyx parvulus 3-partitus, laciniis ovatis acutis; petala 6, 3 exteriora longiora, apice patentia basi subconcava oblongo-linearia extùs pilis adpressis rufescentibus velutina, 3 interiora minora; capsulæ indehiscentes 1-2-spermæ rugosæ subtorulosæ. (Dun.)

5. Xylopia glabra.

X. foliis oblongo-ovatis glabris, pedunculis unifloris solitariis aut geminis, carpellis lævibus.

Xylopicron arbor Barbadensis lignum amarum nominata. *Pluk alm.* 395. *t.* 238. *f.* 4.

Xylopicron foliis amplioribus nitidis ovatis, petiolis brevibus, fructibus glabris. *Brown. jam.* 251.

X. glabra. *Lin. sp.* 1367. *Willd. sp.* 2. *p.* 1270. *Poir. dict.* 8. *p.* 812.* *Dunal. monogr. p.* 121. *t.* 19.*

Hab. in insulis Barbadensibus (Pluk.), in Jamaicâ. *Br.* ♃. (v. s. sp.)

Arbor; rami glabri vix punctulati teretes; folia etiam juniora utrinquè glabra, brevissimè petiolata, ovalia obtusa acuminata, 2 poll. longa, pollicem lata; pedunculi bracteolati; calycis glabri 3-fidi lobi obtusissimi; alabastra oblonga, extùs adpressè pubescentia, 4-lin. longa.

6. Xylopia nitida.

X. foliis oblongo-lanceolatis glabris supernè nitidis, pedunculis ramosis multifloris, calyce subintegro.

X. nitida. *Dunal. monogr. p.* 122. *t.* 20.*

Hab. in Cayennâ montibus Oyac ad mare inclinatis. *Martin.* ♃. (v. s. sp.).

Arbor mediocris (Mart.); rami rugosi recti teretes glabri; folia oblongo-elliptica, subtùs venosa, pallida subsericea pilis minutis adpressis oculo armato tantùm conspicuis, supernè viridia nitida glaberrima, margine subrevoluta 2-3 poll. longa, 9-10 lin. lata; racemi 4-5-flori parvuli subcorymbosi; pedunculi bracteolis subrotundis amplexi; calyx urceolatus subinteger coriaceus fuscus; alabastrum oblongum subtriangulare; petala acuta clausa basi genitalia obtegentia; fructus ignotus. Species refert paulùlum Unonam xylopioidem.

7. Xylopia acuminata.

X. foliis oblongo-ellipticis acuminatissimis glaberrimis, capsulis univalvibus dispermis.

X. acuminata. *Dunal! monogr. p.* 122. *t.* 16.*

Hab. in Cayennâ. *Patris.* ♄. (v. s. sp.).

Rami teretes rugosi glabri; folia brevissimè petiolata oblonga subelliptica acuminatissima 4-6 poll. longa, 2 poll. lata, utrinquè glabra, supernè subnitida, subcoriacea, margine revoluta; flores ignoti; capsulæ ovatæ mucronatæ in stipitem longum attenuatæ, univalves, subbivalves, dispermæ, glabræ, lævis, 9-10 lin. longæ; semina nigra fætida obovata extùs convexa, intùs plana.

8. Xylopia prinoïdes.

X. foliis oblongo-lanceolatis acuminatis apice obtusiusculis glabris membranaceis, floribus solitariis, capsulis bivalvibus.

X. prinoides. *Dunal! monogr. p.* 122. *t.* 15.*

Hab. in Cayennâ. *Patris.* ♄. (v. s. sp.).

Rami virgati rugosiusculi; folia breviter petiolata, supernè nitida, subtùs subglauca, utrinquè glabra, membranacea, oblonga lanceolata, 3-4 lin. longa, 12-15 lin. lata; pedicelli breves axillares solitarii 1-flori bracteolam minutissimam gerentes; calyx 3-partitus; petala ovata acuta generis ferè ordinis minora, vix 2 lin. longa; capsulæ in stipitem desinentes subbivalves; semina 2 extùs convexa intùs plana.

IX. GUATTERIA.

Cananga. AUBL. *guian.* 1. *p.* 607. JUSS. *gen.* 284. *ann. mus.* 16. *p.* 340. *non Rumph.* — Aberemoa. AUBL. *guian.* 1. *p.* 610. *t.* 245. — Uvariæ sp. LAM. WILLD. — Guatteria. RUIZ et PAV. *prod. p.* 85. *t.* 17. PERS. *ench.* 2. *p.* 95. DUNAL. *monogr. p.* 50 *et* 123.

FR. Calyx 3-partitus, lobis ovatis subcordatis acutis. Petala 6 ovata aut obovata; antheræ ∞ subsessiles; carpella ∞ subbaccata sicca coriacea ovata aut subglobosa stipitata monosperma.

VEG. Arbores aut frutices; rami expansi teretes; folia breviter petiolata integerrima; pedunculi axillares seu oppositifolii, solitarii bini ternive, uni aut rariùs pauciflori.

HAB. In utriusque orbis regionibus calidis nempè 8 in Indiâ, cæteræ in Americâ.

1. Guatteria Aberemoa.

G. foliis ovato-oblongis acutis tomentosis, pedunculis axillaribus unifloris baccis substipitatis ovatis mucronatis.

Aberemoa Guianensis. *Aubl. Guian.* 1. *p.* 610. *t.* 245.*
G. aberemoa. *Dunal! monogr. p.* 126.

β. Microcarpa.

Hab. in Guianæ sylvis Sinemariensibus. *Aublet.* ♄. (v. s. sp. *β.* in h. Mus. Par.).

Arbuscula 20-pedalis ramosa; folia ampla ovato-oblonga acuminata, utrinquè tomentosa, obscurè viridia, subsessilia; flores solitarii axillares; pedunculi uniflori tomentosi petiolo sublongiores; flores ignoti; baccæ 20 circiter, exsuccæ, capitatim congestæ, brevissimè stipitatæ ovatæ mucronatæ seu submammiformes subluteæ 1-loculares 1-spermæ, avellanæ circiter magnitudine; semen subrotundum testâ fragili inclusum (Aubl.). Var. *β* quam in herb. Mus. Par. vidi à priori differt tantùm fructibus paulò minoribus; an altera?

2. Guatteria brevipes.

G. foliis ovalibus subacuminatis utrinquè glabris lucidis, pedunculis axillaribus unifloris, baccis ovatis breviter stipitatis.

Hab. in Guianâ. *Martin.* ♄. (v. s. sp. in h. Lamb.)

Rami teretes fusci glabri ; folia ampla , 8-12 poll. longa , 3-4 lata , utrinquè glabra lucida brevissimè petiolata ovalia subacuminata penninervia ; pedunculi axillares uniflori , fructu maturo circiter pollicem longi , imâ basi bracteolati ; flores ignoti ; baccæ siccæ 7-8 ovatæ 1-spermæ, basi attenuatæ in stipitem gracilem , sed baccæ ipsius longitudinem non adæquantem.

3. Guatteria Ouregou.

G. foliis oblongo-ellipticis acuminatis glabris , pedunculis 1-3 axillaribus , baccis ovatis acutis longè stipitatis.

Cananga ouregou. *Aubl. Guian.* 1. *p.* 608. *t.* 244.*
Uvaria monosperma. *Lam. dict.* 1. *p.* 596. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1262.
G. ouregou. *Dunal! monogr. p.* 126.*
Hab. in sylvis Guianæ. *Aublet.* ♄. (v. s. sp.).
Arbor 50-pedalis ; caulis teres lævis maculatus ; folia brevissimè petiolata ovato-oblonga acuminata integerrima , supernè glabra viridia , subtùs subrufa ferruginea ; ramuli , pedunculi , calyces corollæque extùs pilis rufescentibus pilosi ; pedunculi 1-3 axillares 1-flori ; calycis 3-partiti laciniæ acutæ ; petala patentia subcrassa acuta , exteriora majora ; baccæ siccæ coriaceæ lutescentes ovatæ acutæ 1-spermæ numerosæ , interdùm 48 , stipitatæ , stipite gracili baccâ longiore.

4. Guatteria podocarpa.

G. foliis ovali-oblongis abruptè acuminatissimis glabris , pedunculis axillaribus solitariis , baccis ovatis submucronatis stipite baccâ multò longiore.

α. *Oligocarpa* , baccis 14-20 subcostatis.

β. *Polycarpa* , baccis circiter 40 non costatis.

Hab. in Cayennâ. ♄. (v. s. sp. α in h. Mus. Par. β. in h. Lamb.).
Affinis G. ouregou , sed distincta ; rami teretes fusci glabri vix ac ne vix apice pubescentes ; folia ovali-oblonga abruptè acuminatissima glabra penninervia , nervis prominulis , junioribus subtùs adpressè prominulis ; pedicelli axillares 1-flori solitarii hispiduli vix 6 lin. longi ; calyx 3-partitus , lobis crassis ovatis acutis ; petala 6 crassa , tomento è fusco-rufo vestita , oblonga acuta , inter se ferè æqualia , interiora basi paulò latiora ; baccæ 14-20 submucronatæ 1-spermæ siccæ subcostatæ magnitudine duplà quàm in G. ouregou , stipitata , stipite baccâ triplò quadruplòve longiore recto.
Var. β. habet torum ampliatum foveolis circiter 40 notatum ; stipites baccâ quadruplò longiores ; baccas ovatas mucronatas non costatas ; an species propria ?

5. Guatteria cerasoïdes.

G. foliis lanceolatis acutis subtùs pubescentibus , pedunculis axillaribus solitariis , petalis subæqualibus , baccis ovato-globosis , stipite baccâ longiore.

Uvaria cerasoides. *Roxb ! corom.* 1. *p.* 30. *t.* 33. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1261. *Poir. supl.* 2. *p.* 71. *excl. syn. Rheed.*

G. cerasoides. *Dunal. monogr. p.* 127.

Hab. in Coromandeliæ montibus. *Roxb.* ♃. fl. tempest. calidâ. (v. s. sp.).

Arbor magna, trunco longo stricto erecto, ramis diffusis horizontalibus, ramulis bifariis velutinis; folia bifaria, breviter petiolata, lanceolata aut oblonga, acuta, subtùs villoso-velutina, supernè nervo medio basi tomentoso, circiter 4 poll. longa, 1 $\frac{1}{2}$ lata; pedunculi axillares simplices solitarii uniflori teretes velutini, pollicem circiter longi, prope basim bracteati, bracteolis 1-2 alternis ovatis foliaceis; calyx 3-partitus, lobis oblongis acuminatis subreflexis; petala 6 ovali-oblonga obtusiuscula fusca crassa æqualia erecto-patentia vix calyce longiora; ovaria circiter 40 pilosa; stigmata lata purpurea; baccæ stipitatæ divergentes atro-rubræ globosæ, Cerasi minimi magnitudine et huic maturæ similes, monospermæ, edules, nimis astringentes (Roxb.).

6. Guatteria suberosa.

G. foliis oblongis acutis glabris, pedunculis suboppositifoliis unifloris, petalis exterioribus minoribus, baccis globosis, stipite baccâ duplò longiore.

Uvaria suberosa. *Roxb! corom.* 1. *p.* 31. *t.* 34. * *Willd. sp.* 2. *p.* 1261.

G. suberosa. *Dunal! monogr. p.* 128. *

β. Foliis basi angustioribus margine crispulis.

γ. Foliis exactè oblongis pallidè glaucis, ramulis villosis.

Hab. in Coromandeliâ. *Roxb. Macé.* ♄ (v. s. sp.)

G. cerasoidi vulgatior et minor; truncus strictus; rami horizontales bifarii, nascentes vix pubescentes, dein glabri; cortex suberosus rimosus; folia brevissimè petiolata basi inæqualia oblonga acuta glabra; pedunculi uniflori solitarii suboppositifolii; petala 3 exteriora ovata viridia interioribus dimidio breviora, 3 interiora lanceolata albida; baccæ 15-20 ovato-globosæ mucronulatæ glabræ atro-rubræ magnitudine Pisi minoris, stipite gracili baccâ paulò longiore.

Var. β et γ in Coromandeliâ à Macé lectæ et in herb. Mus. Paris. servatæ vix nisi caracteribus indicatis à specie Roxburghianâ differunt.

7. Guatteria rufa.

G. foliis ovalibus acuminatis basi cordatis subtùs ramulisque rufo-tomentosis, pedunculis brevissimis lateralibus vel oppositifoliis, petalis æqualibus, baccis stipitatis velutinis.

Uvaria tomentosa. *Vahl! ined. non Roxb.*

G. rufa. *Dunal! monogr. p.* 129. *t.* 29.*

Hab. in Indiâ *Poivre*, in insulâ Timor *Riedlei*, in Javâ *Lahaie.* ♄. (v. s. sp.)

Rami teretes, juniores rufo-velutini; folia ovalia, apice acuminata, basi cordata, 2-4-poll. longa, subtùs tomento rufo subvelutina, supernè rufo-virescentia ferè glabra, sed nervus longitudinalis tomentosus et superficies tota pilis minimis lentis ope conspicuis scabra; pedunculi laterales aut oppositifolii, brevissimi, post anthesin paulò elongati, 1-2-flori; calyx 3-fidus velutinus, lobis latis brevibus; petala 6 æqualia

purpurea ovalia vix acutiuscula subcoriacea, intùs tenuissimè velutina, extùs tomentosiuscula; receptaculum post anthesin pilosum; carpella ovoïdea subbaccata indehiscentia obtusa tenuissimè velutina stipitata 1-locularia, 1-sperma? stipite baccæ ferè longitudine.

8. Guatteria cordata.

G. foliis basi cordatis oblongis acutiusculis subtùs ramulisque subtomentosis, racemis oppositifoliis brevibus paucifloris.

G. cordata. *Dunal! monogr. p.* 129. *t.* 30.*
Hab. in Javâ. *h. Deless.* ♄. (v. s. sp. in h. Deless.)
Rami teretes rugosiusculi punctulati, apice tomentoso-pubescentes, villis ochraceo-rufis; folia breviter petiolata oblonga basi cordata apice acutiuscula penninervia, 4-6 poll. longa, 1 ½-2 lata, subtùs leviter tomentosa, tomento tenui subrufescente, supernè scabra, pilis minutis lentis ope conspicuis; pedunculi oppositifolii brevissimi racemosi, pedicellis tomentosis gracilibus, in medio bracteam concavam sessilem imò decurrentem gerentibus, cum calyce corollâque tomentoso-ferrugineis; calyx 3-fidus subcampanulatus; petala 6 ovata acutiuscula intùs ferruginea tenuissimè velutina; antheræ longæ, exteriores breves latæ petaloideæ steriles!

9. Guatteria eriopoda.

G. foliis oblongo-lanceolatis basi subattenuatis acuminatis junioribus villosis, pedunculis lateralibus solitariis unifloris tomentoso-hispidis.

Uvaria Zeylanica. *Domb! herb. non Lin.*
Hab. in Peruviâ circa Cochero. *Dombey* ♄. (v. s. sp. in h. mus. Par. et Juss.)
Arbor 3-orgyalis (Domb.); rami teretes fusci, adulti glabri, juniores pilis subferrugineis hispidi; folia oblongo-lanceolata basi subattenuata acuminata, 3-4 poll. longa, 15-18 lin. lata, penninervia, subtùs vix pallidiora, petiolo brevissimo donata, juniora utrinquè et subtùs imprimis hispido-villosa, dein pilis caducis vix pilosa, demùm supernè glabra, subtùs vix basi pilosiuscula; pedunculi laterales, ex parte ramulorum jam glabratâ orti, solitarii, uniflori, pollicem longi, pilis confertis rufis subtomentosis hispidi; calyx 3-partitus, lobis ovatis tenuiter velutinis; petala 6 ovalia aut suboblonga patentia æqualia fuscata, pube cinerea tenuissimâ velutina; antheræ subsessiles approximatæ. — Affinis G. hirsutæ, sed differre videtur floribus velutinis nec hirsutis, pedunculisque hirsutis nec ut in icone floræ Peruvianæ glabris, lateralibus nec axillaribus, etc.

10. Guatteria hirsuta. †

G. foliis lanceolatis acuminatis, pedunculis axillaribus glabris, floribus hirsutis.

G. hirsuta. *Ruiz et Pav. fl. per. syst.* 1. *p.* 146. *Dunal monog. p.* 131.
Hab. in Peruviæ nemoribus versus Chinchao vicum. ♄. fl. à junio ad septemb. (R. P.)

Frutex biorgyalis (R. P.). Species ut omnes in floræ Peruvianæ systemate Guatteriæ indicatæ descriptionibus nondùm editis non satis notæ.

11. Guatteria pendula. †

G. foliis lanceolatis, pedunculis axillaribus longissimis pendulis.

G. pendula. *Ruiz et Pav. fl. per. syst.* 1. *p.* 146. *Dunal. monog. p.* 131.
Hab. in Peruviæ montibus circà Chinchao et Pozuzo. ♃ fl. à maio ad julium (R. P.).
Frutex biorgyalis (R. P.).

12. Guatteria ovalis. †

G. foliis oblongis ovalibusque, pedunculis axillaribus.

G. ovalis. *Ruiz et Pav. fl. per. syst.* 1. *p.* 146. *Dunal. monog. p.* 131.
Hab. in Peruviæ montibus circà Pozuzo. ♃ fl. à jun. ad aug. (R. P.)
Arbuscula 4-orgyalis (R. P.).

13. Guatteria glauca. †

G. foliis oblongis ovatisque acuminatis, pedunculis axillaribus.

G. glauca. *Ruiz et Pav. fl. per. syst.* 1. *p.* 145. *Dunal. monogr. p.* 131.
Hab. in Peruviæ nemoribus versus Cochero et Chinchao vicos. ♃. fl. à jun. ad aug. (R. P.)
Arbuscula 3-orgyalis (R. P.).

14. Guatteria virgata.

G. foliis ovatis acuminatis glaberrimis subsessilibus, pedunculis axillaribus unifloris, baccis substipitatis coriaceis ovoideis obtusiusculis.

Uvaria lanceolata. *Swartz! prod.* 87. *Willd. sp.* 2. *p.* 1261, (*excl. syn. Brown.*) *Pers. ench.* 2. *p.* 94.
Uvaria virgata. *Swartz. fl. ind. occ.* 2. *p.* 999. *
Cananga lancea. *Poit! ined.*
G. virgata. *Dunal! monogr. p.* 131. *t.* 31. *
Hab. in montosis sylvaticis Jamaicæ occidentalis *Swartz* et Sti.-Domingi *Poiteau.* ♃ (v. s. sp.).
Arbor mediocris aut arbuscula cortice lævi, ramis horizontaliter divergentibus patulis teretibus, ramulis flexilibus, ultimis filiformibus glabris; folia brevissimè petiolata, subsessilia, ovato-lanceolata, acuminata, sæpè attenuata, apice extremo obtusa, sesquipollicaria, utrinquè glabra, subnitida, venosa, rigidiuscula; pedunculi axillares, petiolis vix longiores, solitarii, squamulosi, uniflori; flores parvi, inexplicati subrotundi, albidi, suaveolentes; calyx 3-partitus, lobis minutis orbiculatis; petala 6 subrotunda, 3 exteriora majora; antheræ 16-20 subsessiles incumbentes incurvæ albæ; ovaria 8 oblonga erecta; baccæ breviter stipitatæ ovatæ parvæ.

15. Guatteria laurifolia.

G. foliis oblongis utrinquè acuminatis glabris brevissimè petiolatis, pedunculis axillaribus subconfertis, baccis substipitatis ovoideis mucronatis.

Arbor foliis ovatis glabris utrinquè acuminatis floribus umbellatis umbellulis sparsis. *Brown. jam.* 370. *n.* 11.
Uvaria laurifolia. *Swartz. fl. ind. occ.* 2. *p.* 1001. *
Uvaria excelsa. *Vest ex Vahl! in h. Juss.*
Cananga pseudo-lancea. *Poit! ined.*
G. laurifolia. *Dunal! monogr. p.* 132. *t.* 32. *
Hab. in sylvis interioribus montium Jamaicæ (Sw.), Sti.-Domingi *Poit.* et Portiricci *h. Deless.* ♃. (v. s. sp.)
Arbor mediocris; rami rigidi; ramuli flexuosi virgati glabri; folia subdisticha brevissimè petiolata, 3-4 poll. longa, oblonga, utrinquè acuminata, supernè nitida; pedunculi axillares et infrà foliacei, plerumque 3-4 conferti, rariùs solitarii, 3-4 lin. longi uniflori; flores inexplicati ovato-trigoni; calyx 3-partitus, lobis minimis rotundatis concavis margine ciliatis; petala alba subæqualia; antheræ 16 acuminatæ subsessiles receptaculo globoso insertæ; ovaria 6-8 oblonga angulata hirta; baccæ substipitatæ coriaceæ elliptico-ovoideæ glabræ mucronatæ.

16. Guatteria sempervirens.

G. foliis ovato-oblongis glabris nitidis, pedunculis unifloris, petalis oblongis acutis, baccis stipitatis globosis.

Tsjerou-panel. *Rheed. h. mal.* 5. *p.* 31. *t.* 16. *
Guatteria sempervirens. *Dunal. monog. p.* 133.
Hab. in plurimis regni Malabarici locis præsertim in Angiccaimaal (Rh.) ♃ Δ.
Arbuscula humilis semper virens florens et fructifera; folia breviter petiolata ovato-oblonga acuminata crassa glabra, supernè atro-viridia nitida, subtùs subviridia nervosa, nervo medio viridi-flavescente; pedunculi uniflori teretes virides lanuginosi, alii in icone axillares alii laterales; calyx 3-partitus exiguus; petala 6 rubescentia oblonga cuspidata; baccæ circiter 9, globosæ, nigricantes, glabræ, carnosæ, acido-dulces, monospermæ, stipitatæ, stipite baccâ ferè longiore (Rh.).

17. Guatteria Korinti.

G. foliis ovato-oblongis glabris nitidis, pedunculis axillaribus unifloris, petalis oblongis obtusiusculis, baccis stipitatis globosis.

Corinti-Panel. *Rheed. h. mal.* 5. *p.* 27. *t.* 14. *
G. Korinti. *Dunal. monogr. p.* 133.
Hab. ubique in Malabariâ præsertim locis arenosis ac petrosis in Candenate (Rh.). ♃. fl. et fr. jul. aug.
Frutex 1-2 orgyalis; radix albicans cinereo ac lanuginoso cortice tecta; folia ovato-oblonga acuminata crassa glabra nitida, supernè atro-viridia, subtùs subviridia nervosa; calyx 3-partitus; petala 6 viridia oblonga obtusa apice reflexa; baccæ circiter 7 globosæ stipitatæ primùm virides dein rubicundæ 1-spermæ carne subdulci (Rh.).

18. Guatteria montana.

G. foliis lanceolato-oblongis angustis glabris nitidis, pedunculis geminis ternisve 1-3-floris, petalis inflexis.

Kaltsjerou-panel seu Panel montana minor. *Rheed. h. mal.* 5. *p.* 33. *t.* 17. *
G. Malabarica. *Dunal. monog. p.* 134.
Hab. in Malabariæ locis montanis et petrosis circa Paracaro. ♄. semper fl. et fr. (Rh.)
Prioribus similis sed folia angustiora acuminata aromatica suaveolentia; pedunculi breviores ramosi; flores minores; fructus ignoti (Rh.).

19. Guatteria acutiflora.

G. foliis ovato-oblongis acutis crassis glabris, pedunculis axillaribus brevibus, calycinis lobis obtusis, petalis acutissimis, baccis stipitatis globosis.

Katsjan Panel seu Panel sylvestris. *Rheed. h. mal.* 5. *p.* 35. *t.* 18. *
Uvaria Zeylanica. *Deless! herb.*
G. acutiflora. *Dunal! monogr. p.* 134. *
Hab. in Malabariæ locis montanis circa Manguatti (Rh.). ♄ (v. s. sp. in h. Deless.) semper fl. et fr.
Frutex 4-pedalis semper virens; caulis tenuis ramosus, ramis subviridibus, ligno albicante, cortice cinereo intùs viridi; folia oblongo-elliptica acuta densa glabra, supernè atro-viridia nitida, subtùs subviridia; pedunculi axillares breves uniflori; calyx 3-partitus, lobis rotundatis; petala 6 acutissima æqualia; fructus Guatteriæ sempervirentis (Rh.). — In specimine Delessertiano sunt rami glabri rugosi teretes; folia coriacea subsessilia oblongo-elliptica glaberrima, utrinquè sed præcipuè apice acuminata subtùs reticulata subrubiginosa supernè dilutè viridia; calyx 3-partitus laciniis ovatis acutiusculis; petala 6 oblonga acuta.

20. Guatteria umbilicata.

G. foliis oblongo-ellipticis acuminatis, glabris, pedunculis 1-floris bracteolatis, baccis stipitatis basi umbilicatis apice depressis.

G. umbilicata. *Dunal! monogr. p.* 135. *t.* 33. *
Hab. verosimiliter in Americâ calidiore aut in Caribæis. *Forsyth.* ♄ (v. s. sp.).
Rami teretes fusci glabri virgati; petioli vix 2 lin. longi; folia 6 poll. longa, 2-3 lata elliptica oblonga acuminata utrinquè glabra subnitida penninervia; flores ignoti; pedunculi fructiferi ex axillis orti solitarii 1-flori patentes 8-9 lin. longi teretes bracteolati; calycis 3-partiti lobi persistentes basi lati breves acuti; receptaculum subturbinatum; baccæ 6 stipitatæ globosæ, utrinquè depressæ ferè umbilicatæ, 1-spermæ, Cerasi parvi magnitudine; semen globosum utrinquè depressum.

ORDO QUINTUS.

MENISPERMEÆ.

Sarmentacearum gen. Lin. — Anonarum gen. Adans. — Menisperma. Juss. *gen.* 284. Batsch. *tab.* 119. — Menispermoideæ. Vent. *tabl.* 3. *p.* 78. — Menispermeæ. Jaum. *fam.* 2. *p.* 82. *t.* 86. DC. *ess. prop. ed.* 2. *p.* 78.

Car. diff. Flores unisexuales; sepala petalaque numero definita decidua. ♂ Stam. sæpissimè monadelpha petalis numero æqualia et iisdem opposita aut multiplicia. ♀ Ovaria pauca libera, rarò coalita; semina compressa sæpiùs lunulata. — Frutices scandentes; stipulæ o; folia alterna ad apicem aristato-mucronata.

Fruct. Flores (abortu?) unisexuales, sæpissimè dioici minimi; tegumenta flòralia uni aut multiserialia, seriebus omnibus ternario quaternariove numero constantibus, hypogyna, decidua; petala interdùm o. ♂ Stamina monadelpha aut rariùs libera, nunc petalis numero æqualia et iisdem opposita, nunc petalis numero tripla quadruplave; antheræ adnatæ extrorsæ, aut basi ad apicem filamenti insertæ. ♀ Ovaria nunc plurima monostyla basi subcoalita, nunc solitaria stigmatibus plurimis coronata intùs multilocularia et ideò è plurimis carpellis coalitis constantia, rarissimè et verosimiliter abortu unilocularia. Drupæ ferè in omnibus baccatæ, 1-spermæ, obliquæ aut lunulatæ, compressæ; semen conforme; embryo curvus aut periphericus; albumen nullum aut parcum carnosum; cotyledones planæ, nunc approximatæ nunc modò singulari distantes et in loculis duobus seminis locatæ! radicula supera, interdùm vero fructûs apice cum basi per accrescendi modum contiguo infera ferè dicenda.

Veg. Frutices sarmentosi volubiles. Stipulæ nullæ. Folia alterna petiolata, sæpiùs integra, peltata seu palaria, cordato-ovata seu oblonga, obtusa aut acuta, forma interdùm variantia in iisdem stirpibus et in utroque sexu, semper apice aristâ è nervo medio exsertâ mucronata. Pedunculi sæpiùs axillares, sæpè ramificationibus diversi in utroque sexu. Flores parvi, sæpè minimi, abortionibus necnon coalitionibus organorum variis sæpè larvati.

Vir. Radices caulesve vetustiores amari tonici excitantes, ut diuretici stomachici alexiterii in variis regionibus celebrati. Fructus rarissimè subedules, sæpiùs acres inebriantes, ad pisces avesque capiendos, vermes pediculosque necandos noti.

Hist. Hujus ordinis exotici vix ante Rheedium ullæ detectæ, à Linnæo 10, à Willdenowio 29 recensitæ, nunc 84 plus minùsve nobis notæ. Ex iis America borealis alit 6, America æquinoxialis 22, India orientalis 35, China Cochinchina et Japonia 7, Africa tota 5, Sibiria 1. Omnes sylvarum incolæ super arbores scandentes.

Aff. Menispermeæ affines sunt 1°. Annonaceis, mediantibus hinc Annonaceis paucis scandentibus, illinc Menispermeis numero ternario in tegumentis floralibus donatis, sed abundè discrepant staminibus definitis et fructûs structurâ et habitu. 2°. Berberideis ob stamina petalis opposita, sed cæterum distinctissimæ antherarum structurâ et plurimis aliis notis. 3°. Sterculiaceis ob stamina sæpè monadelpha, ovaria plurima, foliaque peltata, sed cæterùm evidenter distinctæ. Numerus quinarius à Menispermeis ut videtur alienus has à plurimis disjungit ordinibus, verbi gratiâ, ab Ochnaceis, etc.

Obs. Ordo distinctissimus sed non satis cognitus, peregrinatoribus autoptisque commendandus ut analyses florum fructuumve descriptionibus delineationibusve ad vivum institutis illustrent! Flores etenim sicci ob minutiem difficillimè observandi sunt.

CONSPECTUS GENERUM.

I. MENISPERMEÆ VERÆ.

Floribus nempè sæpissimè dioicis, masculis quoad partium numerum symetricis.

§. I. *Foliis compositis.*

1. Lardizabala. Sepala Petalaque ordine ternario 2-3-serialia. ♂. Stam. 6 monadelpha. ♀ Baccæ 3-6, 6-loculares, loculis ∞-spermis.

2. Stauntonia. Sepala ordine ternario biserialia. Petala o. ♂. Stam. 6 monadelpha. ♀.....
3. Burasaia. Sepala et Petala ordine ternario biserialia. ♂ Stam. 6 basi coalita. ♀ Stam. 6 sterilia. Ovarium triplex. Drupæ 3.

§. II. *Foliis simplicibus.*

4. Spirospermum. Sepala et Petala ordine ternario biserialia. ♂. Stam. 6, 3 interiora basi coalita. ♀ Carpella 8-9.
5. Cocculus. Sepala et Petala ordine ternario bi rarissimè tri serialia. ♂. Stam. 6 libera petalis opposita. ♀ Carpella 3-6.
6. Pselium. ♂ Sepala et Petala ordine ternario biserialia; Stam. 6 libera. ♀ Sepala 4. Petala o. Ovarium 1. Stigma 4-fidum.
7. Cissampelos. ♂. Sepala 4. Petala o. Stam. monadelpha 4 aut 2. ♀ Sepalum 1 laterale. Petalum 1 ante sepalum. Ovarium 1. Stigm. 3. Drupa obliqua reniformis.
8. Menispermum. Sepala et Petala ordine quaternario bi seu triserialia. ♂ Stam. 16-20. ♀ Ovaria 2-4.
9. Abuta. Flores. . . . . ♀. Baccæ 2-3 ovatæ exsuccæ testâ 1-spermâ, fragili fætæ.
10 ? Agdestis. Flores hermaphroditi. Sepala 4. Petala o. Stam. 24. Antheræ utrinquè bifidæ.

II. MENISPERMEÆ SPURIÆ.

Floribus nempè monoicis, masculis quoad partium numerum non symetricis.

11. Schizandra. Flores monoici. Sepala ordine ternario triserialia. Petala o. ♂ Antheræ 5, apice summo coalitæ. ♀ Ovaria ∞. Baccæ secus receptaculum elongatum spicatæ.

Tribus prima. — MENISPERMEÆ VERÆ.

Flores dioici. Masculi quoad partium numerum symetrici.

I. LARDIZABALA.

Lardizabala. *Fl. Per. prod. p.* 143. *t.* 37. *Syst.* 285. Vent. *tabl.* 3. *p.* 80. Jaum. *fam.* 2. *p.* 83.

Fr. Flores dioici polygamive; calyx alternè 2-3-serialis,

serie quaque 3-sepala, sepalis externis majoribus. Petala 6, biserialia, calyce minora, paulò supra calycem toro inserta. ♂ Stam. in cylindrum monadelpha; antheræ 6 ovatæ distinctæ extùs dehiscentes. ♀ Stam. 6 distincta antheris abortivis; ovaria 3-6 distincta; styli 0; stigmata capitata persistentia; Baccæ 3-6 carnosæ oblongæ 6-loculares, loculis ∞-spermis.

VEG. Frutices volubiles glabri; folia uni bis terve ternata, petiolo ad ramificationes articulato; racemi masculi axillares, ramosi aut fasciculati; pedunculi fæminei 1-flori.

VIR. Fructuum pulpa edulis dulcis.

HAB. Omnes in Americæ meridionalis sylvis.

1. Lardizabala biternata.

L. foliis bi seu triternatis, foliolis oblongis acutis basi inæqualibus hinc indè subdentatis, bracteis 2 magnis inæqualiter cordatis ad basim pediculorum.

L. biternata. *Ruiz et Pav! syst.* 286. *prod. t.* 37. *Lapeyr. voy.* 4. *p.* 265. *t.* 6. 7. 8. *opt.*

Boissiera triternata et Thouinia volubilis. *Domb! herb.*

Hab. in regni Chilensis sylvis ad Conceptionis Rere et Iratæ provincias *fl. per.*, in Peruviâ circa Arauco *h. Domb.* ♄◡ (v. s. sp. ♂).

Frutex volubilis glaber dioicus; rami teretes alterni, folia biternata, intensè viridia, petiolo tereti trifido, ramulis trifoliolatis, foliolo medio petiolulato oblongo acuto basi attenuato, lateralibus 2 basi inæqualibus; foliola coriacea subtùs nervoso-reticulata integra aut hinc indè subdentata, apice submucronata, 1-2 poll. longa; pedunculi axillares solitarii, fæminei folio breviores 1-flori, masculi folio longiores aut æquales racemosi multiflori; bracteæ 2 oppositæ axillares deciduæ foliaceæ inæqualiter cordatæ obtusæ ad basim pediculorum sitæ; calyx 6-sepalus in sicco nigricans, sepalis in ♀ oblongis acutiusculis 7-9-lin.-longis, in ♂ ovalibus subobtusis 4 lin. longis; petala 6 calyce breviora acuminata; ovaria in ♀ 3-6 erecta obtusè subtriquetra stigmate crasso coronata; baccæ oblongæ obtusæ cylindraceæ obtusè 6-sulcatæ, 2-2½ poll. longæ, pollicem latæ, seminibus tumidis subtorosæ.

Fructus edules (Domb.) ab incolis decerpti et venditati ob pulpam dulcem et grati saporis. (R. et P.) Vernaculè *Aguilboguil* ex Dombey, *Guilbogui* ex Lapeyrouse, *Coguill-Vochi* ex Ruiz et Pavon.

2. Lardizabala triternata.

L. foliis bi seu triternatis, foliolis ovalibus obovatisve obtusis integerrimis, bracteis 2 magnis ovatis ad basim pediculorum.

L. triternata. *Ruiz et Pav! syst.* 287.

Hab. in Conceptionis Chili sylvis. *R. et P.* ♄◡. (v. s. sp. ♀.)

Frutex volubilis glaber; folia pallidè seu cinereo-virentia glabra coriacea, venis prominulis reticulata, biternata saltem in specimine meo, forsan inferiora tantùm triternata; bracteæ latæ ovatæ; pedunculi fœminei axillares 1-flori folio breviores nudi; florem non vidi; fructus 3 oblongo-cylindracei, juniores stigmate crasso coronati.

3. Lardizabala trifoliolata.

L. foliis ternatis trifoliolatis, foliolis ovatis, bracteis secus pediculos minimis.

Thouinia seu Boissiera trifoliata. *Domb! herb.*
Hab. in Peruviâ *Dombey*. ♄. (v. s. sp. ♂ comm. à cl. Lagasca.)
Frutex ramosissimus subscandens glaber dioicus Glycinem habitu æmulans; rami teretes tortuosi subvolubiles; folia alterna trifoliolata, petiolo tereti simplici, foliolis ovatis obtusis, basi subcordatis, subtùs reticulatìm nervosis, semi-pollicem longis, integris aut rarò obtusissimè subtrilobis, medio petiolulato, lateralibus subsessilibus; pedunculi fœminei uniflori? masculi axillares, è basi multiplices, ramoso-dichotomi, foliis subbreviores, bracteolas minimas acutas oppositas gerentes; flores pàrvi ex albo flavescentes; sepala calycina ovata obtusa novena, nempè triplici serie disposita; petala 6 ovato-rotunda minima ad basim columnæ staminææ sita.

II. STAUNTONIA.

Fr. Flores dioici. ♂ Calyx 6-partitus aut 6-sepalus, sepalis biserialibus linearibus, 3 exterioribus paulò latioribus; Petala o. Stam. monadelpha. Antheræ 6 in annulum ferè coalitæ extùs rimâ duplici dehiscentes apice in aristas subcarnosas desinentes. ♀ Ignoti.

Veg. Frutex sarmentosus scandens glaber; folia alterna petiolata peltata 5-foliolata, foliolis petiolulatis ovali-oblongis integris; gemmæ florales axillares squamosæ; pedunculus in pedicellos 2-3 divisus.

Nom. Fruticem Chinensem dicavi cl. Georgio Staunton itineris Macartneiani socio qui circa Chinæ vegetabilia observationes plurimas instituit et in Europam specimina hujus stirpis et aliarum Chinæ plantarum rariorum adportavit.

Obs. Hujus stirpis foliatio paululùm accedit ad Sterculiam, sed genus etiamsi non satis notum ad Menispermeas meo sensu evidenter referendum; affine Lardizabalæ ob flores senarios, stamina monadelpha, antheras extrorsas, folia composita, etc. Sed differt defectu petalorum et habitu toto.

1. Stauntonia Chinensis.

Hab. in Chinâ. *Sir George Staunton.* ♃ (v. s. sp. ♂ in herb. Banks et Lamb.)

Frutex glaber sarmentosus, ramis teretibus tortuosis apice cirrhiformibus; gemmæ-florales axillares ovatæ, squamis obtusis latis constantes; folia alterna, petiolo tereti basi subincrassato 2 poll. longo, apice peltatim diviso in segmenta 5 petiolulata, petiolulis apice articulatis teretibus 3-10-lin. longis ad insertionem limbi subtùs subnodosis imò subarticulatis, limbis ovali-oblongis subacuminatis integerrimis coriaceis, supernè lævibus, subtùs medio uninervibus cæterùm reticulatis, 2 poll. longis, 9-10-lin. latis; pedunculus ♂ solitarius è gemmâ ortus, 6 lin. longus, subracemosim divisus in pedicellos 2-3 longos graciles; ramulo alio medio noduloso apice nudo flore nempè abortivo aut deciduo, altero enoduloso apice florifero; floris sepala 6 lin. longa; antheræ albidæ.

III. BURASAIA.

Burasaia. PETIT-TH. *Dict. scienc. nat. ex gen. madag. p.* 18.

FR. Flores dioici; calyx 6-sepalus, sepalis concavis conniventibus; Petala 6 conniventia. ♂ Stam. 6, filamentis crassis basi coalitis, antheris adnatis. ♀ Stam. 6 sterilia. Ovarium triplex; stigmata sessilia. Drupæ 3 subpedunculatæ, nucleo falcato papilloso viscoso. Albumen carnosum; embryo brevior inferus; cotyledones planæ divaricatæ (P. T.).

VEG. Frutex debilis foliis trifoliolatis, floribus racemosis axillaribus.

OBS. Genus Menispermo proximum (P. T.) inter genera monadelpha et eleutherandra ordinis medium.

1. Burasaia Madagascariensis.

Hab. in Madagascar ubi Bourasaha dicitur (Petit-Th.) ♃.
Folia alterna longè petiolata; foliola 3 ovata integra. (P. T.)

IV. SPIROSPERMUM. †

Spirospermum. PETIT-TH. *gen. mad. p.* 19. *n.* 63.

FR. Flores unisexuales. ♂ Calyx biserialis, serie quâque 3-sepala, interiore longiore. Petala 6 concava calyce breviora. Stam. 6, 3 interiora basi juncta. Antheræ bilobæ apici filamentorum insertæ. ♀. . . . . Nuces 8 in orbem dispositæ pedunculatæ 1-spermæ. Albumen 0. Embryo cylindricus longissimus spiraliter convolutus (P. T.).

Veg. Frutex debilis foliis alternis multinerviis, floribus racemosis dependentibus (P. T.).

Obs. Affine Cissampelo ob perispermi defectum, Cocculo ob floralium tegumentorum numerum senarium, Burasaiæ ob stamina saltem interiora basi juncta.

1. Spirospermum penduliflorum.

Hab. in Madagascar (Petit-Th.) ♄.

V. COCCULUS.

Cocculus. C. Bauh. *pin.* 511. Pluk. *mant.* 52. — Menispermi sp. hexandræ. Lin. Juss. Lam. Willd. — Menispermum. Adans. *fam.* 364. Gærtn. *fruct.* 1. *p.* 219. *t.* 70. — Chondodendron. *fl. per.* — Baumgartia. Mœnch. — Androphylax. Wendl. — Braunea et Wendlandia. Willd. — Cebatha et Leæba. Forsk. — Fibraurea, Nephroia? et Limacia. Lour. — Epibaterium. Forst?

Fr. Flores dioïci (rarissimè monoici aut subhermaphroditi). Calyx 6-9-sepalus, duplici, rariùs triplici serie ternariâ constans. Petala 6 biserialia. ♂. Stam. 6 libera petalis opposita. Ovaria o aut abortu ad gemmulas reducta. ♀ Stam. o aut interdùm 6 sterilia. Ovaria 3-6 monostyla, stylis apice sæpè bifidis. Drupæ baccatæ 1-6 sæpiùs obliquæ reniformes subcompressæ 1-spermæ: embryo curvus aut periphericus; cotyledones distantes.

Veg. Frutices scandentes. Folia alterna petiolata, peltata palariave, cordata ovata aut oblonga, integra aut rariùs lobata; pedunculi axillares aut rariùs laterales, masculi sæpiùs multiflori, fæminei pauciflori bracteas nullas minimasve (nec ut in Cissampelo maximas) gerentes.

Obs. Genus vastissimum, à Menispermo distinctissimum, sed species plerasque non satis exactè quoad floris anomalias fructûsque structuram descriptas continens, forsan in posterum pro ordinis sectione habendum et tunc divellendum in genera plurima equidem sed caracteribus stabilita aliis quàm genera dena autorum hic coacervata et tantùm ut videtur inter se distincta ob nomina aliena à variis autoribus iisdem organis imposita. Intereà in tantâ nominum genericorum congerie vetustius et notissimum elegi et ob specierum plerarumque descriptiones mancas divisionem admisi merè artificialem ex foliorum formâ desumptam, nempè:

§. 1. Foliis peltatis. . . . . Sp. 1-5.
§. 2. Foliis basi cordatis. . . . . Sp. 6-25.
§. 3. Foliis ovatis oblongisve. . . . . Sp. 26-44.
§. 4. Floribus monoïcis. . . . . Sp. 45-46.

§. I. *Foliis peltatis.*

1. Cocculus Japonicus.

C. foliis peltatis subrotundo-ovatis acuminatis integerrimis glabris, petiolo subvolubili folii longitudine, pedunculis fæmineis petiolo triplò brevioribus umbelliferis, carpellis binis.

Menispermum Japonicum. *Thunb. jap.* 195.* *Lam. dict.* 3. *p.* 96.* *Willd. sp.* 4. *p.* 827.
Hab. in Japoniâ prope Nagasaki et alibi (Th.). ♃◡. fl. autumno.
Volubilis undiquè glaber; caulis simplex striato-polygonus; folia peltinervia, acumine obtuso subretuso terminata, suprà viridia, subtùs glauca; petioli volubiles sulcati vix torti digitales et ultrà; flores ♀ decomposità umbellati; pedunculi axillares solitarii petiolo triplò breviores; pedicelli striato-angulati umbellati vix lineam longi; baccæ 2 obovato-subreniformes, compressæ, magis inferiùs, latere utroque lacunâ magnâ oblongâ unitæ, muricatæ univalves 1-loculares; semen album. (Th.)

2. Cocculus Roxburghianus.

C. foliis peltatis ovatis hinc rotundatis illinc subacutis integerrimis glabris, petiolo folio triplò breviore, pedunculis fæmineis petiolo triplò brevioribus umbelliferis, baccis subsenis.

Menispermum Japonicum. *Roxb! ined. in herb. Lamb.*
Hab. in Indiâ orientali. *Roxburgh.* ♃◠ (v. s. ♀ in h. Lamb.)
Affine Cocculo Japonico; rami scandentes volubiles glabri teretes; petioli 8-12 lin. longi teretes glabri; folia peltinervia ovata subacuminata, hinc rotundata, illinc subacuta brevissimè mucronulata, integerrima, subtùs glauca, utrinquè glabra, 3 poll. longa, 2 lata, nervis 9 radicantibus peltinervia; fl. ♂ ignoti; ♀ pedunculi solitarii axillares, adpressè velutini, petiolo triplò breviores, apice divisi in pedicellos 5-6 breves 1-floros umbellatos; carpella 5-6 in quoque flore, obovata, subglobosa, glabra.

3. Cocculus peltatus.

C. foliis peltatis subtriangularibus acuminatis basi obtusè truncatis integerrimis subscabris, petiolis pilosis, pedunculis fæmineis racemosis petiolo vix duplò longioribus.

Pada-valli. *Rheed. hort. mal.* 7. *p.* 93. *t.* 49.*

Convolvuli instar volubilis è Coromandel umbilicatis foliis crassis acuminatis villosa. *Pluk. phyt. t.* 24. *f.* 6.

Menispermum peltatum. *Lam. dict.* 4. *p.* 96.* *Willd. sp.* 4. *p.* 827. *excl. syn. Burm.*

Hab. in Malabariâ (Rh.), et Coromandeliâ (Pluk.) ♄◡. fl. aug.-oct.

Radix longa crassa Dauci sativi radicem formâ et magnitudine ferè æmulans; caules tenues virides pilosi; folia triangularia oblonga cuspidata densa crassiuscula, villis scabra et subaspera, nervis subtùs prominulis; flores ♀ minuti racemosi albicantes; pedunculi circiter 3 poll. longi; fructus in quoque flore solitarii, primùm oblongo-rotundi subcompressi dilutè virides pilosiusculi, dein rotundiores candidi nitentes; radix amara in dysenteriâ et hæmorrhoidibus in Malabariâ inservit. (Rh.)

4. Cocculus Burmanni.

C. foliis peltatis triangulari-oblongis acuminatis integerrimis posticè obtusè truncatis nitidis, pedunculis masculis longissimis racemosis.

Smilax foliis peltatis cordato-oblongis floribus minutissimis et copiosissimis. *Burm. Zeyl* 218. *t.* 101.*

Hab. in Ceylonâ (Burm.) ♄◡.

Affine C. peltato et à plurimis pro hujus individuo masculo habitus; caulis tenuis lignosus; folia nitida remota oblonga acuminata basi subcordato-truncata; petioli biunciales; pediculi ♂ pedem longi, ramis pluribus patentibus racemosim dispositis tenuissimis longis; squamulæ multifidæ seu capillaceæ ad ramulorum divaricationes; flores sextifidi. ♀. Pistillum 1. (Burm.)

5. Cocculus Forsteri. †

C. foliis peltatis ovatis hinc rotundatis illinc subacutis integerrimis glabris, petiolo folio longiore.

Menispermum peltatum. *Forst! ined. in h. Lamb.*

Hab. . . . . ♄◡ (v. s. sp. in h. Lamb.)

Valdè affine C. Roxburghiano, sed (ex specimine manco equidem, sed authentico) differre videtur foliis paulò majoribus, petiolis 4-5 pollices longis, pedunculis glabris 2 poll. ferè longis.

§. II. *Foliis basi cordatis.*

6. Cocculus rotundifolius.

C. foliis subpeltatis basi subcordatis orbiculatis vix acuminatis mucronatis glabris, pedunculis axillaribus folio brevioribus racemoso-paniculatis.

Hab. . . . . ♄◡. anno 1812 in hort. Paris. cultus. (v. s. c. in h. Juss.)

Frutex scandens glaber Aristolochiam siphonem æmulans; rami teretes subvirescentes; folia alterna, petiolo tereti 4-5 poll. longo, limbo orbiculato basi subcordato, peltato, sed petiolo omninò juxta latus inserto,

apice vix acuminato mucronato, 3-4 poll. diametro, 7-9-nervio, integerrimo, marginibus in sicco subrevolutis; pedunculi axillares folio breviores apice paniculato-racemosi; baccæ nigricantes subglobosæ subcompressæ pisi magnitudine.

7. Cocculus cordifolius.

C. foliis orbiculatis cordatis acuminato-cuspidatis 7-nerviis utrinquè glabris, racemis fæmineis lateralibus folio longioribus simplicibus.

Citamerdu. *Rheed. mal.* 7. *p.* 39. *t.* 21.*
Menispermum glabrum. *Klein in litt.*? *ex Willd.*
Menispermum Malabaricum var. *β. Lam. dict.* 4. *p.* 96.
Menispermum cordifolium. *Willd. sp.* 4. *p.* 826. * *Poir. supl.* 3. *p.* 657. *Fleming in journ. bot.* 1814. 2. *p.* 201.
Hab. in Malabariâ (Rh.), in Indiâ orientali (Willd.) ♃.
Caulis teres glaber volubilis; folia petiolata, 3 poll. et ultrà longa, orbiculata, profundè cordata auriculis obtusis, acuminata, cuspidata, integerrima, glabra, 7 nervia, venosa; petioli limbo parùm breviores; racemi subcompositi, folio longiores aut æqnales, laterales (axillares Willd.); flores 3-partiti? fructus ovati ternati; horum decoctio vires reficit; plantæ succus ulcera sanat. (Rh.)

8. Cocculus convolvulaceus.

C. foliis cordiformibus acuminato-cuspidatis 7-nerviis utrinquè glabris, pedunculis masculis axillaribus folio brevioribus simplicibus.

Hab. in Indiâ orientali. ♃. (v. s. sp.)
Priori valdè affinis et forsan hujus individuum masculum? differt tamen ab icone Rheedii (quam pro archetypo Cocculi cordifolii habeo) pedunculis axillaribus nec lateralibus, folio brevioribus nec longioribus. Synonymon Wildenowii ad priorem relatum ad hunc nostrum potiùs forsan referendum?

9. Cocculus Malabaricus.

C. foliis cordatis ovatis acuminatis subtùs villosis, racemis fæmineis lateralibus? folii longitudine simplicibus.

Pee-amerdu. *Rheed. mal.* 7. *p.* 37. *t.* 19. *et* 20.*
Menispermum Malabaricum var. *α. Lam. dict.* 4. *p.* 96.
Menispermum Malabaricum. *Willd. sp.* 4. *p.* 826.
Hab. in Malabariâ semper florens et frugens (Rh.) ♃.
Radix fibrosa capillata rufo-fusca; caules longi volubiles tortuosi teretes, teneri virides albicantibus pilis obsiti, vetustiores cinerei pollicem crassi; petioli teretes basi incrassati pilosi, folia sparsa cordiformia acuminata subtùs lanuginosa, supernè pilis subaspera nervis 7 subtùs prominulis; racemi simplices, ex icone laterales, folii longitudine; flores inodori dilutè virides parvi tripartiti? Stam. 6; fructus ternati oblongo rotundi, primùm virides, dein flavescentes, dein corallini ruboris et nitentes, ossiculo oblongo exasperato fæti (Rh.). Ex descriptione flores videntur hermaphroditi! an rectè?

10. Cocculus populifolius.

C. foliis cordiformibus acuminatis integerrimis glabris, paniculis fæmineis amplis multifloris.

Hab. in insulâ Timor. ♄◠. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Affinis C. cordifolio et Malabarico; frutex glaberrimus; folia magna Populi angulatæ similia, cordata acuminata integra penninervia; petioli limbo breviores, basi subcontorti; panicula fructifera magna ramosa multiflora; carpella 1-3 baccata pedicellata subglobosa, pisi magnitudine.

11. Cocculus lacunosus.

C. foliis cordiformibus acuminatis supernè viridibus glabris subtùs flavo-lanuginosis, pedunculis lateralibus compositis racemosis petiolo duplò longioribus.

Tuba baccifera; Cocculi Indici. *Rumph. amb.* 5. *p.* 35. *t.* 22.*

Menispermum Cocculus. *Lin. sp.* 1468? (*excl. syn.*).

Menispermum lacunosum. *Lam. dict.* 4. *p.* 98.

Hab. in rupibus et saxis ad littora maritima Celebum et Moluccarum. (Rumph.) ♄◡.

Frutex scandens ingens brachium crassus, adultus cortice lacerato rugoso, ramis longis junioribus teretibus; folia vaga, instar chartæ firma, cordiformia, in obtusum acumen desinentia, palmam vel spithamam longa, 9 digitos lata, supernè glabra viridia, subtùs quodam modo lanuginosa; petioli folio vix breviores, ad exortum sæpè inflexi; racemi ♀ è crassioribus ramis orti; sesquipedem longi, in plurimos laterales divisi; flores parvi albidi sexpartiti, petalis reflexis, ingratum odorem spirantes; baccæ 1-3 instar uvarum collectæ, sed paulò minores, primùm albentes, dein rubri, demùm ex purpuro nigricantes, nucleo intùs albido rugoso; baccæ pro capiendis piscibus avibusve vario modo ab Indis usitantur. (Rumph.)

12. Cocculus suberosus. †

C. foliis cordatis basi subtruncatis compactis lucidis, caule perenni volubili, cortice suberoso rimoso.

Grana orientis. *Ruell. hist. st.* 630.

Baccæ cotulæ Alexandrinæ. *Math. epist.*

Cuculi fructus vulgò Cocce de Levant. *Cord. adn.* 197.

Nux vomica fortè seu Galla orientalis. *Cæs. pl. p.* 85.

Cuculi de Levante. *Dalech. lugd.* 1722.

Cocci orientales. *Tab. ic. st.* 924. *f.* 1. *ic. fr. J. Ger. hist.* 1548. *ic. fr. J. Bauh. hist.* 1. *p.* 348. *ic. fr. Ray. hist.* 1812.

Cocculæ officinarum. *C. Bauh. pin.* 511.

Cocculi Indi. *Park. et Pharm. ex Murr. app. med.* 1. *p.* 496.

Coccole de Levante. *C. Dur. herb. p.* 140. *ic. fr.*

Coccus piscatorius Levantinus. *Camell. phil. trans.* 24. *p.* 1809.

Coque du Levant. *Pomet. hist. drog.* 216 *et* 213. *ic. fr.*

M. cocculus. *Lin. sp.* 1468? (*excl. syn.*) *Mat. med. n.* 175. *Gærtn. fr.* 1. *p.* 219. *t.* 70 *f.* 7. (*excl. syn.*) *Berg. mat. med.* 860 *Roxb. fl. ind. ined. ex R. Brown. litt.*

Hab. in Malabar. ♄◡.

Cl. Roxburgh recepit anno 1807 à Malabariâ semina Cocculi veri officinalis et anno 1812 (quo floræ suæ hanc partem scribebat). Planta ex iis seminibus in horto Calcuttensi nata Mangiferam Indicam cooperibat, sed nondùm floruerat; huic erat cortex suberosus rimosus ut in C. lacunoso et verosimiliter aliis speciebus; caracter specificus, à Roxburghio inscriptus et ex anglico sermone translatus, est : *Menispermum perenne volubile foliis compactis lucidis cordatis basi subtruncatis.* Addit se non posse ullam iconem, nec in horto Malabarico nec in Amboinensi, suæ stirpi referre, sed Gærtnerum citat quoad fructum; videtur ergo hæc species vera Cocculorum officinalium mater, aut forsan verosimilius è diversis speciebus affinibus Cocculi nostri venales extrahuntur (Brown. litt.). Intereà Cocculi, etiamsi eorum historia sit adhucdùm paulò dubia, inserviunt, ut fructus à Rumphio descripti, ad pisces stupefaciendos, vermes pediculosque necandos, nec homini ipsi sunt omninò innocui. Ex iis cl. Chemicus Boullay inter alia extraxit principium quoddam amarum venenosum crystallisatum ab eo *Picrotoxina* dictum. (*Conf. DC. Ess. prop. pl. ed.* 2. *p.* 80.)

13. Cocculus Plukenetii. †

C. foliis ovatis basi subcordatis apice obtusè truncatis mucronulatis, racemis fæmineis axillaribus simplicibus folio sublongioribus.

Cocculus officinarum. *Pluk. mant.* 52. *t.* 345. *f.* 7.
Menispermum Cocculus. *Willd. sp.* 4. *p.* 826.
Hab. in Malabariâ (Pluk.), in Javâ (Willd.) ♄.
Icon Plukenetii valdè manca non tantùm ob flores deficientes, sed etiam ob ramulum axillarem foliis omninò ab altero diversum ut alienum videatur; fructus non malè Cocculos officinales referunt, sed iis sunt triplò minores.

14. Cocculus Aristolochiæ. †

C. foliis cordatis obtusis mucronatis integris, pedunculis fæmineis unifloris petiolo brevioribus.

Arbor aristolochiæ foliis Maderaspatana fructu parvo medicæ ad instar involuto. *Pluk. alm. t.* 13. *f.* 2.
Hab. in Maderaspatanâ provinciâ. ♄ (Pluk.)

15. Cocculus flavescens.

C. foliis subcordatis ovatis obtusiusculè acuminatis, junioribus subpubescentibus orbiculatis, racemis fæmineis paniculatis lateralibus folio longioribus.

Tuba flava. *Rumph. amb.* 5. *p.* 38. *t.* 24.*
Menispermum flavescens. *Lam. dict.* 4. *p.* 98.
Hab. in saxosis præsertìm ad littora maritima insularum Moluccarum. fl. septemb. ♄. (Rumph.)
Caulis scandens brachium crassus ramosus; rami digitum crassi teretes intùs flavidi; folia ovata basi vix ac ne vix subcordata integra in apicem obtusum attenuata, juniora orbiculata albicantia et mollia, adulta viridia 6-9 poll. longa; petioli firmi infernè incrassati subinflexi limbo paulò breviores; pedunculi sesquipedales ramoso-paniculati patentes

dein penduli; flores albidi, minimi, odorem dulcem sed debilem spirantes, plures abortivi; fructus ex rotundo compressi sordidè flavescentes punctulati, ossiculo obliquo duro rufo fæti; baccæ piscibus venenatæ; ligni decoctio contra icterum, leucophlegmasiam, cacochymiam vermesque in Moluccis adhibita (Rumph.).

16. Cocculus glaucus.

C. foliis cordiformibus acuminatis integris subtùs pubescentibus, pedunculis racemoso-corymbosis petiolo brevioribus.

Folium lunatum minus. *Rumph. amb.* 5. *p.* 40. *t.* 25. *f.* 1.*
Menispermum glaucum. *Lam. dict.* 4. *p.* 100.
Hab. in apricis vallibus et desertis hortis Amboinæ; fl. julio. ♃. (Rumph.).
Caules tenues volubiles teretes pilosi; folia distantia petiolata exactè cordiformia acuminata integra, supernè viridi-flavescentia, subtùs glauca pilis tenuissimis hirta, 3-4 poll. longa, totidem lata; pedunculi axillares apice paniculato-corymbosi 6-8-flori petiolis breviores; flores parvi viridi-flavescentes hexapetali hexandri; hos insequuntur baccæ pusillæ ex rotundo parùm compressæ purpuro-nigricantes. (Rumph.)

17. Cocculus crispus.

C. foliis cordatis acuminatis glabris, caule subangulato tuberculis subrotundis exasperato, racemis gracilibus lateralibus simplicibus.

Funis felleus. *Rumph. amb.* 5. *p.* 83. *t.* 44. *f.* 1.*
Menispermum crispum. *Lin. sp.* 1468. *Willd. sp.* 4. *p.* 827.
Menispermum tuberculatum var. *α. Lam. dict.* 4. *p.* 96.*
Menispermum verrucosum. *Roxb. ined. ex Fleming in journ. bot.* 1814. 2. *p.* 201.
Hab. in Javâ et transportatum in Amboinâ et Baleiâ. ♃. (Rumph.)
Caulis elongatus digiti crassitie, subcarnosus, undiquè tuberculis squamosis subrotundis plus minùsve confertis subserialibus ornatus et ideò quasi crispatus; folia distantia petiolata glabra exactè cordiformia, auriculis obtusis, lateralibus subovatis, apice acuminato; pediculi ♂ non axillares, sed laterales, è caule orti, solitarii aut gemini, simplices, gracillimi, petiolo triplò quadruplòve longiores; flores 7-8 parvi distantes brevissimè pedicellati, laxè spicato-racemosi, 6 partiti, patentes, ferè reflexi; stam. 6; succus et herba tota amara, contra vermes et abdominis tormina à Moluccanis adhibita. (Rumph.)

18. Cocculus tamoides.

C. foliis basi cordatis truncatisve ovatis acuminatis 5-nerviis integerrimis glabris, racemis masculis gracilibus folio paulò longioribus.

Hab. in Cayennâ. *Martin.* ♃?. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)
Affinis C. Caroliniano, sed differt foliis utrinquè glabris racemisque multò longioribus et tenuioribus; caules teretes volubiles glabri; folia omnino glabra sparsa distantia; petiolo pollicem circiter longo gracili, limbo

cordato seu potiùs basi truncato acuminato mucronato integerrimo basi 5-nervio petiolo longiore, sesquipollicem longo et lato; pedunculi masculi racemosi graciles foliis paulò longiores glabri solitarii aut bini; pedicelli laterales ramosi multiflori; flores minimi.

19. Cocculus Chondodendron. †

C. foliis cordatis leviter crenatis cum acumine subtùs tomentosis.

Chondodendron tomentosum. *Ruiz et Pav. prod. fl. per.* 132. *syst.* 261.
Epibaterium? tomentosum. *Pers. ench.* 2. *p.* 561.
Hab. in Americâ meridionali in Pillao ad Chaca-huassi nemoribus imis et calidis. ♄◡. fl. oct. nov. (R. et P.)
Frutex scandens; cortex amarissimus; flores masculi soli cogniti; calyx triserialis, serie quâque 3-sepalâ, sepalis basi concavis supernè-reflexis; petala 6 stamina ambientia; stam. 6 petalis breviora receptaculo inserta; antheræ conniventes. (R. et P.)

20. Cocculus hastatus. †

C. foliis basi cordatis hastatis subtùs villosis, auriculis obtusis, apice ultra auriculas parùm producto obtuso, petiolis villosis folio sextuplò brevioribus.

Menispermum hastatum. *Lam. dict.* 4. *p.* 98.*
Hab. in Indiâ orientali? ♄◡. (Lam.)
Rami graciles volubiles teretes simplices pubescentes tenuiter striati; folia alterna, petiolata, hastata, obtusa, mucronata, basi cordato-emarginata, supernè ferè glabra, subtùs villosa, sesquipollicem longa, 14-15 lin. lata, interdùm supra auriculas utrinquè lobulo altero aucta, basi 3-5-nervia; petioli villosi teretes 3-4 lin. longi; flores ignoti. (Lam.)

21. Cocculus trilobus.

C. foliis trilobis nervosis villosis, lobis acutis mucronatis integerrimis, petiolis basi reflexis, pedunculis racemosis petiolo brevioribus.

Menispermum trilobum. *Thumb. fl. jap.* 194.* *Lam. dict.* 4. *p.* 95. *Willd. sp.* 2. *p.* 825.
Hab. in Japoniâ prope Nagasaki. fl. sept. et oct. ♄◡. (Th.)
Totus villoso-hirsutus; caulis subramosus filiformis; folia pollicaria subtùs pallidiora; petioli unguiculares teretes; pedunculi semi-unguiculares; pedicelli glabri 1-flori semi-lineam longi; ♂ calyx 6-sepalus (calyx et corolla Th.) biserialis albidus extùs bibracteolatus; petala 6 (nectaria Th.) apice fissa alba sepalorum interiorum longitudine; stam. 6 petalis opposita (inserta Th.) ♀; bacca globosa 1-sperma pisi minoris magnitudine (Th.); an folia basi cordata?

22. Cocculus palmatus.

C. foliis basi cordatis palmatìm 5-fidis piloso-hispidis, lobis acuminatis integerrimis.

Calumbo. *Comm! herb.*

Menispermum palmatum. *Lam! dict.* 4. *p.* 99.* *Willd. sp.* 4. *p.* 825. *DC! ess. prop. ed.* 2. *p.* 79.

Colomba, Columbo seu Kalumb. *Berry in Asiat. res.* 10. *p.* 385. *t.* 5. ♂.

Hab. in Africâ australi orientali. *Comm.* nempè in Mozambicæ sylvis opacis inter Oibo et Mozambo (Berry.) ♃◡. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Radix perennis ramosa crassa, ramis fusiformibus (Berry.); Caulis volubilis annuus simplex teres pilosus, crassitie pennæ anserinæ, cum foliis piloso-hispidus, pilis longis rufescentibus; folia petiolata distantia, circumscriptione quasi orbicularia, palmatìm 5-nervia, 5-fida, lobis integerrimis acuminatis; racemi pedunculati axillares folio breviores simplices (Lam.) ♂ compositi pilosi; pediculi partiales alterni; flores sessiles; bracteæ lanceolatæ ciliatæ deciduæ; calyx 6-sepalus, sepalis æqualibus oblongis obtusis glabris biserialibus; petala 6 minuta cuneato-oblonga concava carnosa obtusa; stam. 6 petalis paulò longiora; antheræ 4-lobæ 4-loculares (Berry); ♀ ignoti.

Hæc est planta cujus radix in officinis usitata sub nominibus *Columbo* seu *Calumba, Columba, Calomba, Colomba;* Radix amara stomachica in dyspepsiâ, dysenteriâ, diarrhæâ utilis, primùm nota fuit à Fr. Redi (*Exper. circa var. res nat.* 1685. *p.* 142) et à Joh. Curvo Semmedo ante 1697 (*Hist. var simpl. vers. Vateri, p.* 37.). Colligitur ab Africanis mense Martio; transfertur ad Tranquebariam undè Lusitani hanc in Europam adportant. Quoad usus medicos vide. *Murr. app. med.* 6. *p.* 154. *Alib. elem. mat. med.* 1. *p.* 107. *Carth. diss. col.* 1774. *et diss. chim. med. p.* 136. *Perciv. ess. med.* 2. *p.* 3. *Verryst in Verhand. harl.* 21. *p.* 6.

23. Cocculus orbiculatus.

C. foliis orbiculatis subcordatis obtūsis 5-7-nerviis mucronulatis subtùs cinereo-pubescentibus, pediculis masculis 1-3 apice racemosis petiolo brevioribus.

Cattu-valli. *Rheed. mal.* 11. *p.* 127. *t.* 62.

C. orientalis frutex convolvulaceus orbiculatis foliis pronâ parte villosis. *Pluk. am.* 61. *t.* 384. *f.* 6.

Menispermum orbiculatum. *Lin. sp.* 1468. *Willd. sp.* 4. *p.* 828.

Hab. in Malabariâ (Rh.), insulâ Crocodilorum Asiæ (Pl.), Tranquebariâ. *H. Lamb.* ♄◡. (v. s. sp. ♂ in h. Lamb.)

Rami volubiles teretes substriati adpressè pubescentes; folia petiolo 12-15 lin. longo gracili, cordiformia, obtusa, rariùs apice emarginata, interdùm reniformia, supernè glabra, subtùs cinereo-pubescentia, palminervia, nervis 5-7 ramosis, integerrima, aristâ exsertâ apice mucronata, pollicem longa, sesquipollicem lata; pediculi masculi axillares petiolo dimidiò triplòve breviores, pilosi, solitarii ternive, sæpiùs gemini, apice ramosi, ramulis pedicellos graciles 1-floros 3-5 gerentibus; flores minimi extùs villosi; ♀ ignoti. — An Cissampelos?

24. Cocculus diversifolius.

C. foliis inferioribus cordatis, mediis ovatis, summis oblongis, omnibus truncato-obtusis mucronatis, pedunculis folio brevioribus 1-3-floris.

Menispermum sp. nov. *Moç. et Sessé fl. mex. ic. ined.*

Hab. in Mexico. ♄ ◡.

Caules volubiles teretes graciles; folia pallidè virentia, glabra ?, inferiora cordata auriculis rotundatis, media ovata vix ac ne vix cordata, summa oblonga basi obtusa, omnia apice truncata obtusa mucronata, 1-2 poll. longa, 6-20 lin. lata; petioli in infimis ferè pollicares, in floralibus 3 lin. longi; pedunculi axillares solitarii petioli circiter longitudine, masculi 3-flori, fæminei 1-2-flori; flores utriusque sexùs albi parvi numero partium senario donati, lobis 3 aliis majoribus et ideò primâ fronte tripetaloidei; ♂ stam. 6; ♀ baccæ sæpiùs solitariæ carnosæ rubescentes transversè ovatæ ferè reniformes, hinc longiores obtusæ, illinc aristâ mucroniformi erectâ appendiculatæ. — C. Carolino valdè affinis, sed apice foliorum truncato distinctus. (*Descr. ex ic. mex.*)

25. Cocculus Carolinus.

C. foliis cordatis ovatisve integris obtusève subtrilobis subtùs pubescenti-velutinis, racemis masculis à basi floriferis, fæmineis 3-floris.

Menispermum folio hederaceo. *Dill. elth.* 223. *t.* 178. *f.* 219. *

Menispermum Carolinum. *Lin. sp.* 1468. *Mill. dict. n.* 3. *Lam. dict.* 4. *p.* 97. * *Willd. sp.* 4. *p.* 825. *Mich. fl. bor. am.* 2. *p.* 242.

Baumgartia scandens. *Mœnch. meth.* 650.

Androphilax scandens. *Wendl. obs.* 38. *hort. herrenh.* 3. *t.* 16.

Wendlandia populifolia. *Willd. sp.* 2. *p.* 275. *Pers ench.* 1. *p.* 400. *Poir. dict.* 8. *p.* 796. *Pursh. fl. bor. am.* 1. *p.* 252. *excl. Jacq. syn.*

Hab. in sylvis et sepibus Carolinæ *Lin.*, Georgiæ et Floridæ (Michx.) à Carolinâ ad Floridam (Pursh.) ☽ ♄ et sæpè in hortis septentrionalibus ♃. fl. aug. (v. s. sp. et v. c.)

Caulis volubilis teres gracilis virescens subvelutinus; petioli teretes, oculo armato pubescentes, vix pollicem longi; folia formâ varia sæpè in iisdem individuis, nunc cord formia sinu lato auriculis obtusis apice acuminato, nunc ovato-cordata, aut ovata, integra aut obcurè lobata, semper mucronata, supernè juniora subpubescentia et adulta glabrata, subtùs pube molli velutina; pedunculi axillares ♂ racemosi simplices, petiolo vix breviores, interdùm longiores, ab ipsâ basi floriferi, ♀ à basi tripartiti aut trifidi, ramulis brevibus 1-floris; sepala 6 extùs 2-3-squamis munita; petala 6; ♂ stam. 6 petalis opposita; ♀ ovaria 3; baccæ 1-3 maturæ rubræ (Michx.); flores interdùm hermaphroditi (Wendl.), et staminum numero varii (Pursh.).

§. III. *Foliis ovatis ovalibus oblongisve.*

26. Cocculus Thunbergii. †

C. foliis ovatis obtusis cum acumine subtùs villosis, infimis subtriangularibus, summis orbiculatis, floribus paniculatis.

Menispermum orbiculatum. *Thunb. fl. jap.* 194. *Lam. dict.* . *p.* 97. *non Lin.*

Hab. in Japoniâ juxta Nagasaki. ☋. fl. aug.-sept. (Th.)
Totus tenuissimè villosus; caulis teres ramosus volubilis; rami alterni cauli similes; folia alterna petiolata pollicaria, infima triangulari-ovata, media ovata, suprema minora orbiculata; petiolus semi-unguicularis; flores axillares paniculati. (Th.)

27. Cocculus villosus.

C. foliis ovatis lanceolatisve 3-5-nerviis, junioribus villoso-tomentosis, adultis pubescentibus, ramulis villosis, pedicellis paucifloris petioli longitudine.

Menispermum villosum. *Lam. dict.* 4. *p.* 97.*

α. Foliis oblongo-lanceolatis.
Cocculi Indi species minima myosotidis scorpioidis hirsutis foliis et facie fructu minimo reniformi. *Pluk. amalth.* 62. *t.* 384. *f.* 3. *Burm. ind.* 316.
Menispermum myosotoides. *Lin. sp.* 1469. *Willd. sp.* 4. *p.* 829.

β. Foliis omnibus ovatis.
Cocculi Indi altera species minor, etc. Chaunacurry Malabarorum. *Pluk. am.* 61. *t.* 384. *f.* 7.
Menispermum hirsutum. *Lin. sp.* 1469. *Willd. sp.* 4. *p.* 829.

γ? foliis superioribus ovatis, infimis cordatis.
C. Indus foliis aristolochiæ subtùs lanuginosis fructu minore Percuncurry Malabarorum. *Pluk. am.* 61. *t.* 384. *f.* 5.

Hab. in Malabariâ (Pluk.), Indiâ *Roxburgh.* ♄ seu ♃ ☋. (v. s. sp.)
Planta Evolvuli facie, ex omnibus partibus villosa; caules teretes graciles volubiles; folia petiolo villoso 2-3 lin. longo instructa, ovata ovalia oblonga lanceolatave, integerrima, apice mucronata, basi 3-5-nervia, villosa, mollia, 9-18 lin. longa, 6-12 lata, subtùs (juniora præsertìm) canescentia; pediculi axillares solitarii gemini aut terni petioli longitudine aut paulò longiores subramosi bracteolati, ramulis subcorymbulosis; fructus terni reniformes suborbiculati glabri rugosuli (Lam.)

28. Cocculus cotoneaster.

C. foliis ovalibus integerrimis mucronatis subtùs tomentosis, ramis tomentosis, pedunculis racemosis petiolo longioribus.

Hab. verosimiliter in Americâ calidiori. ♄☋. (v. s. sp.)
Rami teretes graciles tomentosi; petioli tomentosi 2-3 lin longi: folia Mespilum cotoneastrem æmulantia, sed paulò longiora, ovalia suboblonga, obtusa cum mucrone exserto, integerrima, 2 poll. longa, 9-10 lin. lata, subtùs cano-tomentosa, supernè viridia nitentia glabra, nervulis anastomosantibus subelevatis reticulata, basi uninervia; pedunculi tomentosi axillares petiolo triplò longiores racemosi; squamulæ minimæ acutæ secus pediculos; flores minimi.

29. Cocculus Fibraurea.

C. foliis ovatis acutis integerrimis glabris longè petiolatis racemis oblongis lateralibus.

Fibraurea tinctoria. *Lour. fl. coch. ed. Willd.* 2. *p.* 769.*

Hab. in sylvis Cochinchinæ et Chinæ. ♄ ◡ (Lour.).

Caulis fruticosus scandens ramosus longus brachium crassus, è fibris lentis aureis constans; folia basi ovata apice acuta integerrima glabra inæqualiter nervosâ venosa; petioli longi teretes basi turgidi; flores albi minimi, racemis oblongis lateralibus; calyx o? petala 6 concava subrotunda; ♂ antheræ 6 subsessiles biloculares; ♀ ovarium triplex ad centrum invicem connexum; stigmata 3 bifida; baccæ 3, ovatæ, subcompressæ, læves, 1-spermæ, parvæ, luteæ, non edules; sapor plantæ amarus; radix diuretica; caules cocti præbent colorem flavum persistentem qui Curcumæ et Carthamo apud Cochinchinenses fundamentum sternit (Lour.).

30. Cocculus ovalifolius.

C. foliis ovalibus integris mucronatis trinerviis glabris, ramulis villosis, pedunculis inferioribus axillaribus petiolo vix longioribus, summis in racemum terminalem dispositis.

Menispermum ovalifolium. *Vahl! ined. in h. Juss. Pers! ench.* 2. *p.* 628.

Hab. in Javâ *Lahaie*, in Chinâ *D'Incarville*. ♄ ◡. (v. s. sp.)

Rami teretes graciles, juniores villosi, adulti glabri; folia petiolo 3-4 lin. longo, pubescenti-villoso, limbo ovato aut sæpiùs ovali basi trinervio integerrimo apice mucronato, glabro aut in foliis nascentibus subpubescente, 1 ½-2 poll. longo, pollicem lato; racemi masculi terminales, pediculis nempè 2-4-floris alternis brevibus, inferioribus ex axillis foliorum supremorum, superioribus ex axillis bracteæ membranaceæ foliï locum occupantis ortis; pedicelli brevissimi subumbellati; pediculi fœminei axillares petiolo vix longiores 2-3-flori pubescentes; baccæ 2-3 glabræ compressæ orbiculatæ.

31. Cocculus ellipticus.

C. foliis ellipticis obtusis integerrimis glabris, racemis axillaribus geminis inæqualibus folio multò brevioribus.

Menispermum ellipticum. *Poir. supl.* 3. *p.* 657.*

Hab. in Senegaliâ. ♄ ◡. (Poir.)

Rami subrecti virgati glabri teretes striati; folia distantia petiolo 3 lin. longo, elliptica, utrinquè obtusa, integra, pollicem et ultrà longa, 4 lin. lata, nervoso-venosa, basi subinæqualia; flores virentes parvi in foliorum axillis in racemos parvos breves geminatos inæquales dispositi, subsessiles, nunc secus pedunculum solitarii, nunc 2-3-glomerulati (Poir.).

32. Cocculus Limacia.

C. foliis ovato-oblongis acuminatis integerrimis glabris, floribus masculis subterminalibus congestis, fœmineis binatis axillaribus.

Limacia scandens. *Lour. fl. coch. ed. Willd.* 2. *p.* 761.*

Hab. in sylvis Cochinchinæ. ♄ ◡ (Lour.).

Caulis fruticosus scandens longus ramosissimus; folia alterna; flores luteo-virides. ♂ Calyx 3-serialis, serie quâque 3-sepalâ, sepalis ferè triangularibus, externis brevibus, internis longioribus; petala 6 concava subrotunda carnosa; stam. 6 brevissima petalis opposita; antheræ subrotundæ biloculares. ♀ Calyx quadriserialis, serie quâque 3-sepalâ, interioribus majoribus; petala 6 conniventia; ovarium subtrigonum; stigmata 3 patentia; drupa parva glabra carnosa acida esculenta subreniformis 1-sperma; nux in helicem sulcata, nucleo simplici (Lour.).

33. Cocculus Cebatha.

C. foliis ovali-oblongis mucronatis nitidis glabris, pedunculis axillaribus petioli longitudine, masculis capitellatis, fæmineis unifloris.

Cebatha. *Forsk. descr. æg. ar.* 171.*

Menispermum edule. *Vahl. symb.* 1. *p.* 80. *Lam. dict.* 4. *p.* 99. *Willd. sp.* 4. *p.* 828.

Hab. in Arabiâ. ♄. (Forsk.).

Affinis C. villoso (Vahl.) sed totus glaber; rami teretes; folia alterna oblonga apice molliter aristata, integra, inferiora emarginata, petiolo brevissimo, limbo pollicem longo, 4-5 lin. lato; pedicelli ♂ axillares solitarii petioli longitudine, flores 4-5 apice subumbellatos minimos gerentes, cum alabastris velutino-villosi; flores virides 6-sepali 6-petali; stam. 6; antheræ luteæ; pedunculi ♀ gemini filiformes uniflori erecti masculis similes; ovarium 1 trigonum; styli 3 breves; stigmata retusa emarginata; bacca rubra tricocca baccis internâ basi cohærentibus; baccæ maturæ edules sed acri gustu; ex his paratur in Arabiâ vinum adustum dictum *Chamr el Madjnûme* (Forsk.).

34. Cocculus acuminatus.

C. foliis ovato-acuminatis integerrimis glabris basi sub 5-nerviis, cæterùm penninerviis, racemis axillaribus subvillosis petiolo paulò longioribus.

Menispermum acuminatum. *Lam. dict.* 4. *p.* 101.*

Bagalatta genus Menispermo affine. *Roxb! ined. in h. Lamb.*

Hab. in Indiâ orientali. *Sonnerat. Roxburgh.* ♄. (v. s. sp.)

Habitu affinis C. radiato sed petiolis duplò longioribus primâ fronte diversus; caules sarmentosi tenues ramosi teretes tenuiter striati glabri, juniores apice subpilosuli, pilis brevibus raris; petioli 8-10 lin. longi subpuberuli aut glabri; folia glabra, virentia, ovato-lanceolata acuminata, 3-4 poll. longa, 2 circiter lata, nervis è basi 5, medio penninervio, nervulis ramosis subtùs prominulis; pedunculi ♂ axillares petiolo vix longiores subvillosi racemosi, pedicellis brevissimis; flores in sicco subfusci; sepala 6 minima biserialia; petala 3-6? ovali-oblonga calyce multò longiora; stam. 6 petalis subbreviora; ♀ pedunculi subcorymbosim ramosi pubescentes; baccæ obovatæ plurimæ stipitatæ glabræ ad basim hinc mucronatæ.

35. Cocculus radiatus.

C. foliis ovato-oblongis acuminatis vix subcordatis integer-

rimis penninerviis glabris, pedunculis racemoso-paniculatis petiolo triplò longioribus.

Valli-Caniram. *Rheed. mal. 7. p. 5. t. 3.* *
Menispermum radiatum. *Lam. dict. 4. p. 100.* *
Braunea menispermoïdes. *Willd. sp. 4. p. 797.*
Hab. in Indiâ orientali (Rh.). ☽ ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par.).
Rami sarmentosi volubiles teretes striati glabri; folia alterna petiolata ovato-oblonga acuminata basi obtusa apice mucronulata integra crassiuscula glabra viridia subtùs pallidiora 3-4 poll. longa, 15-20 lin. lata; petioli 5-6 lin. longi; flores axillares racemoso-paniculati; racemi solitarii petiolo triplò quadruplòve longiores; bracteolæ subulatæ minimæ (Lam.); ♂ sepala 6 biserialia, interiora obovata conniventia, externa quadruplò majora; petala 6 oblonga apice reflexa; stam. 6; ♀ calyx ut in mare; petala 0; baccæ 3-6 ovoideæ glabræ subcompressæ, obliquè insertæ, siccæ subrugosæ, latere hinc ad basim mucrone subcalcaratæ. — An hæc species cum priore genus proprium conficere debeat?

36. Cocculus leptostachyus.

C. foliis ovalibus acuminatis trinerviis glabris, racemis axillaribus simplicibus gracilibus folii longitudine.

Hab. in insulâ Timor. *Guichenot.* ♃ ◡? (v. s. sp. in h. Mus. Par.).
Rami fruticosi teretes graciles erecti? glabri, vix apice summo juniores velutini; petioli teretes, pollicares, folii longitudine, patentes; folia ovalia acuminata mucronata glabra pallidè viridia ferè glauca integerrima basi trinervia; racemi fœminei? axillares solitarii graciles simplices folio æquales aut longiores; pediculus pubescens; pedicelli, racemosim dispositi fasciculati breves 1-flori; flores immaturi minimi, in sicco fusci.

37. Cocculus brachystachyus.

C. foliis ovatis acutis 3-5-nerviis glabris, racemis fœmineis axillaribus petiolo brevioribus.

Hab. in insulâ Timor. *Riedlei.* ♃ ◡? (v. s. sp. in h. Mus. Par.).
Rami teretes vix scandentes fruticosi graciles glabri; petioli limbo dimidio breviores; folia ovata acuta utrinquè glabra basi 3-5-nervia minimè cordata; racemi fœminei axillares solitarii petiolo breviores simplices 5-7-flori; pedicelli brevissimi; baccæ 1-3 glabræ obovatæ obtusæ sulco utrinquè arcuatim et quasi gyratim notatæ; semen intra baccam arcuatum; flores ignoti.

38. Cocculus Domingensis.

C. foliis ovalibus acuminatis integerrimis vix basi subtrinerviis glabris, pedunculis racemoso-paniculatis axillaribus gracilibus folio subbrevioribus è basi tuberculatâ villosâ ortis.

Hab. in Sancto-Domingo. *Poiteau.* ♃ ◡ (v. s. sp. in h. Mus. Par.).

affinis C. brachystachyo ; caulis fruticosus scandens teres glaber ; rami teretes glabri ; petioli teretes, pollicem longi, limbo dimidio ferè breviores, è cicatrice tumidâ circulari orti , sub limbo tumiduli callosi ; folia ovalia acuminata integerrima glabra coriacea penninervia, basi tamen ferè trinervia ; pedunculi masculi 1-2 gracillimi racemosi, petiolo duplò longiores, folio breviores aut æquales, pubescentes , è basi subtuberculatâ villosâ orti ; pedicelli laterales ramosi multiflori ; flores minimi, in specimine immaturi.

39. Cocculus Leæba.

C. foliis ovato-oblongis obtusis glaucis subpubescentibus breviter petiolatis, ramis subvolubilibus.

Leæba. *Forsk. fl. æg.* 172.* *Juss. gen.* 285.

Menispermum leæba. *Delile ! fl. æg. ill.* 30. *Descr. t.* 51. *f.* 2. 3.

Hab. in Ægypto superiore ♂ circa Liblad in deserto prope Cairam. ♀ rariùs et procul à mare. *Delile.* ♄ ◡. (v. s. sp. in h. Delile.).

Rami graciles subvolubiles ; folia parva, breviter petiolata , ovato-oblonga obtusa submucronulata glauca subpubescentia ; calyx extùs sepalis 2 orbiculatis flavicantibus stipatus ; sepala biserialia patentia , 3 exteriora ovata convexa obtusa viridia , 3 interiora (petala Forsk.) majora subrotundo-oblonga plana viridia margine membranacea ; petala 6 (nectarium Forsk.) obovata plana , basi cono obverso stamina singula vaginantia ; filamenta 6 subclavata petalorum longitudine ; antheræ quadratæ flavæ. (Forsk.)

40. Cocculus oblongifolius.

C. foliis oblongis trinerviis utrinquè obtusis apice mucronatis glabris, pedunculis folio brevioribus, supremis subracemosis, fæmineis unifloris.

Menispermum sp. nov. *Moç. et Sessé fl. mex. ic. ined.*

Hab. in Mexico. ♄ ◡. (fl. m.)

Caules volubiles teretes subramosi ; folia alterna oblonga, utrinquè obtusa, apice mucronata, glabra, trinervia, 12-15 lin. longa, 4-6 lata ; petioli 4 lin. longi ; pedunculi inferiores axillares folio breviores , ♂ racemulosi 6-7-flori , ♀ uniflori , superiores foliis deficientibus aut minimis in racemum terminalem dispositi ; flores parvi albi , numero partium senario constantes, sed partibus 3 majoribus primâ fronte petaloideis ; ♂ stam. 6. ♀ bacçæ transversè ovatæ carnosæ , hinc subtùs mucrone aristato deorsùm producto quasi calcaratæ (Descr. ex ic. mex.).

41. Cocculus triflorus.

C. foliis ovato-lanceolatis acuminatis basi trinerviis integerrimis subglabris, pedunculis fæmineis axillaribus trifidis trifloris petioli longitudine.

Hab. in Javâ. *Commerson.* ♄ ◡. (v. s. sp. in h. Mus. Par.).

Caules fruticosi teretes glabri ; rami teretes graciles volubiles tenuissimè pubescentes ; folia alterna glabra aut in nervis subpubescentia, petiolo bilineari, limbo ovato lanceolato basi obtuso , apice sensìm acuminato, basi trinervio, cæterùm penninervio, vix pollicem longo, 5-6 lin. lato ;

pedunculi fæminei axillares solitarii brevissimi petiolo æquales trifidi triflori ; baccæ orbiculatæ compressæ glabræ nervulis vix reticulatæ ; flores ignoti.

42. Cocculus milleflorus.

C. foliis ovatis obtusis penninerviis glabris nitidis, paniculæ terminalis multifloræ ramulis patentibus geminatis.

Azonn-minti, fruit velouté en poire. *Poivre! in herb. Juss.*

Hab. in Madagascar. *Poivre.* ♄◡. (v. s. sp. ♂ in h. Juss.).

C. gomphioidi similis, sed differt foliis majoribus basi magis ovatis obtusis minimè attenuatis, nervulis à basi ad apicem nervi medii pinnatis, nec basi ternis a lateralibus longè productis ; panicula mascula terminalis aut ex axillâ supremâ orta, erecta, milleflora, ramis geminatis patentibus ; ♀ ignota.

43. Cocculus gomphioides.

C. foliis oblongis acuminatis basi trinerviis integerrimis glabris nitidis, pedunculis axillaribus folio duplò longioribus.

Hab. in Madagascar. *Commerson.* ♄◡? (v. s. sp. in h. Mus. Par.).

Rami fruticosi teretes glabri ; folia glabra nitida, petiolo 3-4 lin. longo instructa, oblonga, apice acuminata mucronata, integerrima, coriacea, basi trinervia, 3-4 poll. longa, vix pollicem lata ; pedunculi fæminei ex axillis supremis orti, solitarii, erecti, foliis duplò longiores, 12-15-flori ; pedicelli pollicem longi 1-flori distantes racemosìm dispositi ; flores ignoti ; baccæ 2-3 ovatæ subglobosæ glabræ obtusæ, minimè spirales nec reticulatæ, uvæ minoris magnitudine æquales, sessiles aut vix ac ne vix pedicellulatæ.

44. Cocculus laurifolius.

C. foliis oblongis utrinquè acuminatissimis glabris nitidis, pedunculis axillaribus apice ramosis petiolo subbreviori-bus.

Menispermum laurifolium. *Roxb! ined. in h. Lamb.*

Hab. in Indiâ orientali. *Roxburgh.* ♄◡. (v. s. sp. ♂.)

Frutex glaberrimus ; rami juniores angulati lævisculi ; folia supernè imprimis lucida, petiolo 2-3 lin. longo instructa, oblonga, utrinquè acuminatissima, integerrima, 3 poll. longa, 6-10 lin. lata, basi trinervia, nervulis lateralibus margini ferè contiguis ad apicem usque ferè productis, medio venas anastomosantes agente ; pediculi axillares solitarii graciles, petiolo ferè breviores, apice breviter ramosi corymbosi ; flores 8-10 minimi glabri.

§. IV. *Floribus monoïcis.* (*an genus ?*)

45. Cocculus Epibaterium.

C. floribus monoïcis, drupis 1-3, foliis oblongis integerrimis glabris.

Epibaterium pendulum. *Forst. gen. t.* 54.

Hab. in insulâ Sti.-Jacobi maris australis. ♄◡ (Forst.)

Frutex scandens; flores monoici. ♂ calyx triserialis, serie quâque trisepalâ, duabus exterioribus minimis, interiore aliis triplò longiore; petala 6 parva subrotunda; stam 6 longitudine petalorum æqualia iisque opposita; antheræ subrotundæ; ♀ ovaria 3 subglobosa; stigmata patentia; drupæ 1-3 1-spermæ stylo persistente mucronatæ. (Forst.)

46. Cocculus Nephroia.

C. floribus monoïcis, drupis 6, foliis ovatis emarginatis glabris.

Nephroia sarmentosa. *Lour. fl. coch. ed. Willd.* 2. *p.* 692.*

Hab. in sylvis Cochinchinæ. ♄◡. (Lour.)

Caulis fruticosus scandens teres pilosus longus ramosus; folia ovata plana glabra emarginata; flores albi axillares, ♂ in racemos oblongos dispositi; ♀ pedunculis subtrifloris in diversis ejusdem plantæ ramis; calyx biserialis extùs squamulis 2 auctus, serie quâque 3-sepalâ, sepalis ovatis coloratis, interioribus majoribus; ♂ petala 6 oblonga; stam. 6 antheris subrotundis; ♀ ovarium subovatum 6-sulcatum; stigmata 6; drupæ 6 minutæ carnosæ subreniformes 1-spermæ. (Lour.)

VI. PSELIUM. †

Pselium. Lour. *fl. coch. ed. Willd.* 2. *p.* 762.

Fr. Flores dioici. ♂ Sepala, Petala et Stamina 6. ♀ Sepala 4 minima. Petala 0. Ovarium subrotundum. Stigma 4-fidum. Drupa compressa rotunda 1-sperma, nuce pertusâ armillæformi scabrâ (Lour.).

Veg. Frutex scandens, floribus axillaribus.

Obs. Floribus masculis senariis ad Cocculum, fæmineis quadrisepalis ad Cissampelum aut Menispermum accedit! An certò individui masculi et fæminei ad eamdem speciem pertinent? Foliorum utriusque sexûs dissimilitudo est etenim magis inversa quam in Cissampelo mauritianâ et diversitas florum nulli aliæ Menispermeæ comformis!

1. Pselium heterophyllum.

P. heterophyllum. *Lour. fl. coch.* 2. *p.* 762.*

Hab. in sylvis Cochinchinæ. ♄◡. (Lour.)

Caulis volubilis fruticosus longus tenuis ramosus; folia alterna integerrima glabra petiolata, ♂ subcordata subrotunda, ♀ ovata peltata acuminata; flores axillares, ♂ racemi breves subdivisi, ♀ compositè umbellati pedicellis brevissimis. (Lour.)

VII. CISSAMPELOS.

Caapeba. Plum. *gen. p.* 33. *t.* 29. — Cissampelos. Lin. *gen. n.*

1138. Juss. *gen.* 285. Lam. *ill. t.* 830. Sw. *obs.* 380. Petit-Th. *in journ. bot.* 1809. *v.* 2. *p.* 65. *t.* 3.

Fr. Flores dioici. ♂ Sepala 4 cruciatìm patentia. Petala 0. Discus subcarnosus. Stam. in columnam monadelpha. Antheræ 4 uniloculares? extùs dehiscentes (an in omnibus?) ♀ Sepalum 1 laterale. Petalum 1 ante sepalum ortum hypogynum. Ovarium 1 ovatum. Stigmata 3. Drupa baccata 1-sperma reniformis aut obliquè ovata, stigmatibus hinc basi approximatis. Albumen 0. Embryo longus teres perphericus; radicula supera nempè è stigmatum basi orta.

Veg. Frutices scandentes; Folia simplicia petiolata orbiculata ovata cordiformia aut peltata, apice mucronulata, in utroque sexu interdùm dissimilia; racemi axillares, ♂ sæpiùs ramoso-trichotomi subcorymbosi, solitarii gemini ternive, flosculos plurimos ad apices pedicellorum gerentes, ebracteati aut bracteis minimis donati. ♀ simplices elongati bracteas latas foliaceas alternas et pedicellos plurimos ex cujusque bracteæ axillâ fasciculatìm ortos gerentes. — C. andromorpha, forsan in posterum genericè distinguenda, habet flores fæmineos dispositos ut in cæteris masculi!

Obs. Wal-tiedde. *Gærtn. fr.* 2. *p.* 488. *t.* 180. *f.* 12. est verosimiliter Cissampeli species quædam Zeylanica cujus semen solum adhucdùm descriptum fuit.

Div. In sectiones tres, nempè:

§. 1. Floribus fæmineis bracteatis, foliis (utriusque uniusve sexûs) peltatis. . . . . Sp. 1-8.

§. 2. Floribus fæmineis bracteatis, foliis non peltatis . . . . . Sp. 9-20.

§. 3? Floribus fæmineis ebracteatis. . . . . Sp. 21.

§. I. *Floribus fœmineis bracteatis, Foliis utriusque uniusve sexûs peltatis.*

1. Cissampelos tropæolifolia.

C. foliis peltatis ovato-orbiculatis subacutis pilis sparsis utrinquè pubescentibus, racemis axillaribus geminis.

Hab. in Americâ meridionali prope Cochero. *Dombey.* ♄ ◡. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)

Caulis volubilis gracilis teres substriatus, glaber aut pilos raros longos patulos gerens; petioli teretes, pilis sparsis patulis hinc indè onusti, limbo longiores; folia peltata ovato-orbiculata subacuta, in mucronem subu-

latum mollem desinentia, 9-11-nervia, utrinquè pilis sparsis longis subadpressis pubescentia; racemi ♂ ex axillis solitarii aut bini, pollicem longi, subglabri, paniculato racemosi, tenuissimi, bracteis minimis subulatis, flosculis minimis atro-purpureis; racemi ♀ ex axillis bini, simplices, petioli circiter longitudine, subpilosi; bracteæ 3-8 intersè remotæ basi cordatæ apice obtusissimæ mucronatæ reniformes glabratæ tenues; fructus compressi orbiculati, striis radiantibus margine notati, subpilosi.

2. Cissampelos hernandifolia.

C. foliis peltatis ovatis acuminatis obtusis mucronatis glabris, venis subtùs subpilosis.

C. hernandifolia. *Willd. sp.* 4. *p.* 861.*
Hab. in Indiâ orientali. ♄◡. (Willd.)
Caules teretes striati glabri; folia 3-pollicaria, facie Hernandiæ sonoræ, ovata, acuminata, apice obtusa mucronata, profundè peltata, integerrima, glabra, in venis et nervis pilis sparsis subtùs obsita; flores ignoti; baccæ 1-spermæ corymbosæ (W.).

3. Cissampelos Pareira.

C. foliis peltatis subcordatis ovato-orbiculatis subtùs sericeo-pubescentibus, racemis fæmineis folio longioribus, baccis hispidis.

Caapeba. *Marcg. bras.* 24. *ic. Pis. bras.* 94. *ic.*
Caapeba folio orbiculari et umbilicato lævi. *Plum. gen.* 33.
Convolvulus Brasilianus flore octopetalo monococcos. *Ray. hist.* 1331.
Clematis baccifera glabra et villosa rotundo et umbilicato folio. *Plum. amer.* 78. *t.* 93. *Lochn. par. p.* 35. *ic. Sloan. jam. cat.* 85. *hist.* 1. *p.* 200.
Abulon. *Barrer. fl. æquin.* 1.
C. caule erecto suffruticoso simplicissimo. *Lœfl. itin.* 267.* *ex Lin.*
C. foliis peltatis cordatis emarginatis. *Lin. mat. med. n.* 459.
C. pareira var. *α. Lin. sp.* 1473. *Sw! obs.* 380. *t.* 10. *f.* 5. *Willd. sp.* 4. *p.* 861.
C. pareira. *Lam. ill. t.* 830. *Woodv. med. bot.* 227. *t.* 82. *Moç. et Sessé fl. mex. ic. et mss. ined.*
Hab. in fruticetis montosis Martinicæ (Pl.); Jamaicæ *Sw.*; Sti.-Domingi *Poiteau*; Sti-Thomasii *Ledru*; Brasiliæ (Marcg.), Novæ-Hispaniæ. (M. et S.) ♄◡. (v. s. sp.)
Caules glabri aut adpressè pubescentes; petioli longitudine varii, sæpè limbo longiores; folia suborbiculata, apice aristato-mucronata, supernè adulta glabra, subtùs plus minùsve sericeo-pubescentia non verò tomentosa, in utroque sexu peltata, sed petiolo prope marginem discum attingente; ♂ pedunculi solitarii geminive, à basi ramosi, petiolo æquales aut breviores, racemoso-corymbosi, ramulis divaricatis pubescentibus, flosculis hispidis; ♀ racemi folio longiores, flores fasciculatos spicatim gerentes; bracteæ sessiles suborbiculatæ vix apice mucronulatæ; baccæ coccineæ subrotundæ compressæ, margine attenuatæ rugosæ, undiquè pilis sparsis longis hispidæ, 3 lin. diam.
Succus in Brasiliâ, teste Pisone, celebris contra serpentum morsus; radix hujus stirpis est vera *Pareira-Brava* officinarum quæ amaro-dulcis diu-

retica tonica et ideò in dysuriâ, calculo urinario, ictero, arthritide, morbisque pituitosis celebrata. Confer *Geoffroi act. ac. par.* 1710. *p.* 57. *Lochner diss. par. br. Norimb.* 1719. *Murray app. med.* 1. *p.* 498. *Woodv. med. bot.* 2. *p.* 227. *t.* 82. Suspicor autem plurimarum Menispermearum radices in variis regionibus ad eosdem usus adhibitos sub eodem nomine in commercio confusas remanere.

4. Cissampelos microcarpa.

C. foliis subpeltatis subreniformibus orbiculatis subtùs tomentosis, baccis pubescentibus demum glabris.

Caapeba folio orbiculari umbilicato et tomentoso. *Plum. gen.* 33.
C. scandens foliis peltatis orbiculato-cordatis villosis, etc. *Brown. jam.* 557.
C. pareira var. *β. Lin. sp.* 1473. *Sw. obs.* 380. *Willd. sp.* 4. *p.* 861.
Hab. in insulis Caribæis, Jamaicâ (Sw.), Martinicâ (Pl.), Sto.-Domingo. ♃ (v. s. sp. in h. Mus. Par.)
C. pareiræ valdè affinis! differre tamen videtur foliis subtùs non sericeis, sed verè tomentosis, supernè junioribus pubescenti-sericeis, adultis glabris; petiolo limbo sæpiùs breviore; limbo orbiculato-reniformi obtusissimo nunc subpeltato nunc ferè palari, 9-11-nervio; racemis fæmineis imò maturis folio brevioribus; bracteis longiùs aristato-mucronatis; baccis tandem dimidio minoribus, minùs compressis, maturis glabris, margine tumidioribus nec attenuato-marginatis.

5. Cissampelos heterophylla.

C. foliis caulinis peltatis orbiculatis basi cordatis subtùs subpubescentibus, floralibus cordato-reniformibus utrinquè velutinis.

Hab. in Novâ-Hispaniâ circa S. Blas. *H. Thibaud.* ♃ (v. s. ♂ sp.)
Caules teretes striatuli glabri; rami juniores velutini axillares elongati (an potiùs pedunculi longissimi dicendi?); folia caulina sparsa, petiolo gracili tereti 2 poll. longo, apice in specimine nostro tumido (tumefactione oblonga intùs subcava et verosimiliter ab insecti cujusdam ictu orta), limbo peltato basi obtusè cordato orbiculato apice subemarginato breviter aristulato, adulto subtùs tenuissimè pubescente supernè glabro, 3 poll. diam. Folia floralia (ramo pedunculove inserta) cordata orbiculata, non sensim peltata, utrinquè velutino-pubescentia, 6 lin. diam., petiolo 3 lin. longo; pediculi masculi 3 ex horum foliorum axillis orti, ramosi, subcorymbosi, divaricati, pubescentes, folii floralis longitudine; flores minimi hispidi 4-sepali; ♀ ignoti.

6. Cissampelos discolor.

C. foliis peltatis latè ovatis basi truncatis apice acuminatis 7-9-nerviis, subtùs pubescentibus albidis, supernè glabris, pedunculis masculis 2-3 petiolo triplò brevioribus.

Hab. in insulis Moluccanis ♃? (v. s. sp ♂ comm. à cl. Lambert.).
Caulis teres striatulus glaber, apice saltem subherbaceus; petioli teretes pubescentes 2 poll. longi; folia peltata latissimè ovata, basi truncata subcordata, apice acuminata mucronata, 7-9 nervia, 2-3 poll. longa totidemque lata, supernè glabra viridia, subtùs albida tenuissimè pubes-

centia ; pedunculi ♂ 2-3, 6 lin. longi, hispiduli, corymboso - ramosi; flores minimi; ♀ ignoti.

7. Cissampelos hirsuta.

C. foliis peltatis ovato-orbiculatis subaveniis subtùs tomentosis supernè pubescentibus, pedunculis masculis petioli longitudine.

C. hirsuta. *Buchan! ined.*

Hab. in Napaulià. *Buchanan.* ♄◡. (v. s. sp. ♂ in h. Lamb.)

Rami volubiles teretes villosi; petioli villosi teretes limbo breviores 6-8 lin. longi ; folia ovata suborbiculata peltata , mucrone aristato 2 lin. longo terminata , integerrima , subavenia , supernè juniora villis adpressis subcandicantia demùm villis magis distantibus pubescentia , margine et subtùs tomento subsericeo candicantia , pollicem et paulò ultrà longa ; pediculi ♂ axillares, gemini , petiolo vix longitudine æquales, villosi, apice ramoso-corymbosi ; flores plurimi minutissimi villosi ; ♀ ignoti.

8. Cissampelos Mauritiana.

C. foliis cordato-orbiculatis utrinquè pubescenti-villosis , masculi peltatis, fæminei palaribus, racemis masculis axillaribus geminatis pluribusve.

C. pareira. *Comm! herb.*

C. pareira var. γ. *Willd. sp.* 4. *p.* 861.

C. Mauritiana. *Petit-th! in journ. bot.* 1809. 2. *p.* 65. *t.* 3. *et* 4. *opt.*

C. pareiroides. *DC! ess. prop. pl. ed.* 2. *p.* 78.

Hab. frequens in sylvis insularum Mauritianarum ubi pro Pareirâ bravâ habetur. fl. maio-jul. *Commerson.* ♄◡. (v. s. sp.)

A vero C. pareira differt ramis hispido-pubescentibus nec glabratis ; foliis paulò majoribus, in individuis masculis peltatis cordatisque , in individuis fæmineis simpliciter cordatis palaribus (petiolo nempè non peltato); racemis masculis ex axillâ plurimis , pollicem ferè longis, trichotomis, divaricatis; fæmineis densiùs bracteatis; bracteis latioribus sæpè emarginato-bifidis ; fructibus pubescentibus nec subhispidis. Flores minimi extùs hirsuti, ♂ in paniculas axillares trichotomas folio breviores dispositi; ♀ pedunculi solitarii , simplices , folio longiores, ferè ad apicem fasciculos 5-8-floros ex axillâ bractearum ortos subspicatìm gerentes ; bacca ovata omninò hinc ampliata undè stigmatum reliquiæ basi contiguæ ; semen 1 orbiculatum compressum margine tumidum. (P. T.)

§. II. *Floribus fæmineis bracteatis , foliis non peltatis.*

9. Cissampelos tomentosa.

C. foliis orbiculatis cordatis utrinquè petiolis caulibusque tomentosis , pedunculis masculis axillaribus pluribus folio brevioribus.

Hab. in agro Campechiano *h. L'her.* ♄◡. (v. s. sp. ♂).

Caules volubiles teretes tomentosi ; folia sparsa orbicularia cordata obtu-

sissima non aristata avenia, tomento denso utrinquè onusta et ideò pannosa, pollicis diametro; petioli tomentosi limbo triplò breviores; pedunculi masculi 4-5 villosi, petiolo æquales aut vix longiores, apice ramoso-corymbosi; flores ♂ villosi minimi; ♀ ignoti.

10. Cissampelos tamoïdes.

C. foliis cordiformibus utrinquè pubescentibus acutis basi 5-nerviis, racemis masculis folio longioribus.

C. tamoides. *Willd! ined. in h. Desf.*

Hab. in Brasiliâ. *Willd.* ♃ ◡. (v. s. sp. ♂ in h. Desf.)

Habitu affinis C. pareiræ; rami volubiles teretes pubescentes subvelutini; folia alterna utrinquè brevissimè velutino-pubescentia, supernè tamen glabriora, petiolo tereti gracili pubescente pollicem longo, limbo exactè cordiformi, auriculis obtusis, apice molliter aristato mucronato, margine integerrimo, basi 5-nervio; pedunculi ♂ axillares solitarii aut gemini aut ad basim ramo unico brevi patente instructi, folio longiores, nempè 2-3 poll. longi, graciles, racemosi, velutino-pubescentes, ramis ramosis brevibus gracilibus sæpè confertis velutinis; flores ♂ minimi, ♀ ignoti.

11. Cissampelos convolvulacea.

C. foliis cordiformibus acuminatis subtùs pubescentibus supernè glabris, racemis fæmineis petiolo paulò longioribus.

C. convolvulacea. *Willd! sp. 4. p.* 863.*

Hab. in Indiâ orientali. *Willd.* ♃ ◡. (v. s. sp. ♀ in h. Desf.).

Rami teretes graciles tenuiter striati ferè glabri volubiles; folia alterna supernè glabra subtùs tenuissimè velutina cordiformia, magis lata quàm longa, auriculis rotundatis, sinu acuto, apice abruptè acuminato et mucronato, margine integerrimo, petiolo semi-pollicari; pedunculi fæminei axillares solitarii petiolo paulò longiores simplices; racemi oblongi confertiflori; bracteæ velutinæ ovato-cordatæ mucronatæ; flores minimi; fructus et fl. ♂ ignoti.

12. Cissampelos Caapeba.

C. foliis suborbiculatis basi cordatis 7-nerviis subpubescentibus, racemis fæmineis petioli longitudine.

Caapeba folio orbiculari non umbilicato. *Plum. gen.* 33. *Ic. Amer. ed. Burm. t.* 67. *f.* 2.

Caapeba. *Lochn. diss. par. p.* 29. *ic??*

C. Caapeba. *Lin. sp.* 1473. *Mill. dict. n.* 2. *Willd. sp. 4. p.* 863.

Hab. in Sto.-Domingo. *Plumier.* ♃ ◡. (v. s. ♀ sp.)

Caulis teres volubilis glaber aut vix subpubescens teres striatus; petioli teretes, subpubescentes, 20 lin. longi; limbi orbiculati, basi cordati non verò peltati, subtùs pubescentes pallidi, supernè virides subglabri, obtusissimi, subemarginati, breviter mucronulati, 7-nervii, petioli longitudine, 30 lin. ferè lati; pedunculi ♀ axillares, petioli longitudine, fasciculos flores circiter 10 distinctos gerentes; bracteæ cordiformes suborbiculatæ longè aristato-mucronatæ; ovaria villosa; baccæ parvæ,

reniformes, vix compressæ, hispidulæ, vix ultra lineam longæ; fl. ♂ ignoti.

13. Cissampelos orbiculata.

C. foliis orbiculatis basi cordatis subtùs villosis supernè pubescentibus, pedunculis masculis subternis petiolo brevioribus.

C. tetandra. *Roxb! ined. in h. Lamb.*
Hab. in Indiâ orientali. *Roxburgh.* ♄ ◡. (v. s. sp. ♂ et ♀).
Foliatone affinis Menispermo orbiculato; rami volubiles teretes villosi; petoli limbi circiter longitudine, teretes, villosi; folia supernè pubescentia, subtùs villosa, caulina pollicem longa et lata, summa seu ramorum floralium semi-pollicaria, orbiculata, basi cordata, obtusa cum mucrone aristato, interdùm subemarginata; pediculi ♂ axillares, bini ternive, 6 lin. longi, apice ramoso trichotomi, villosi; flores corymboso-congesti minimi villosi 4-partiti; pediculi fæminei petiolis paulò breviores simplices; bracteæ orbiculatæ; baccæ parvæ subcompressæ hirsutæ.

14. Cissampelos crenata.

C. foliis ovato-orbiculatis subsessilibus 7-nerviis obtusis mucronulatis crenato-sinuatis utrinquè subtomentosis, racemis fæmineis binis folio longioribus.

Hab. in Brasiliâ. ♄ ◡? (v. s. sp. ♀ in h. Mus. Par.)
Caules vix scandentes, forsan erecti, teretes, hirsuti, subtomentosi; folia (saltem superiora) sessilia aut subpetiolata, ovato-orbiculata, non peltata, 7-nervia, obtusissima cum mucrone molli, utrinquè, sed subtùs præcipuè tomentosa, margine crenis latissimis brevissimis obtusissimis subsinuata; racemi ♂ ignoti, ♀ bini simplices axillares folio longiores, pediculo tereti tomentoso, bracteis 8-12 subcontiguis orbiculatis mucronatis subtùs pubescenti-villosis, supernè subglabris; fructus ovato-orbiculati pubescentes reticulato-nervosi subcompressi.

15. Cissampelos ovalifolia.

C. foliis ovalibus subacutis coriaceis, subtùs cinereo-incanis, supernè glabris lævibus, racemis masculis subbinis hispidis petiolo triplò longioribus.

Hab. in Brasiliâ. ♄ ◡? (v. s. sp. in h. Mus. Par.)
Caules erecti?, vix scandentes, simplices aut è collo multiplices, teretes, tomento brevi griseo velutini; folia alterna, brevissimè petiolata, ovata aut ovalia, basi obtusa, subacuta, mucronata, infima parvula integra basi 7-nervia, coriacea, supernè glabra ferè lævia, subtùs cinereo-incana adpressè velutina; racemi ♂ ex axillis sæpiùs bini, petiolo triplò longiores, hispidi, ramoso-trichotomi, subcorymbosi; flores minimi atropurpurei extùs villosi; ♀ ignoti.

16. Cissampelos ? ovata.

C. foliis ovatis obtusis mucronatis supernè lævibus subtùs in

nervis pubentibus, racemis fæmineis petiolo longioribus, bracteis subulatis.

C. ovata. *Poir dict.* 5. *p.* 11.*
Hab. in Indiâ orientali (Sonn. ex Poir.). ♃.
Caules frutescentes volubiles teretes ramosi subvillosi ; folia alterna, ovata, obtusa, mucronata, integra, firma, tenuiter venosa, viridia, lævia, supernè sublucida, subtùs pilos parvos raros in nervis gerentia, 2 poll. longa, 12-15 lin. lata ; petioli apice villosi, 10-12 lin. longi ; racemi ♂ ignoti ; ♀ simplices, paulò suprà-axillares, solitarii aut gemini, 2-3 poll. longi ; bracteæ villosæ, angustæ ferè subulatæ ; floes 1-3 subpedicellati in bractearum axillis ; baccæ reniformes orbiculatæ subcompressæ glabræ lentis magnitudine (Poir.).

17. Cissampelos ? acuminata.

C. foliis ovali-oblongis acuminatis glabris basi trinerviis, pedunculis masculis axillaribus racemoso-paniculatis folio dimidio brevioribus.

Hab. in Indiâ orientali. *Lahaie.* ♃ ? (v. s. sp. ♂ in h. Juss.).
Frutex subscandens ? glaber ; rami virgati teretes ; folia alterna ; petiolo 2-3 lin. longo, limbo oblongo seu elliptico, utrinquè attenuato et acuminato, integerrimo, basi trinervio, 2 poll. longo, 9-10 lin. lato, glabro, utrinquè concolori, coriaceo ; flores ♂ minimi ; pedunculi axillares solitarii pollicem longi et ideò folio dimidiò breviores, racemoso-paniculati, ramulis ramosis ebracteatis ; ♀ ignoti. — An Cocculi species ?

18. Cissampelos ? Capensis.

C. foliis ovatis obtusiusculis glabris brevissimè petiolatis racemis ramosissimis masculis ? petiolo vix longioribus.

C. Capensis. *Thunb. prod.* 110. *Lin. f. supl.* 432. *Willd. sp.* 4. *p.* 863. *Poir. dict.* 5. *p.* 11.*
Hab. ad caput Bonæ-Spei. (Thunb. Berg.) ♃.
Caules frutescentes volubiles ramosi ; rami graciles grisei ; folia alterna ovata apice attenuata mucronata integra viridia glabra reticulata crassiuscula ; petioli 2-4 lin. longi ; paniculæ axillares tomentosæ albidæ ramosissimæ petiolis paulò longiores ; flores minimi tomentosi (Poir.).

19. Cissampelos ? humilis.

C. foliis ovatis basi truncatis obtusis glabris petiolatis, axillis lanatis, caule suffruticoso erecto.

C. fruticosa. *Thunb. prod.* 110 ? *Lin. f. supl.* 432 ? *Willd. sp.* 4. *p.* 863
C. humilis. *Poir. dict.* 5. *p.* 11. *
Hab. ad cap. Bonæ-Spei (Poir.). ♄ (v. s. c. sine fl.)
Caules circiter pedales, erecti non scandentes, suffrutescentes teretes strati, juniores velutino-pubentes ; folia sparsa, glabra aut juniora subjubentia, petiolo 2-3 lin. longo suffulta, ovata, basi truncata, vix acne vix subcordata, obtusa, mucrone minimo punctiformi tomentoso terminata, 7-8 lin. longa, 6 lin. lata ; gemmæ florales axillares tomentoæ ; flores ex cl. Poiret in glomerulos tomentosos axillares aggregati.

20. Cissampelos ? laurifolia.

C. foliis ovato-oblongis obtusis glaberrimis, petiolo brevi crasso, racemis fæmineis brevibus, fructu maximo.

C. laurifolia. *Poir. dict.* 5. *p.* 11.*
Hab in insulâ Sti.-Thomasii (Richard. ex Poir.). ♄ ◡.
Caules sarmentosi frutescentes glabri striati subflavescentes, ramis pendulis; folia alterna, Lauro similia sed majora, coriaceo-crassa, integerrima, ovato-oblonga, obtusa, glabra, utrinquè subnitida, nervo longitudinali subtùs prominente, petiolo brevi crasso; racemi ♀ breves axillares; fructus ovati basi angustati pulposi rugosi nucis magnitudine, sicci fusco-nigricantes (Poir.).

§ ? III. *Racemis fœmineis ebracteatis.*

21. Cissampelos andromorpha.

C. foliis subcordiformibus glaberrimis membranaceis integris mucronatis, pedunculis fœmineis aggregatis ramosis ebracteatis.

Hab. in Cayennâ. *Patris.* ♄ ◡ (v. s. sp. ♀).
Caules teretes striati graciles elongati subramosi; folia alterna glabra, petiolo tereti gracili bipollicari instructa, ferè cordiformia, basi sæpè truncata aut subcordata, apice acuta mucronata, margine integerrima, basi 5-nervia nervis subtùs prominulis, substantiâ tenui papyraceâ, 2 poll. longa, totidemque lata; flores ♂ ignoti; ♀ dispositi ferè ut masculi in aliis speciebus, nempè pedunculi plurimi, fasciculati aut ex ipsâ basi ramosi, racemosi, petiolo breviores, ebracteati, è ramis subveteribus (foliisque in speciminibus meis orbatis) nascentes; tegumenta floralia in nostris desunt sed unilateralia videntur; ovarium oblongum, villosum, incurvum, stigmatibus 3 radiantibus brevibus coronatum; bacca compressa suborbicularis ferè obovata rugosa glabra, sicca nigrescens, 2 lin. longa. — Species distinctissima et forsan in genus proprium commutanda?

VIII. MENISPERMUM.

Menispermum. Tourn. *Mem. ac. Par.* 1705. *p.* 237. Lam. *Ill. t.* 824. Moench. *Meth.* 277. — Menispermi sp. Lin. Juss. Lam. Willd.

Fr. Flores dioici. Sepala 6-12 duplici triplicive serie ternaria aut quaternaria. Petala 6-8 biserialia. ♂ Stam. 12-24 nempè duplici triplici quadruplicive serie dispositi; filam. longa; Antheræ 4-lobæ terminales. ♀ Ovaria 2-4 subpedicellata monostyla stylis apice subbifidis. Drupæ baccatæ, subrotundo-reniformes, 1-spermæ.

Veg. Frutices scandentes; Folia alterna petiolata peltata aut cordata angulata subglabra pelti-aut-palminervia. Pe-

dunculi axillares aut suprà-axillares, masculi fæmineique parùm dissimiles.

Obs. Ingeniosissimè suspicatur cl. du Petit-Thouars Menispermi flores esse quasi conflatos ex plurimis Cissampeli flosculis coalitis; in hâc hypothesi filamentum quodque antheriferum fortè habendum pro fasciculo è duobus quatuorve staminibus monadelphis constante et tunc flos verè et strictè polyadelphus dicendus.

1. Menispermum Canadense.

M. foliis peltatis subglabris subcordatis subrotundo-angulatis, angulis obtusiusculis, terminali abruptè aristato mucronato, racemis solitariis compositis, petalis 8.

Hedera monophyllos virginiana convolvuli foliis. *Pluk. alm.* 181. *t.* 36. *f.* 2.

Cissampelos sive Malacocissos. *Rupp. fl. jen.* 53.

M. Canadense scandens umbilicato folio. *Tourn. acad. Par.* 1705. *p.* 311.

M. foliis peltatis angulosis. *Lin. hort. cliff.* 140. *h. ups.* 191. *Gron. virg.* 153.

M. Canadense. *Lin. sp.* 1468. *Will. obs.* 14. *Duham. arb.* 2. *t.* 3. *Duroi. harbk.* 1. *p.* 405. *Mill. dict. n.* 1. *Med. in obs. soc. æc. laut.* 1774. *p.* 226. *Wang. amer.* 147. *Willd. arb.* 190.* *Sp.* 4. *p.* 824. *Michx! fl. bor. am.* 2. *p.* 241. *Schuhr. handb.* 3. *t.* 337. *Hayne. term. bot. t.* 45. *f.* 3. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 370.

M. Canadense var. *α. Lam! dict.* 4. *p.* 95.* *Ill. t.* 824.

M. angulatum. *Mœnch. meth.* 277.

β. Lobatum, foliis acutiùs angulatis.

M. Virginicum. *Lin. sp.* 1468. *Willd. sp.* 4. *p.* 824? *ex Pursh.*

Hab. inter dumeta in littoribus fluviorum et declivibus fertilibus Americæ borealis (Pursh), à Canadà ad Carolinam *Michx.* ♄). fl. jul. aug. (v. v. c. et s. sp.)

Caules volubiles purpurascentes glabri aut juniores subpubentes; petioli teretes, ramis sat similes, 1-3 poll. longi; folia juniora subpubentia, adulta utrinquè glabra, ferè omnia peltata, sed petiolo juxta marginem inserto, rarissimè palaria; ♂ pedunculi racemosi, sæpè subpaniculati, paulò supra axillam nascentes, solitarii, petiolo sæpiùs paulò breviores; flores parvi flavidi; calyx 8-sepalus; petala 8 calyce minora; stam. 16 ex auctoribus, 20 in speciminibus nostris; antheræ obtusè tetragonæ 4-sulcatæ seu forsan 2 didymæ aut 4 globosæ ad cujusque filamenti incrassati apicem; ♀ pediculi masculis breviores; flores pauci subcorymbosi; ovaria 2-4.

2. Menispermum Dauricum.

M. foliis peltatis glabris cordatis angulatis, angulis acutis, terminali acuminato vix mucronato, racemis geminis capitellatis.

M. n. 86. *Gmel. sib.* 3. *p.* 108.

M. Canadense var. *β. Lam! dict.* 4. *p.* 95.

Hab. in Daouriæ collibus saxosis ad flumen Chilca non procul ab urbe Nertchinsk et circa Ouroulga. *Patrin.* ? ☽. fl. jun. jul. (v. s. sp.)

Differt à M. Canadensi, 1°. staturâ minori, specimina enim florida pedem vix longa habeo ; 2°. superficie omninò glabrâ in adultis, pilos minimos sparsosque vix in junioribus offerente ; 3°. foliis profundiùs peltatis et etiam profundiùs cordatis, lobis magis acuminatis, mucronibusque brevioribus ; 4°. pediculis geminis ab axillâ magis distantibus, masculis petiolo multò brevioribus, flores paucos capitellato-subcorymbosos gerentibus ; ♀ non vidi.

3. Menispermum smilacinum.

M. foliis peltatis subglabris cordato-subrotundis obtusè angulatis subtùs glaucis, racemis subsimplicibus, petalis 4.

Smilax lenis folio anguloso hederaceo. *Cat. car.* 1. *p.* 51. *t.* 51.

Cissampelos Smilacina. *Lin. sp.* 1473. *Jacq. coll.* 4. *p.* 128. * *Ic. rar.* 3. *t.* 629. *Willd. sp.* 4. *p.* 863.

Hab. in Carolinâ (Cat.). ♂ ◡.

Adeò simile M. Canadensi, ut mirum mihi videatur quòd in alio genere ab auctoribus collocatum fuerit ; tantùm differt foliis subtùs albido-glaucis, petalis 4 nec 8 ; flores ♀ ignoti.

4. Menispermum Lyoni.

M. foliis cordatis palmato-lobatis longissimè pedicellatis, racemis simplicibus, floribus 6-petalis 12-andris.

M. Lyoni. *Pursh. fl. bor. am.* 2. *p.* 371.

Hab. in Kentucky et Tennasseâ. ♃. ◡. fl. jun. jul. (Pursh.)

Caules scandentes 8-20 pedes longi ; folia lata ; baccæ magnæ nigræ 1-spermæ (Pursh.).

†. *Menisperma non satis nota.*

5. Menispermum ? fenestratum.

M. cotyledonibus foraminibus fenestratis.

M. fenestratum. *Gærtn. fr.* 1. *p.* 219. *t.* 46. *f.* 5.

Hab. in Ceylonâ (coll. sem. hort. Lugdb. ex Gærtn.).

Fructus solus cognitus est Drupa baccata obovata pubescenti-incana ; putamen osseum reniforme ; albumen semini conforme amygdalino-carnosum in 2 loculamenta divisum ; embryo inversus ; cotyl. foliaceæ tenuissimæ subrotundæ concavæ, ab impressionibus receptaculi crebris foraminibus perforatæ, valdè distantes, ambæ è diametro sibi oppositæ ; radicula brevissima (Gærtn.).

6. Menispermum ? acutum.

M. foliis cordatis posticè angulatis apice acuminatis glabris.

M. acutum. *Thunb. fl. jap.* 193.* *Lam. dict.* 4. *p.* 96. *Willd. sp.* 4. *p.* 827.

Hab. in Japoniâ circa Nagasaki (Th.).

Caulis volubilis teres simplex striatus totus glaber; petioli alterni, laxi, teretes, striati, folio paulò breviores; folia profundè cordata, posticè angulata, subrotundo-ovata, longè acuminata, integra, nervosa, subreticulata, suprà viridia, subtùs glauca, palmam longa et lata; flores ignoti (Th.); folia posticè angulata, à Menispermeis aliena, suadent esse Ipomeamve Convolvulumve, ut primus innuit cl. Lamarck.

IX. ABUTA. †.

Abuta. Barrer. *fr. æq.* 1. Aubl. *guian.* 1. *p.* 618. Juss. *gen.* 286. — Menispermi sp. Lam. Willd.

Fr. Flores. . . . . Baccæ ex eodem receptaculo 2-3 magnæ ovatæ exsuccæ subcompressæ, testâ fragili 1-spermâ fætæ (Aubl.).

Veg. Frutices scandentes magni; folia ovata penninervia, nervulis lateralibus infimis duobus approximatis.

Obs. Forsan Genus cum Cocculo coalescendum, sed habitu tamen distinctum et ideò provisoriè servatum donec peregrinatores Aubletio feliciores flores fructusque reperiant et ritè describant! interea excludo Abutam amaram Aubletii quæ, teste cl. Richard, est Aristolochiæ species!

1. Abuta rufescens.

A. foliis ovatis acutis integris subtùs velutinis cinerascentibus rufisve.

A. scandens. *Barrer. fr. æq. p.* 1.
A. rufescens. *Aubl. Guian.* 1. *p.* 618. *t.* 250.
Menispermum abuta. *Lam. dict.* 4. *p.* 100. *Willd. sp.* 4. *p.* 828.
Hab. in sylvis Cayennæ et Guianæ. *Aubl.* ♄. fruct. januario. (v. s. sp. in h. Mus. Par.)
Frutex tortuosus suprà arbores scandens ramis latè sparsis villosis teretibus (Aubl.) rami in specim. obviis juniores subvelutini; folia alterna, simplicia, petiolo tereti sæpè contorto sub limbo paululùm Leguminosarum more incrassato, limbo ovato subacuminato integro 2-3 poll. longo, penninervio, nervis 4 (nempè 2 geminatis) imfimis approximatis, supernè glabro viridi-rufo sublucido, subtùs velutino cinerascente aut rufescente; racemi axillares solitarii aut geminati cinereo-velutini, subpaniculati, ramulis alternis, bracteolis minimis acutis, ♂ magis ramosi multiflori, ♀ simpliciores pauciflori, omnes foliis breviores; flores ♂ minimi, extùs cinerei velutini, intùs atro-purpurei; ♀ ignoti; baccæ 2 aut abortu solitariæ, ovatæ, subcompressæ, obtusæ, basi inæquales, subtruncatæ, divergentes, indehiscentes, vix carnosæ, griseo-velutinæ, vix iconi Aubletianæ respondentes.
E sarmentis ptisana à Guianensibus paratur contrà hepatis obstructiones adhibita; ab iis planta dicitur *Pareira-brava* et forsan hujus radix cum Cissampelo pareirâ confusa in nostris officinis prostat.

2. Abuta candicans.

A. foliis ovatis acuminatis, subcrenatis lobulatisve, subtùs glabris candicantibus.

A. candicans. *Richard! ined. in h. Juss.*
Hab. Cayennæ. *Richard.* ♄ ◡. (v. s. sp. sine fl.)
Rami teretes glabri; folia alterna, petiolo 4 poll. longo tereti glabro, limbo ovato acuminato apice utrinquè subunilobulato, margine integro aut crispatulo subdentato, supernè glabro lævi, subtùs candicante ferè albo, sed ut videtur (an semper?) glabro, 5-7 poll. longo, 3-4 poll. lato, penninervio, nervis lateralibus duobus infimis approximatis. A Cayennensibus dicitur *Liane amère.*

X. AGDESTIS. †

Agdestis. Moç. et Sessé, *fl. mex. ic. ined.*

Fr. Flores hermaphroditi. Sepala 4. Petala 0. Stam. 24; filamenta filiformia; antheræ oblongæ utrinquè bifidæ medio insertæ. Carpella 4 monostyla coalita in ovarium unicum 4-sulcatum, stylo brevi 4-sulcato, stigmatibus 4 patentibus apice subreflexis.

Veg. Frutex scandens glaber, foliis alternis petiolatis cordiformibus, pedunculis 3-fidis corymbosis, inferioribus axillaribus, superioribus in thyrsum approximatis.

Nom. Agdestis erat monstrum homo simul et fæmina è Jove et lapide Agdo ortum; hujus nomen huic generi non satis cognito, forsan monstruoso et in ordine floribus hermaphroditis insigni, non immeritò datum.

1. Agdestis clematidea.

A. clematidea. *Moç. et Sessé fl. mex. ic. ined.*
Hab. in Novâ-Hispaniâ. ♄ ◡.
Caulis volubilis ramosus glaber teres striatus; folia distantia petiolata integerrima glabra exactè cordiformia, auriculis obtusissimis, apice acuminato; pedunculi inferiores ex axillis supremis orti solitarii patentes trifidi, pedicello medio 1-floro, lateralibus 3-fidis 3-floris, superiores foliis ad basin deficientibus thyrsoidei et ferè paniculam Clematidis Flammulæ æmulantes; flores rufescentes, magnitudine et numero sepalorum quaterno, petalorumque nullo Clematidem Flamulam etiam æmulantes; sepala oblonga utrinquè subattenuata; fructus ignotus. (Descr. ex ic. mex.)

Tribus secunda. — MENISPERMEÆ SPURIÆ.

Car. Flores monoïci, masculi quoad partium numerum non symetrici.

XI. SCHIZANDRA.

Schizandra. MICHX. *fl. bor. am.* 2. *p.* 18.

FR. Flores monoïci. Calyx 9-sepalus triserialis, serie quâque 3-sepalâ, sepalis subrotundis deciduis, interioribus minoribus petaloïdeis. Petala 0. ♂ Antheræ 5 subsessiles apice supra loculos connatæ, infernè contiguæ, rimis distinctæ. ♀ Ovaria ∞ secus receptaculum oblongum aggregata; stigmate brevi terminata; Baccæ inæqualiter ovoïdeæ, 1-spermæ, spicatim dispositæ; embryo erectus; albumen carnosum virens; radicula oblonga teres; cotyledones ovales plano-adpressæ (Rich. Mich.).

VEG. Suffrutex glaber subscandens, foliis ovali-lanceolatis.

OBS. Menispermeis Genus ex cl. Richard et Michaux affine, sed multum differt numero staminum quinario cum sepalorum ternario dissonante, necnon baccarum secus receptaculum elongatum dispositione spicatâ. An ordinis novi pignus?

1. Schizandra coccinea.

S. coccinea. *Michx! fl. bor. am.* 2. *p.* 219. *t.* 47. *Willd. sp.* 4. *p.* 372. *Poir! dict.* 6. *p.* 729. *Bot. Mag. t.* 1413. *Desf! arb.* 2. *p.* 25. *Ait. Kew. ed.* 2. *v.* 5. *p.* 268. *Pursh. fl. bor. am.* 1. *p.* 212.

Hab. in umbrosis sylvis Carolinæ et Georgiæ. *Michx.* ♄ ◡. fl. jun. (v. s. sp. et v. c.)

Rami teretes fusci læves, è gemmâ squamosâ juniores orti; folia ovali-lanceolata acuminata basi attenuata integra glabra crassiuscula, 2½-3 poll. longa, pollicem lata, petiolo gracili pollicari; pediculi fœminei ex axillis cujusque rami novelli inferioribus orti, solitarii, petiolo longiores, gracillimi, 1-flori; flores coccinei; masculos non vidi.

ADDENDA ET EMENDANDA.

P. 14. l. 4. OBSERVATIONUM *lege* ABBREVIATIONUM.
P. 126. l. 34. Semina imò loculo adfixa *lege* lateraliter adfixa.
P. 176. Thalictrum alpinum habitat etiam in Caucaso orientali et Thalictrum fœtidum in Iberiâ undè specimina misit cl. Steven.

P. 193. *Adde* post lin. 20:

6*. Anemone Albana.

A. foliis pinnatisectis, segmentis multipartitis, lobis oblongo-linearibus, flore nutante, pedicello vix involucro longiore, sepalis 6 erectis apice subreflexis.

A. Albana. *Mem. soc. nat. mosc. vol.* 3. *ex Steven! in litt.*
Hab. in excelsis montibus Caucasi orientalis. *Steven.* ♃. (v. s. sp.)
Affinis A. pratensi, sed differt ; 1°. foliorum lobis lobulisque brevioribus obtusioribus, potiùs oblongis quàm verè linearibus ; 2°. pedicello, imò per anthesin, vix involucrum superante nec quadruplò longiore ; 3°. flore albido aut ochroleuco nec purpureo ; 4°. glandulis pedicellatis, saltem in specimine mihi obvio, nullis nec inter sepala et stamina plurimis.

P. 225. Ad calcem, *adde:*

9*. Adonis Volgensis.

